

BULLARIUM

PONTIFICIUM

SACRAE CONGREGATIONIS

DE PROPAGANDA FIDE.

TOMUS V.

ROMAE 1841.

TYPIS COLLEGII URBANI

Superiorum permissu.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHILOSOPHY

DEPARTMENT OF PHILOSOPHY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO



1911

UNIVERSITY OF CHICAGO

CHICAGO, ILL.

I

LITERAE APOSTOLICAE LEONIS PAPAE XII.

Acta Consistorii Secreti habiti die 3. Maii 1824., in quo Antiochenus Maronitarum Patriarcha Josephus Petrus Habaisci confirmatur, eidemque Sacrum Pallium conceditur.

CONSISTORII SECRETI ACTORUM SERIES,
ET ARGUMENTUM.

Quum per obitum Rm̄i D. Joannis Petri Dolci Maronitarum Patriarchatus Antiochenus vacasset, Episcopi ejusdem Nationis die 25. Maii anni 1823. in Monasterio Canubinensi Sanctae Mariae congregati elegerunt in novum Patriarcham Rm̄um D. Josephum Habaisci Episcopum Tripolis, quemadmodum ex hac Synodica ipsorum Syngrapha unanimi novem Episcoporum consensu firmata perspicuum redditur.

*Episcoporum Syngrapha Electionis Rm̄i D. Josephi Habaisci
Episcopi Tripolis in Antiochenum Maronitarum
Patriarcham.*

Die vigesima quinta mensis Maii, in quam hoc anno 1823. Sanctissimae Trinitatis festum incidit, Nos, quorum infra nomina subscripta sunt, Maronitarum gentis Episcopi convenimus in Canubinense Coenobium Deiparae Virgini dicatum, quod Antiochenorum Patriarcharum est Sedes, ibique ad novum Patriarcham eligendum suffragia libere, ac in schedulis obsignatis tulimus, prout Sacri Libanensis Concilii Canones praescribunt. Suffragiis itaque rite, ac juxta regulas latis, cecidit electio in admodum Rev. Dominum Episcopum Tripolis Josephum Habaisci, quem nobis, atque universae nostrae Maronitarum genti Patriarcham praefecimus, quod nos sponte nostra fecisse testamur, nosque omnes in id consentire, ut praedictus Episcopus Pastoris, ac Patriarchae munus in nos exerceat, eo quod Canonica, et legitima sit ejus electio: quod ut omnibus pateat hanc syngrapham nomine, ac sigillo nostro quisque munivimus.

Humilis Abdalla Bleibel Episcopus Cypri. (L. S.)

Humilis Germanus Thabet Episcopus Bybli, et Botri. (L. S.)

Humilis Antonius Gazen. Episc. Heliopolis. (L. S.)

Humilis Stephanus Duiehi Episcopus Arca. (L. S.)

Humilis Simon Episcopus et Vic. Patriarchalis. (L. S.)

Humilis Joannes Marun Episcopus Hama, et Vicarius Patriarchalis. (L. S.)

Humilis Abdalla Albestani Episcopus Sydonis. (L. S.)

Tom. V.

A

Humilis Petrus Carm Episcopus Beryti. (L. S.)

Humilis Gabriel Nasr Episcopus Nazareth. (L. S.)

Joannes Abu-Razk Parochus, Synodi Secretarius. (L. S.)

Joseph Nun Parochus, Rector Collegii S. Joannis Marun, Synodi Secretarius. (L. S.)

Testor ego me adversa impeditum valetudine, quo tempore electio facta est, Concilio non interfuisse, cui jam pridem id per literas significaveram: nunc vero volens, libensque electioni laudati Domini Josephi in Patriarcham Antiocheum subscribo, eamque ratam habeo. In cujus fidem etc.

Humilis Stephanus Gazenus Damasci Episcopus. (L. S.)

Postea tum ab Electo Patriarcha Josepho, tum ab Episcopis Electoribus ad felicitis recordationis Pium Papam VII., et ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide per Rev. Patrem Basilium Dursum Oratorem, et Procuratorem literae missae sunt, quibus demississime Sanctitatem Suam rogant, ut Electum Patriarcham confirmare, eique Pallium de B. Petri corpore sumptum, in quo Pontificalis Officii plenitudo confertur, tradere dignetur. Sunt autem hujusmodi.

*Epistola Electi Patriarchae Josephi Petri Habaisci
ad san. mem. Pium Papam VII.*

BEATISSIME PATER.

Genibus, ut par est, coram Beatitudine Tua, flexis, submissaque impetrata cum omni animi desiderio, ac obsequio Apostolica benedictione, exponimus die 12. proxime elapsi mensis Maii, in Monasterio Beatissimae semper Virginis Deiparae Canubinensi, in quo Sedes est Antiochenorum Gentis nostrae Patriarcharum, supremum diem obiisse bonae memoriae virum Patriarcham Antiocheum Antecessorem nostrum Joannem Petrum Dolce, cujus Deus acceptissimarum tuarum Orationum meritis misereatur. Quapropter juxta Synodi Libanensis praescripta in dicto Monasterio congregati sunt Servi Tui Ven. Fratres mei Gentis Maronitarum Episcopi. Cum autem decem ibi numero essemus, latis suffragiis, super me immeritum cecidit electio, idque contigit die Dominica, quae in 25. ejusdem mensis diem incidit. Deinde in Festo SS. Corporis Christi, praedicti scilicet mensis die 29., a Ven. Fratribus meis Episcopis, novem numero, Antiocheni Patriarchatus insignia accepi. Quamquam autem Damascenus Archiepiscopus Ven. Frater Servus Tuus Stephanus Gazenus Synodo interesse non potuerit, nihilominus ipse quoque se Electioni nostrae assentire palam fecit, acceptavitque, et sigillo suo munivit Synodicam, cujus exemplar ad Vos

mittitur, syngrapham Electionis meae in Patriarcham Antiochenum, prout jam acceperant, sigilloque obsignaverant proprio omnes, qui eidem Synodo in Canubinensi Coenobio Episcopi interfuerant.

Jam vero, Beatissime Pater, spero fore ut me servum tuum paterna illa qua soles benignitate prosequaris: siquidem tantum onus suscepi Divina misericordia, et Apostolica tua sollicitudine fretus, te futurum confidens dextera tua infirmitati meae fulcrum, tuaeque directionis sanctitate oculis meis lumen, cum sis lucerna, quam in Ecclesia sancta sua posuit Dominus Deus, ut ab illa illuminentur quotquot sunt toto orbe terrarum Pastores, et oves, imperium habentes, et potestati subditi: quisquis autem lumen de lumine ejus non sumpserit, in aeternae perditionis tenebras devolvatur. Atque utinam Romae nunc possem ipse versari, properarem sane non modo ut oculis meis Te coram, illustris Pontifex, adspicerem, cujus gloriosorum certaminum, quae certasti, fama, et suavissimus virtutum odor per universum Catholicum Orbem late est diffusus, verum etiam ut benedictionem tuam et Apostolicos favores ipse acciperem, quod gratissimum mihi profecto foret; quippe qui Sanctitatem Tuam, Sedemque hanc Apostolicam ita, Deo adjuvante, venerer, ut nulli hac in re secundus esse velim ex Antecessoribus meis piae memoriae, qui per Orientem pariter atque Occidentem ob hoc maxime celebrantur. Verumtamen cum Romanum hoc iter suscipere nequeam, immo ne liceat quidem propter impedimenta quae circumstant, et ob itineris difficultates, quae hoc tempore graviores quam antea factae sunt, peculiarem ad hoc Delegatum mittere, per quem beneficiorum tuorum compos fiam, idcirco totius hujus negotii Procuratorem mihi constitui servum Tuum Romae degentem filium meum R. P. Basilium gente Armenum, Monachum Keraimensem, cui commissum est onus impetrandi a benignitate Tua, per Sacram Congregationem de Propaganda Fide, Pontificale Pallium, atque Electionis meae in Antiochenum Patriarcham confirmationem, una cum iis gratiis, et privilegiis quae Antecessoribus meis bonae memoriae Antecessores Tui felicitis recordationis largiri consueverunt: Mittuntur quoque per eundem Procuratorem fratrum meorum Episcoporum literae ad Sanctitatem Tuam, nec non ad memoratam Sacram Congregationem, in quibus de hoc omni negotio agitur, simulque literae eorum, ad quos ea res pertinet, omnino juxta Antecessorum meorum morem, ut oculis Sanctitatis Tuae, et Sacrae Congregationis subiiciantur una cum Fidei Professione, quam exhibere moris est, cum Tua beneficia impetrantur: atque ad hoc eam publice in Ecclesia legi, meaque manu subscripsi, ac sigillo munivi. Denique ad Sanctitatis Tuae solium humiliter ac reverenter, quamquam longo dissitus intervallo, genuflexus; Beatitudinem Tuam rogo tum hisce meis postulatis benigne ut annuas, tum illi praecipue de quo sermo est in altera ex

4
iis duabus Epistolis, quas ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide scripsi: Tu enim Successor es Beati Petri, cui datum est a Deo, ut fratres suos confirmet: Tu Vices geris Domini ac Dei nostri Jesu Christi, quem toto corde oro, ut Sanctitatis Tuae vires augeat, multosque ei ac felices dies largiatur. Amen.

Datum die 9. Septembris anno Domini 1823.
Sanctitatis Tuae Servus

(L. S.)

Joseph Petrus Habaisci Patriarcha Antiochenus.

*Epistola ejusdem Electi Patriarchae Josephi ad S. C.
de Propaganda Fide.*

Eñi, ac Rñi Domini.

Post eum, quem Eminentiss Vestris tribui decet, honorem, significamus vobis, die 12. mensis Maii anni hujusce ad Deum ex hac vita migrasse antecessorem nostrum in Antiocheno Patriarchatu Joannem Petrum Dolce bonae memoriae, ac rari exempli virum, ejusque obitum in Monasterio Canubinensi accidisse, quod Antiochenorum Patriarcharum nostrae gentis est sedes. Quapropter ex Concilii Libanensis praescripto, ut in demortui locum alter sufficeretur Patriarcha, in illud Monasterium una cum Venerabilibus nostris fratribus Episcopis convenimus, ac vigesima quinta ejusdem Maii mensis die, latis suffragiis, tanto me indignum honore, atque immeritum Patriarcham renunciarunt. Mox vigesima nona die ab iis ipsis Episcopis, qui Synodo interfuerant, Patriarchalis dignitatis insignibus sum decoratus, iique omnes meam probarunt electionem, eique subscripserunt, uti patet ex Synodica eorum syngrapha, cujus vobis exemplar exhibemus. Et quamquam Venerabilis noster Frater Stephanus Gazenus Damasci Episcopus senectutis incommodis impeditus Canubinensi huic Synodo non interfuerit, mei nihilominus ad Antiochenam Sedem evectionem sese ratam habere declaravit, et memoratam electionis meae syngrapham acceptavit, eique nomen ipse quoque suum subscripsit, quemadmodum inspicientibus Vobis palam fiet. Haec omnia fusius atque apertius declarantur tum in Epistola, quam nosmetipsi dedimus ad Dominum Nostrum Pium VII., quem Deus sospitem nobis iam multos annos conservet, tum in iis literis, quas ad Eum, et Eminentias Vestras hac de re scripserunt Venerabiles mei Fratres Episcopi, nec non Generales trium in gente nostra Ordinum Monasticorum Abbates, et gentis ejusdem principes viri. Cum vero post omnem a nobis adhibitam curam atque diligentiam, non ob varia impedimenta solum, sed et ob itineris maxime difficultates, atque pericula, quae mirum in modum

nunc temporis excreverunt, fieri nondum potuerit, ut virum aliquem peculiarem hinc ad Vos delegaremus, quod ut faciamus, suadet summa illa, et praecipua veneratio, atque observantia, qua et nos, et universa gens nostra Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum principem, usque prosequimur, ac prosecuti sumus, cujus imperiis obedienter vivere ac mori nobis decretum est: hac de causa factum est, uti coacti simus hasce nostras epistolas Vobis tradendas ad filium nostrum admodum Rev. Patrem Basilium e gente Armena Monachum Keraimensem mittere, quem Procuratorem nobis in omni hoc nostro negotio selegimus. Confido igitur fore uti laudatus Pater apud Eminentias Vestras veri et idonei Procuratoris loco habeatur, et excipiatur, meque vestra ope, ac precibus a SSmo Domino Nostro impetraturum Apostolicum pallium, nec non confirmationem in Patriarchali Antiochenae Sedis dignitate una cum iis omnibus privilegiis, quae meis antecessoribus hucusque ab Apostolica Sede concedi consueverunt, atque haec omnia, pro ea, quae summa in Vobis est, humanitate, ac zelo, laudato Patri traditum iri. Oro interim Deum ut conservet, ac majori usque honore Vos augeat, atque ut Apostolica vestra jurisdictio pro communi Christiani nominis bono, et utilitate in omnes regiones proferatur. Amen.

Data mense Septembri die 9. anno Christi 1823.

Orans pro Eminentissimis Vestris

(L. S.)

Joseph Petrus Habaisci Patriarcha Antiochenus.

Epistola Episcoporum ad fel. Recordationis Pium PP. VII.

BEATISSIME PATER.

Post oscula Sanctissimorum Pedum cum omni obsequio, ac reverentia, Sanctitati Tuae, quam Deus servet nobis incolumem, exponimus, die 12. mensis Maii anni 1823. ad Deum migrasse servum tuum Joannem Petrum Dolce Antiochenum Patriarcham, nos vero peractis Novendialibus statim convenisse die 25. praedicti Mensis in Canubinnense Monasterium, quod est Patriarcharum Sedes, atque ibi suffragiis rite latis juxta praescripta Sacrosanctae Synodi nostrae Libanensis absolutam esse electionem in persona Ven. Fratris nostri, ac Servi Tui Episcopi Josephi Habaisci Collegii Ainvarca Alumni; quem nos absque ulla coactione, voluntate, ac beneplacito nostro super nos Patriarcham constituimus. Nunc itaque Apostolicis pedibus humiliter obvoluti Te oramus ut favore tuo prosequi dictum Patriarcham servum tuum, eique Pallium Sanctum, et Apostolicam in Antiochena Sede confirmationem mittere velis, eumque solitis cumulare privilegiis, quae

G

Patriarchis ejus Antecessoribus tribui consueverunt, atque etiam amplioribus: idque propter integros ejus mores, et conscientiae puritatem, nec non optimam regendi rationem, et in scientiis excellentiam, praecipue vero ob eximium pro animarum salute zelum, quibus virtutibus cum ornetur, gaudium, ac laetitia ob ejus electionem, ad omnes, quotquot sunt, servos tuos Nationis nostrae filios pervasit.

Haec Sanctitati Tuae subiicienda duximus: rogamus interim, ut pro paterna tua benignitate postulatis nostris annuas, simulque Deum deprecamur, ut multos ac felices tibi dies largiatur, Tuaeque Sanctae obedientiae universas gentes subiiciat. Denique cum omni obsequio, ac veneratione vestigia Sanctissimorum Pedum rursum deosculantes, perennem Tibi a Domino felicitatem exoptamus.

E Monasterio Canubinensi, in quo Sedes Patriarchalis, die 29. Maii anni Christi 1823.

Sanctitatis Tuae Servi

Abdalla Bleibel Episcopus Cypri. (L. S.)

Germanus Thabet Episcopus Bybli, et Botri. (L. S.)

Antonius Gazen Episcopus Heliopolis. (L. S.)

Stephanus Duejhi Episcopus Arca. (L. S.)

Joannes Marun Episcopus Hama, et Vicarius Patriarch. (L. S.)

Simon Zevain Episcopus Tyri, et Vicarius Patriarch. (L. S.)

Abdalla Albestani Episcopus Sidonis. (L. S.)

Petrus Carm Episcopus Beryti. (L. S.)

Gabriel Nasr Episcopus Nazareth. (L. S.)

Testor ego cum adversa impeditus valetudine Concilio interesse non potuerim, acceptare me et ratam habere electionem Rev. D. Patriarchae Josephi, et confido fore ut Sanctitas Tua Venerabilium Fratrum meorum votis, quae in eorum Epistola continentur, benigne annuat.

Servus Sanctitatis Tuae

Stephanus Gazen Episcopus Damasci. (L. S.)

*Epistola eorundem Episcoporum ad S. Congregationem
de Propaganda Fide.*

Eñi, ac Rñi Domini.

Praemisso sacrae Vestrae Purpurae osculo, ac Vestris pro Nobis imploratis precibus, exponimus EE. VV. die 12. mensis Maii ad Deum migrasse bonae memoriae virum Rev. D. Patriarcham Joannem Dolce, nos vero post nonam ejusdem Novendialium diem mox convenisse omnes in Canubinense Coenobium, in quo Sedes est Patriarcharum, atque ibi Synodo nostra inchoata, die 25. praedicti mensis, qua ipsa die absoluta fuit Patriarchalis electio, postquam precibus enixe a San-

7
cto Spiritu postulavimus, ut sua nos inspiratione adjuvaret in Pastore eligendo, qui nos esset rector, elegisse tandem unanimi omnium consensu, suffragiis rite latis juxta praescripta Sacrae Libanensis Synodi, Rev. D. Joseph Habaisci alumnum Collegii Ainvarca Tripolitanum Episcopum omni laude, ac veneratione dignissimum, quem, ut nos regat, Patriarcham super nos constituimus ex omnium beneplacito, atque consensu, sponte, ac libere, idque ob vitae ejus sanctimoniam, eminentem scientiam, firmas virtutes, et vel minima quaeque expendentis conscientiae integritatem. Rogamus itaque humiliter, ac demisse EE. VV., ut laudato Patriarchae a Summi Pontificis clementia, ac benignitate impetretis confirmationem, et Sacrum jurisdictionis Pallium, nec non cetera privilegia, ac favores, quibus Romani Pontifices fel. memoriae Antiochenos patriarchas ornare consueverunt.

Petimus autem universi a Deo Optimo Maximo devoto, atque humili corde, ut EE. VV. sua virtute confirmet, et Sacrae Vestrae Congregationis auctoritatem ubique terrarum proferat, ac deosculantes venerabundi Sacram Purpuram, et nosmetipsos vestris Deo acceptis Orationibus commendantes adprecamur perpetuam vobis felicitatem.

E Monasterio B. M. Virginis Canubinensi in Monte Libano die 29. mensis Maii an. Christi 1823.

Orantes pro Eminentissimis Vestris

Abdalla Bleibel Episcopus Cypri. (L. S.)

Germanus Thabet Episcopus Bybli, et Botri. (L. S.)

Antonius Gazen Episcopus Heliopolis. (L. S.)

Stephanus Dueihi Episcopus Arca. (L. S.)

Joannes Marun Episcopus Hama, et Vicarius Patriarch. (L. S.)

Simon Zevain Episcopus Tyri et Vicarius Patriarch. (L. S.)

Abdalla Albestani Episcopus Sidonis. (L. S.)

Petrus Carm Episcopus Beryti. (L. S.)

Gabriel Nasr Episcopus Nazareth. (L. S.)

Testor ego, cum Concilio interesse non potuerim ob adversae valetudinis impedimentum, acceptasse me, et ratam habuisse electionem Rev. D. Patriarchae Joseph praedicti, et peto ab EE. VV. idem quod Ven. Episcopi, prout in eorum Epistola continetur.

Orans pro Eminentissimis Vestris

Stephanus Gazenus Damasci Episcopus. (L. S.)

Aliae praeterea a Rmo D. Aloysio Gandolfi Episcopo Icosiensi et Vicario Apostolico Hierapolitano, nec non ab Episcopo Maronita ejusdem civitatis, et a Proceribus Nationis, atque a Generalibus Monachorum Abbatibus in idem argumentum scriptae sunt Epistolae, quibus Electi Patriarchae Josephi merita ac virtutes omnium assensu, et plausu enunciantur.

Totius igitur negotii examine, referente R. D. Petro Caprano Archiepiscopo Iconiensi, et Secretario S. Congregationis de Propaganda Fide, a Sanctitate Sua ad Eminentissimos Patres ejusdem Sacrae Congregationis remisso, in Congregatione Generali habita die 12. Januarii 1824. editum est hujusmodi Decretum.

DECRETUM SACRAE CONGREGATIONIS GENERALIS
DE PROPAGANDA FIDE

Habita die 12. Januarii 1824.

Referente Eñno et Rño D. Bartholomaeo Pacca Episcopo Portuensi S. R. E. Cardinali Camerario, Electionem, seu Postulationem ab Episcopis Nationis Maronitarum de more factam R. P. D. Josephi Petri Habaisci Episcopi Tripolitani, viri zelo, doctrina, et prudentia, ceterisque virtutibus plurimum commendati in Patriarcham Antiochiae ejusdem Nationis in locum R. P. D. Joannis Petri Dolce nuper defuncti, nec non preces eorundem Episcoporum, Cleri, et Populi Maronitarum pro supradictae postulationis admissione, et Patriarchae confirmatione una cum gratiis, et privilegiis dictae Sedis Patriarchis concedi solitis, Sacra Congregatio censuit consulendum esse SSmo pro admissione praedictae postulationis, et confirmatione ejusdem R. P. D. Josephi Petri in Patriarcham Antiochenum Nationis Maronitarum cum sanatione quorumcumque defectuum etiam substantialium.

Quam Sacrae Congregationis sententiam SSmo Domino Nostro relatum a R. P. D. Petro Caprano Archiepiscopo Iconiensi in audientia habita die 25. Januarii currentis anni, Sanctitas Sua in omnibus approbavit, et in Consistorio ad ulteriora procedi mandavit.

Datum Romae ex Aedibus dictae S. Congregationis die 31. Januarii 1824.

*Julius Maria Card. de Somalia
Sac. Coll. Decanus Pro-Praefectus.*

Loco ✱ Sigilli

Petrus Caprano Archiep. Iconiensis Secretarius.

His praemissis die 3. Maii 1824. indicto de more secreto Consistorio per unum ex Dominis Caeremoniarum Magistris in Aulam Consistorialem introducti fuere R. P. D. Sacri Consistorii Advocatus Hieronymus Bontadossi, et R. P. Basilius Dursun Monachus Keraimensis Electi Patriarchae Procurator, ibique flexis genibus idem S. Consistorii Advocatus Sanctitatem Suam sic allocutus est.

BEATISSIME PATER.

Insignis Vestra Patriarchalis Ecclesia Maronitarum Antiochiaë Sanctitati Vestrae et huic Sanctae Sedi fide, et devotione addictissima, humiliter postulat, ut Pallium de B. Petri corpore sumptum, in quo Pontificalis Officii plenitudo una cum Patriarchalis nominis appellatione confertur, Sanctitas Vestra tradi jubeat R. P. D. Josepho Habaisci ad Patriarchatum Maronitarum Antiochenum electo sive postulato; pro quo obtinendo R. P. Basilius Dursun Monachus Antonianus ejus Procurator legitimo suffultus mandato, ea qua decet reverentia, et humilitate supplicat instanter, instantius, instantissime.

Post hæc Sanctissimus Dominus ita Eminentissimos Patres est allocutus.

VENERABILES FRATRES.

Die duodecima mensis Maii superioris anni mortalis vitae cursum explevit bonae memoriae Joannes Petrus Dolce Antiochenus Maronitarum Patriarcha. Justis eidem de more persolutis, convenerunt illius Nationis Episcopi ad eligendum Patriarcham, quem in demortui locum sufficerent. Collatis itaque suffragiis, Venerabilem Fratrem Josephum Habaisci Episcopum Tripolitanum tam insigni dignitate ornandum declaraverunt. Hujusmodi electio non Episcopis modo, Monachis, et Primoribus ejusdem Nationis probata, sed communibus etiam totius populi plausibus generatim excepta est. Jam enim eximiarum virtutum fama, quibus Electus Patriarcha eminet, per universam Maronitarum gentem clare percrebuerat.

His permota rationibus Venerabilium Fratrum Nostrorum, qui negotiis Propagandae Fidei praesunt Congregatio, Nobis supplicandum decrevit, ut memoratam electionem confirmaremus, licet irregularitates aliquas in ipsam irrepsisse contigerit. Harum prima illa est, quod ex tribus suffragiorum partibus, non admissim duae, ut Libanensis Concilii Canones a Benedicto XIV. approbati diserte praescribunt, in electionem consenserint. Electores enim cum decem numero essent, Electio non pluribus quam sex suffragiis peracta est; altera vero, quod Venerabilis Frater Josephus Habaisci quadragesimum aetatis suae annum nondum attigerit, cum idem Concilium Libanense neminem eligi posse in Patriarcham statuerit, qui annum aetatis suae quadragesimum non expleverit.

Nos autem animadvertentes Episcopos ipsos, de quibus sermo est, antequam ad ferenda suffragia accederent, de hoc inter se convenisse, ut si de aliquo in Patriarcham eligendo ageretur, qui Episcopali dignitate jam praefulgeret, sex ad ejus electionem suffragia satis essent,

Venerabilem vero Fratrem Josephum Habaisci Episcopum Tripolitanum aetatis suae defectum copiosa virtutum, et meritorum suppellectili compensare; ipsius electionem in Antiochenum Maronitarum Patriarcham Nobis confirmandam esse duximus, sanatis auctoritate Nostra irregularitatibus, quae hujusmodi electionem reddere irritam possent.

Atque ut novo Patriarchae luculentius paternae charitatis nostrae testimonium praebemus, eum Sacro Pallio de Corpore Divi Petri sumpto decorare, ut postulat, constituimus, atque hoc pastoralis Officii plenitudinis insigne ipsi mittere per Dilectum Filium Basilium Dursun Ordinis Antoniani Congregationis Montis Libani Abbatem, et ejusdem Patriarchae in Urbe Procuratorem. Omnibus insuper privilegiis novum Patriarcham ditabimus, quibus ejus Praedecessores ornari a Sede Apostolica consueverunt. Hoc pacto rem ipsi gratam et inclytam Maronitarum Nationi, quam eadem Sedes Apostolica singulari studio libens, meritoque prosequuta semper est, ac prosequitur, acceptissimam faciemus.

Quid Vobis videtur?

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, ac Nostra confirmamus, et approbamus Electionem a Venerabilibus Fratribus Episcopis Syro-Maronitis factam de persona Venerabilis Fratris Josephi Habaisci Patriarchae, quem absolvimus a vinculo quo tenetur Ecclesiae Tripolitanae, ac transferimus ad Patriarchalem Ecclesiam Antiochenam Syro-Maronitarum, praeficientes eum in Patriarcham, et Pastorem ejusdem Nationis, prout in Decreto, et Scheda Consistorialibus exprimetur, contrariis quibuscumque non obstantibus.

In Nomine Patris ✠, et Filii ✠, et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Postquam absolutum est Consistorium, quoniam praememorati Patriarchae Josephi Procurator R. P. Basilius Dursun desiderio flagrabat, ut de singulari beneficio Sanctitati Suae ejusdem Patriarchae nomine gratias saltem privatim ageret, cum in publico id facere ei non licuerit, ideo post Consistorium voti compos a Summo Pontifice perhumaniter factus, in intimo ejus cubiculo flexis genibus hunc in modum verba fecit.

GRATIARUM ACTIO.

Hodierna die, Beatissime Pater, tota Maronitarum Natio ad hanc conversa Apostolicam Sedem, ad quam propter potiore principalem necessesse est omnem convenire Ecclesiam, proprio quodam jure gaudet, exultat, ac laetatur, quod Sanctitas Tua, quae veteri Leoni

Antiochenae Ecclesiae dignitatis vindici novus successit, eximia benignitate electionem praestantissimi Antistitis Josephi Petri Habaisci in Antiochenum Maronitarum Patriarcham Apostolica sua auctoritate confirmare dignata sit, eumque Sacri Pallii honore Pastoralis officii plenitudinis indicio exornare. Hoc maximum beneficium Maronitarum Ecclesia animo grato Beatitudinis tuae benignitati acceptum refert; sententiamque Athanasii recolens aperte videt, Sanctitatem Tuam in summitate arcis constitutam esse, omniumque Ecclesiarum, praesertim ut eis succurrat, curam habere. Itaque in orientalibus plagis inter Maronitarum Ecclesiae homines huic Sanctae Sedi perpetuo addictissimos versari mihi videor, eosque tum audire Chalcedonensium Patrum verba iterantes, Petrum per Leonem locutum esse, tum videre dato suo Pastori firmissime adhaerentes.

Cum igitur ego Pastoris ipsius procuratoris munere perfungar, nomine ejus maximas Sanctitati Tuae pro hoc singulari beneficio in eundem collato gratias ago; simulque polliceor, illum inconoussae huic Petri Cathedrae firmissime adhaesurum, Tibique imperanti totius Ecclesiae Catholicae capiti, omniumque Christianorum Patri, ac Doctori veram obedientiam, et subjectionem in omnibus praestitutum, atque Ecclesiam Romanam omnium ceterarum Ecclesiarum Matrem, et Magistram summo honore, reverentia, ac obtemperacione omni tempore prosecuturum, atque etiam pro tuenda Catholica Religione vel vitam ipsam, si necesse fuerit, in discrimen, Deo adjuvante, oblaturum; et concreditum sibi gregem ab inimicorum faucibus custodire, abusus, erroresque, si qui forte irrepserint, penitus depellere, atque ad haec omnia pietatis officia universum etiam devotissimum Tibi Maronitarum Clerum excitare totis viribus curatum. Magnam etiam vim profecto, Beatissime Pater, habebit exemplum virtutum tuarum quae Sanctitatem tuam ad tantam sublimitatem, quanta nulla major in terris aut inveniri, aut excogitari potest, exegerunt. Hoc praeclarum exemplum sibi, hoc universo Maronitar. Clero imitandum proponet Patriarcha Josephus. Ut autem tam Patriarcha ipse, quam universus Maronitar. Clerus in Sancto suo proposito magis magisque confirmetur, ad pedes Sanctitatis Tuae in genua prostratus Te anxie rogo, ut Apostolicam Tuam benedictionem eis, mihiq; humillimo tuo famulo impertiri digneris. Oro denique, ac vehementer obtestor Deum Optimum Maximum, ut Sanctitatem Tuam pro summo Ecclesiae bono firma, ac integra valetudine donet, et ad multos annos incolorem, servet, et custodiat; ac tandem aliquando cum exibus, et agnis suis ad Coelestia Regna perducatur. Amen.

Episcopo Chelmensi Rhuteni ritus de redditibus ab Alexandro I. Russiae Imperatore, et Poloniae Rege ad ejus Cathedralis Capituli bonum concessis, ac de Capituli ipsius forma respondet.

Venerabili Fratri Ferdinando Ciccánowski Episcopo Chelmen.

LEO PAPA XII.

*Venerabilis Frater, Salutem, et Apostolicam
Benedictionem.*

Pergrata Nobis fuerunt ea, quae Tu ad fel. rec. Praedecessorem Nostrum Pium Septimum scripsisti de annuo reddito decem et octo milium Florenorum a Serenissimo totius Russiae Imperatore et Poloniae Rege Alexandro Primo ad Capituli Cathedralis Ecclesiae Tuae, Nativitatis Bñae Virginis Mariae ac Sancto Wladimiro dicatae commoditatem destinato, quaeque Nobis in ejus locum suffectis allata sunt ut opportunam Tibi responsionem de toto negotio mitteremus. Ac fuit quidem Nobis merito jucundum litteras illa tuas perlegere. Non modo enim singulare continent tuae in Apostolicam Sedem observantiae, et venerationis testimonium, verum etiam praecclarum afferunt summae Imperatoris ac Regis munificentiae argumentum, qui praeter illum, quem diximus in Capituli tui utilitatem redditum annuum decretum, ita etiam est animo comparatus, ut ampliorem quoque pecuniae summam eadem de causa pendere velit in posterum ubi primum per Imperialis Regique Erarii sui vires licebit. Voluimus Nos, quae tu scribebas a Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis mature perpendi, nobisque deinde, quae eorundem de tota re sententia esset referri. Id vero postquam accurate perfectum est nihil aliud etiam de memoratorum Venerabilium Fratrum Nostrorum consilio tibi scribendum esse censemus; nisi laetari nos magnopere Catholici Ecclesiae tuae cui ob Serenissimi Principis elementiam copia offertur veteris splendoris sui non leviter recuperandi.

Gratulamur igitur tibi, ac Capitulo Cathedralis Ecclesiae tuae vehementer laetamur, quod ubi antea propter amissam tot rerum vicissitudines majorem reddituum suorum partem ad eas erat angustias reductam, ut valde parvam haberet Canonicorum numerum, erigi nunc ex paupertate sua possit ac copiosiori Canonicorum numero restituto publico Divino cultui splendidius inservire. Contingere fortasse poterit, ut Capituli redditus pro Imperatoris, ac Regis munificentia quemadmodum commemoravimus aucti sufficiant non modo restituen-

dis quinque dignitatibus, ac veteri numero Canonorum Cathedralium, verum etiam honeste Canonorum Gremialium sustentationi constituendae. Utrum vero copia sit in praesentiarum totum illum canonorum veterem numerum restituendi an oporteat pauciores illorum numerum designare, nemo rectius te poterit judicare, qui omnia loci adjuncta plane nostis, quique rei adminicula omnia habes explorata. Illud tamen tibi certum esse debet, vel omnes juxta veteris Capituli tui formam Canonici restituantur, vel ob redituum angustiores fines necesse sit minorem eorum numerum restituere, id numquam germanae Capituli antiquitati esse offuturum. Persuasum igitur Nobis est Te redituum illum annum, quem magnanimus Imperator in Capituli tui bonum decrevit accipientem curaturum, ut omnia in illo recte constituentur conservatis dignitatibus insignibus honoris, ac praerogativa qualibet, quibus antea jure potiebatur. Certum etiam Nobis est Te diligentia tua facturum, ut quinque Praelati quemadmodum utebantur antea Crucis, et Hypogonatis gerendi facultate, ita etiam utantur in posterum, adhibeant vero Crucis insigne Canonici, qui antea illius gerendae copia gaudebant, neque minus est Nobis animo persuasum Te pro summo, quo praestas sacrorum Canonum custodiendorum studio illos tantum in posterum ad Canonicatus Cathedrales nominaturum, atque instituturum, quos ex Clero tuo pietatis, doctrinae, morumque integritatis laude commendatos esse compereris, ceterisque praeditos esse ornamentis, quae in Beneficiorum collatione Ecclesiae Decreta requirunt, ac servaturum etiam haec omnia in Titularibus seu Gremialibus Canonice nominandis, instituendisque eo numero, quem arbitrio, prudentiaeque tuae relinquimus, ac reservamus. Denique illud Tibi certum esse volumus paratos Nos esse justis petitionibus semper annuere, vehementerque optare veram, qua Te, Ecclesiamque tuam prosequimur benevolentiam Tibi ostendere, libentique animo esse excepturos si aliquid scripseris Nobis quod ad Capituli bonum promovendum Tibi statuendum esse videatur. Postremo Tibi, ac Gregi Tibi commisso Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVII. Augusti MDCCCXXIV. Pontificatus Nostri anno primo.

J. Card. Albanus.

Episcopo Novae Aureliae, Mississippii statum veluti Vicario Apostolico regendum committit.

Venerabili Fratri Ludovico Guillelmo Neo-Aurelianensi Episcopo

LEO PAPA XII.

Venerabilis Frater Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Quum Venerabilis Frater Ambrosius Marechal Archiepiscopus Baltimorensis, cujus Jurisdictioni Dioecesanæ Status Mississippiensis in Fœderata America subjectus erat ob nimiam a Dioecesi sua distantiam sponte se a jurisdictione in eundem abdicaverit, Nos, dimissione ejusdem Baltimorensis Archiepiscopi acceptata, necessitati Fidelium ejusdem Status consulere volentes, donec facta divisione Luisianæ in duos Episcopatus, illud regimen uniatur Episcopo viciniore, ac de tua probitate, integritate, doctrina, atque prudentia plurimum in Domino confisi, Teque a quibusvis excommunicationis, etc. censentes, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negociis de Propaganda Fide præpositorum consilio, fraternitati tuæ regimen ejusdem status sub titulo Vicarii Apostolici ad Nostrum, et Sedis Apostolicæ beneplacitum committimus cum solitis facultatibus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium. Mandantes propterea omnibus, et singulis ad quos pertinet ut Te ad demandatum tibi per præsentem Vicarii Apostolici officium illiusque liberum exercitium juxta tenorem præsentium recipiant, et admittant, tibi que in omnibus ad idem officium pertinentibus, faveant, pareant, et assistant, tuaque salubria monita, et mandata humiliter suscipiant, et efficaciter adimplere curent, alioquin sententiam, sive poenam, quam rite tuleris in rebelles ratam habebimus, et faciemus auctorante Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, nec non dicti status ex juramento, Confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque Lædulis, et Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis, quibus omnibus et singulis illorum tenores pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XIX. Augusti 1825. Pontificatus Nostri anno secundo.

Pro Domino Card. Albano *F. Capaccini Substitutus.*

*Superioris Canadae Provinciam in Diaecesim proprie dictam
ab Apostolica Sede immediate dependentem erigit.*

Venerabili Fratri Archiepiscopo Quebecensi.

LEO PAPA XII.

Venerabilis Frater Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Inter multiplices gravissimasque Apostolatus Nostri curas non exigam tenet partem ea quae Dioecesium per universum Orbem distributorum respicit statum, siquidem Supremae potestatis, iudiciiue Nostri est illas moderari, earumque limites constituere, vel immutare, prout habita temporum ac circumstantiarum ratione, Fidelium utilitati conducere dignoscimus. Quum in Superiori Canadae Provincia copiosior quotannis, favente Domino, Catholicorum numerus evadat; quumque ad promovendum ibi Religionis bonum et ad fidei progressus vehementius juvandos valde utile visum sit Provinciam ipsam a Dioecesi tua Quebecensi separare ac in peculiarem Episcopatum seu Diaecesim erigere, Nos re mature discussa, et praecipue ratione habita tum literarum quibus tu consensum tuum de memoratae Provinciae a Diaecesi tua separatione libere et luculenter manifestasti, tum sententiae tuae ac aliorum gravissimorum virorum qui arbitrati sunt, novae hujus Diaecesis erectionem omnino utilem, et Religionis majori stabiliorique bono procurando valde opportunam futuram ac de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio Motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine, Provinciam Superioris Canadae in Diaecesim propriam et a tua Quebecensi distinctam, cujus Sedes esse debeat Urbs Kingston seu Regipolis, limites vero ii ipsi, quos tu constituisti, quum memorata Provincia tamquam Districtus Episcopalis Vicario tuo auxiliari tradita fuit, erigimus et constituimus cum omnibus et singulis juribus, privilegiis, honoribus, praerogativis, immunitatibus, gratiis, et Indultis Episcopali Dioecesi de jure, usu et consuetudine competentibus, ac Dioecesim praedictam sic a Nobis erectam Episcopi pro tempore ab hac Sancta Sede eligendi jurisdictioni et potestati ordinariae, spiritualesque regimini auctoritate et tenore praefatis subjicimus, eamque a Dioecesi tua Quebecensi perpetuo disjunctam, et divisam declaramus. Mandantes propterea Clero et Populo dictae novae Dioecesis ut Episcopo per Nos, et hanc S. Sedem pro tempore eligendo debitam praestent obedientiam, et reverentiam. Decernentes easdem praesentes Litteras firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et

integros effectus sortiri, et obtinere, ac iis ad quos spectat, ac spectabit pro tempore plenissime suffragari, et ab omnibus inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, Sedis Apostolicae Nuncios, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, ceterisque etiam speciali et expressa derogatione et mentione dignis contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 27. Januarii 1826. Pontificatus Nostri anno tertio.

Pro Domino Card. Albano

F. Capaccini Substitutus.

Ducatum Analth-Coethensem Vicarii Apostolici Saxoniae jurisdictioni committit.

Venerabili Fratri Ignatio Bernardo Mavermann Episcopo Pellensi
Vicario Apostolico in Saxonia.

LEO PAPA XII.

Venerabilis Frater Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Supremum hoc Apostolatus fastigium, ad quod nullis nostris meritis evecti fuimus, tot redundat curis et angustiis ut vix dies aliqua labatur, quae non afferat plures easdemque graves dolendi, et maerendi causas. Verum Deus, et Pater Domini Nostri Jesu Christi qui est Deus totius consolationis saepe consolatur Nos in tribulationibus nostris, animumque nostrum iis paene fractum erigit, et recreat singularibus et Ecclesiae Catholicae, cui praesumus, felicissimis eventibus. Gravissime certe dolebamus cum animo raputaremus quem in statum, et quam miserum prolapsa sit res catholica in Germanicis istis regionibus, ubi olim mirifice florebat; eaque recordatio erat Nobis acerbior, tum quod illam Ecclesiae calamitatem non modo ex aliorum sermonibus audivimus, sed etiam oculis Nostris ipsis perspeximus, cum in minoribus constituti Nuncii Apostolici munus plures annos in Germania gessimus, tum quod exploratum Nobis esset per ea quae deinde evenerunt multo miserabiliorem, et calamitosiorem Catholicae Re-

ligionis conditionem in Germania evasisse. Verum dum haec animo revolveremus Litterae Nobis allatae sunt, quibus nomine Serenissimi Principis Ferdinandi, qui nuper haereditario jure Ducatu Analthino Coethensi potitus est, nunciabatur paratum se esse non modo permittere, sed et efficere, ut in Urbe Coethensi Ducatus sui principe, Ecclesia Catholica Parochialis erigatur, in qua Catholici qui ea in Urbe sunt, libere Religionem Nostram sanctissimam exercere possint, et praeterea petere ut huic Ecclesiae sacerdos probus ille quidem prudens, et rerum Ecclesiasticarum peritus praeficiatur, qui Parochi munus gerat, et quae Religionis sunt procuret, ac velle se fundos Ecclesiae eidem attribuere ex quorum redditibus qui quotannis quadringentos nummos scutatos attingent Parochus alatur. Hoc nuncio accepto tantam concepimus animo laetitiam, quantam vix verbis explicare possumus. Quae enim major laetandi causa esse poterat, quam in Ducatu in quo trecentis fere ante annis Religio Catholica tantam jacturam fecerat, ut penitus interiisse videretur, et vix sub initium hujus saeculi aliquos cultores, sed paucos illos quidem, iterum adepta fuerat, continuo eandem reviviscere, atque ita ut Principe non tolerante tantum, sed omnino favente et adjuvante, publica Ecclesia Catholica erigatur. Sed ad gaudium hoc Nostrum cumulus accessit, cum Serenissimus Princeps Ferdinandus et Serenissima Ducissa ejus uxor postquam satis instructi a viro docto et pio fuerunt die vigesima quarta superioris Octobris prope Parisios coram Venerabile Fratre Archiepiscopo Parisiensi haeresim, cui hactenus adhaeserant, ejurarunt, et Catholicam Religionem professi sunt, impetrata a censuris absolute, ceterisque omnibus pie sancteque expletis, quae peragenda ab iis erant. Egimus igitur maximas Deo ejusque Filio Jesu Christo gratias, eam etiam ob causam, quod fausta haec initia majorem in dies Religionis Catholicae felicitatem, et progressus portendere viderentur. Ut autem firma et stabilia essent quae tam feliciter inchoata sunt, utque Serenissimi Principis, imo jam Dilectissimi in Christo Filii Nostri Ferdinandi Ducis votis satisfaceremus, et significaremus quam grata Nobis fuerunt quae evenerunt, haec constituta sunt quae mox indicabimus, et quae scribenda ad Te esse censuimus, Venerabilis Frater, quod non exigua in iis exequendis pars Tibi tributa a Nobis sit. Itaque approbamus imo vehementer commendamus consilium extruendae Ecclesiae Catholicae in Urbe Coethensi, ac studium, et largitatem, quam eam in rem Ferdinandus Dux adhibere constituit, attributis praecipue fundis ex iis qui ad eum pertinent, ad Parochum sustentandum, quorum redditus quotannis quadringentis nummis scutatis aequales sint. Ea Ecclesia Deo dicabitur in honore Deiparae Virginis Matris Nostrae amantissimae, atque ejusdem Virginis imaginem in ea Ecclesia Fidelium pietati exponendam dono misimus affabre expressam ex elegantissima tabula Ra-

phaelis Sanctii Urbinatis, Pictorum facile Principis, quae paucos ante annos in Vaticanam Pinacothecam translata est, cum antea in oppido Fulginati esset, quod ditione Nostra continetur et Roma vix centum mille passibus distat. Ea Ecclesia Parochiae Catholicae dignitate et nomine potietur, atque in eam convenient Catholici, ut quae Religionis sunt officia sancte et libere explere possint. Nec vero haec Ecclesia ulli Episcopo qui extra Ducatum Coethensem moretur, sed immediate Nobis et Sanctae huic Sedi Apostolicae subiicietur: at quoniam Nos longe absumus, propterea decernimus ut Tu vice Nostra in Urbe, et Ducatu Coethensi fungaris, concedentes tibi auctoritate Apostolica, ut ea in Urbe et Ducatu utaris facultatibus iis omnibus, quibus veluti Vicarius Apostolicus in Saxonia donatus es. Tuum erit praecipue Parochiae Coethensi Sacerdotem pium, prudentem, doctumque designare, praeficere, et instituere, qui Parochi munus rite, recteque obire possit, ei conferendo facultates muneri illi necessarias. Quoniam vero multum interesse putamus omnes intelligere magnam Nos de nova hac Parochia curam et sollicitudinem gerere, volumus Nos ipsi prima hac vice Parochum designare, ac designavimus Dilectum nempe Filium P. Bechs Presbyterum ex Societate Jesu, hactenus Juris Canonici professorem in Seminario Hildesemiensi, de cujus pietate, doctrina, et prudentia praeclara accepimus testimonia. Hunc Tu in Parochia Coethensi Parochum rite institues. Haec sunt quae communicanda tibi, et mandanda, Ven. Frater, a Nobis erant de gravissimo hoc negotio. Non dubitamus quin tu pro tua pietate, et rei catholicae augendae studio diligentissime omnes muneris tibi commissi partes sis impleturus. Erit Nobis pergratum, tibi que amplissimum, et quod caput est, Deo et Servatori Nostro acceptissimum, excitari tua opera in ea Urbe et Ducatu Religionem intermortuam, et fere extinctam, ac imitari Te exempla Bonifacii, aliorumque sanctissimorum virorum qui Religionem Catholicam in Germaniam vel primum intulerunt, vel amplificaverunt. Haec a te expectantes decernimus et mandamus has praesentes litteras firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, diutaeque Parochiali Ecclesiae in omnibus et per omnia plenissime suffragari, ac ab omnibus ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque Iudices Ordinarios et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici auditores, S. Sedis nuntios, ac S. R. E. Cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus felicis memoriae Benedicti PP. XIV. Praedecessoris Nostri super divisione materialium, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et

synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 17. Maii 1826. Pontificatus Nostri anno tertio.

Pro Domino Cardinali Albano

F. Capaccini Substitutus.

Josephum Rosati Episcopum Tenagrensem in part. de Luisiana tota in duas diaeceses partienda certiore facit, eidemque auctor est ut Novae Aureliae Episcopatum suscipiat, atque interea etiam S. Ludovici diaecesim administret.

Venerabili Fratri Josepho Rosati Episcopo Tenagrensi.

LEO PAPA XII.

Venerabilis Frater Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Quod fel. rec. Praedecessor Noster Pius PP. VII. tribus ab hinc annis faciendum nunc esse statuerat, quodque tibi, Ven. Frater, literis Apostolicis die XIV. Iulii an. MDCCCXXIII. scriptis diserte significaverat, id hodierna die fecisse Nos in Domino laetamur. Dedimus enim alias hac ipsa die sub annulo Piscatoris Litteras Apostolicas quibus Luisianam totam in duos Episcopatus divisimus. Nam superiorem illius Regionis partem a Dioecesi Novae Aureliae sejunximus, et novam Dioecesim constituimus, quae superiorem omnem Luisianam comprehenderet, Sedemque illius Episcopalem civitatem S. Ludovici esse decrevimus: Novae Aureliae autem Dioecesim inferiori tantum Luisiana constare iussimus una cum territorio Mississipio quod Literis Apostolicis die XIX. Augusti MDCCCXXV. datis Episcopo Novae Aureliae tanquam Vicario Apostolico gubernandum commiseramus. Novus igitur Ecclesiae in Luisiana administrandae nascitur ordo, ac omnem sperandi rationem habemus, novi quem diximus Episcopatus erectionem permagno Religionis Nostrae incremento in istis regionibus esse futuram. Verum opera tua Ven. Frater in tam gravi negotio nunc maxime indigemus; Nobisque persuasimus, si tu consilio Nostro obsequaris, felicem exitum rem esse habituram. Annuendum enim tandem aliquando arbitrati sumus precibus Ven. Fratris Ludovici Guillelmi Du-Bourg hactenus Novae Aureliae Episcopi, qui pluries a Nobis petiit ut Episcopatus sui abdicationem seu renunciationem susceperemus, ac de consilio Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum memoratam abdicationem,

vel renunciationem Nos acceptasse, ei significavimus. Rebus igitur mature perpensis ac de eorumdem Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio id primo loco statuimus, ut quoad aliter a Nobis decernatur, tu utramque Dioecesim tum Novae Aureliae, tum S. Ludovici administres ac gubernes. Deinde quoniam Religioni vehementer omnino expedire videtur, ut tu Novae Aureliae instituaris Episcopus, auctores et hortatores tibi sumus, ut hunc Episcopatum accptes. Nam intelligimus quantopere tu opportunus utilisque futurus sis Religionis negotiis in Dioecesi Novae Aureliae feliciter gerendis. Habemus vero jam prae oculis quem Episcopum S. Ludovici instituamus, hominem scilicet, qui opera ad fidem ibi confirmandam propagandamque a te incepta prosequetur, nihilque omittet quod Ecclesiae utilitati esse possit, praesertim cum tu inde discedens Sacerdotum numerum Religionis necessitati parem ibi relicturus sis; age ergo Ven. Frater et novum hoc tuae erga Nos Sedemque Apostolicam observantiae argumentum suppedita. Magnam de tuo Religionis amplificandae ejusque utilitatis procurandae studio, opinionem jamdiu jure concepimus. Scimus te nihil aliud nisi Dei Optimi Maximi gloriam, animarum salutem, et Ecclesiae incrementum dies noctesque cogitare. Exploratum denique Nobis est tuis laboribus auctum in istis regionibus esse Religionis splendorem, ac te praeclare respondisse expectationi, quam boni omnes conceperunt cum te Missionibus Luisianae devovisti. Restat ut Episcopatus, quem memoravimus Novae Aureliae, acceptatione meritis tuis ornamentum aliud adjungas. Huic autem consilio, et exhortationi Nostrae ubi primum te assentiri Nobis significaveris continuo ad te Litteras Apostolicas mittemus, quibus Novae Aureliae Episcopatus tibi conferatur. Interea vero Apostolicam Benedictionem tibi peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 14. Julii 1826. Pontificatus Nostri anno tertio.

J. Card. Albanus.

Statutam Luisianae totius in duas Diaeceses divisionem ad exitum perducendam esse jubet.

LEO PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Inter multiplices gravissimasque Apostolatus Nostri curas non exigam tenet partem ea quae Dioecesium per universum orbem distributarum respicit statum, siquidem supremae potestatis, iudicii que Nostri

est novos earum limites constituere vel constitutos immutare, prout habita temporum, ac circumstantiarum ratione, Fidelium utilitati conducere dignoscimus. Quum fel. rec. Pius PP. VII. Decessor Noster per suas Apostolicas in simili forma Brevis die XIV. Julii an. 1823. datas litteras de consilio Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negociis Propagandae Fidei praepositorum decreverit, Luisianam totam intra triennium in duos Episcopatus dividendam esse; Nos auditis praedictis Venerabilibus Fratribus ac rebus omnibus mature perpeusis, memoratam divisionem ad exitum perducere curamus, in spem adducti ex hac divisione permagna Religionis confirmandae, et latius quotidie propagandae proventura commoda, quum Episcopatu etiam in superiori Luisiana constituto expeditius procurari ibi possint, quae Catholicorum in iis regionibus magno numero commorantium spirituale bonum respiciunt, quae conducere poterunt ad copiosorem Clerum ibi efformandum quaeque ad fidelium copiam amplificandam, et Ecclesiae splendorem augendum sunt in primis opportuna. Nos itaque per praesentes auctoritate Apostolica statuimus atque decernimus in Dioecesi Novae Aureliae in posterum solam inferiorem Luisianam cum Territorio Mississipio quod in praesentiarum Ven. Frater Episcopus Novae Aureliae tamquam Vicarius Apostolicus gubernabat, comprehendendi; superiorem vero Luisianam separatam a Dioecesi Novae Aureliae in propriam Dioecesim erigi cujus Sedes sit in Civitate Sancti Ludovici. Mandantes propterea omnibus et singulis ad quos spectat ac in futurum spectabit, ut praedictis dispositionibus Nostris se subjiciant, illasque accurate exequi teneantur ac debeant. Decernentes has praesentes litteras firmas semper, validas et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, dictisque in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab omnibus ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios et Delegatos etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores, Sedis Apostolicae Nuncios, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 18. Julii 1826. Pontificatus Nostri anno tertio.

J. Card. Albanus.

Visitationem Apostolicam Insulae Chiensis in mari Aegaeo, Archiepiscopo Smyrnensi committit.

Ven. Fratri Aloisio Mariae Cardelli Archiepiscopo Smyrnensi.

LEO PAPA XII.

Ven. Frater, Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Quum necesse sit prout Nobis relatum fuit de statu praesenti Chiensis Ecclesiae in Mari Aegaeo accurate cognoscere ut post gravissimum quod protulit excidium anno MDCCCXXIII. ea omnia comparentur ac reficiantur, quae necessaria sunt, ut Episcopus quum fuerit electus, commorari ibi commode ac decenter possit, Nos Visitatorem Apostolicum in eadem Dioecesi constituere statuimus, ac de Te Ven. Frater specialem in Domino fiduciam habentes, Teque a quibusvis excommunicationis etc. si quas forte incurristi hujus tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio Te in Visitatorem Apostolicum Dioecesis Chiensis auctoritate Apostolica tenore praesentium eligimus et deputamus, tibi que facultates necessarias et opportunas dicta auctoritate tribuimus, et impertimur, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium.

Datum Romae sub Annulo Piscatoris die 19. Septembris 1826. Pontificatus Nostri anno tertio.

J. Card. Albanus.

Scotiae Regnum in tres Vicariatus Apostolicos Orientalem, Occidentalem, et Septemtrionalem dividendum esse decernit.

Venerabilibus Fratribus Episcopis Scotiae Vicariis Apostolicis.

LEO PAPA XII.

Ven. Fratres Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Quanta laetitia affecti simus cum ex gravissimis acceptis testimoniis certiores facti sumus Religionem Catholicam in Scotia uberes progressus fecisse, atque omnem sperandi rationem esse futurum ut ampliores in posterum fructus percipiat facile intelligitis Venerabiles Fra-

tres, quibus Nostra de Religionis incremento ubique procurando sollicitudo cognita atque explorata est. Deo Optimo Maximo de ea re gratias egimus ex animo, illumque precati sumus, ut qui coepit opus bonum ipse perficiat, et expeditiorem Religioni propagandae rationem omnem suppeditet. Atque ea causa fuit, quare Ven. Fratres Ranaldum Macdonald Episcopum Aeryndelensem, qui in montanis Insulisque Scotiae Vicarii Apostolici hactenus munus gessit, ac Alexandrum Paterston Episcopum Cybistranum Venerabilis Fratris Alexandri Cameron Episcopi Maximianopolitani hactenus Vicarii in planis ejusdem Regni Coadjutorem, cui Nos ob Episcopi Maximianopolitani senectutem, et infirmam valetudinem contulimus plenam in illum Vicariatum jurisdictionem vehementer ab initio laudaverimus, cum Nos precati sunt, ut ob auctum valde in Scotia numerum Catholicorum et ad Religionem ibi facilius amplificandam, novum tertium in eo Regno Vicariatum Apostolicum institueremus. Neque enim vetus illa totius Scotiae divisio in duos tantum Apostolicos Vicariatus quorum alter superiorem, alter inferiorem Scotiae partem complecteretur, quae quidem divisio multo minori Catholicorum numero in ea antea commorantium gubernando satis esse praeteritis temporibus poterat, opportuna nunc esse videbatur eorum regimini, cum tanto copiosior illorum numerus in eo Regno evaserit. Neque dubitandum arbitrabamur, tertii Vicariatus Apostolici institutione novum praesidium afferendum esse Religioni in Scotia propagandae cum idcirco duobus Vicariis Apostolicis jamdiu de Fidei amplificatione optime meritis novus laborum, et Pastoralis curae consors adjungi deberet. Advenientem igitur Romam Ven. Fratrem Alexandrum Episcopum Cybistranum, ut de tam gravi negotio apud Sedem Apostolicam coram ageret, peramanter amplexi sumus, remque totam Ven. Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Negotiis Propagandae Fidei praepositis considerandam, ac perpendendam continuo commisimus, qui auctores Nobis deinde fuerunt, novam Scotiae in tres Vicariatus divisionem Religionis bono illic procurando opportunam, ac ferme necessariam videri. De eorundem igitur Fratrum Nostrorum consilio Apostolica auctoritate novum tertium in Scotia Vicariatum Apostolicum instituimus, ac immutata quae hactenus erat, Scotiae regiminis Ecclesiastici divisione, decernimus Scotiam totam in tres Districtus, seu Vicariatus Apostolicos Orientalem, Occidentalem, et Septentrionalem dividendam esse, illamque nunc ita dividimus. Districtus Orientalis Comitatus comprehendet utriusque Lathian, Perthae, Fifae, Clacmanani, Stirlinii, Angusiae, Dunfrisii, Kircubrigii, et Roxburgi, ejusque Vicariatus Sedes erit in ipsa Scotiae Metropoli Edenburgi. Districtus Occidentalis comprehendet Comitatus Lanarci, Renfrewi, Dunbretoniae, Argatheliae, Wigtoni, Insulas Occidentales, vulgo dictas Hebrides, et partem Comitatus Invernessi per lineam du-

ctam a Lacu Lochalsh Perkintail, et Glenmoriston ad Lacum Ness, et Castellum Augusti, deinde per Regionem Badenochi ad Ripam Speii Fluminis, ubi occurrit Vicariatus Septemtrionali; Occidentalis autem hujus Vicariatus Sedes erit Glasgva. Districtus denique Septemtrionalis comprehendet partem Comitatus Invernessi per limitem supra descriptum, Comitatus Aberdoniae, Banffi, Moraviae, Nairnii, Rossi, Cromartii, Sutherlandiae, Caithnessi, Orcades Insulas, et Sutherlandum. Ejusdem vero Districtus Vicarii Sedes erit Aberdonia. His ita statutis Ven. Frater Alexander Cameron Episcopus Maximianopolitanus, qui hactenus Vicarius Apostolicus in planis Scotiae erat, Orientalis Districtus Vicarius Apostolicus erit, atque Ven. Frater Alexander Paterson Episcopus Cybistranus ejus Coadjutor, plena, quam a Nobis acceperat, Episcopo Maximianopolitano vivente, in planis Scotiae jurisdictione in Orientali Districtu potietur. Ven. Frater vero Ranaldus Episcopus Aeryndelensis, qui hactenus in Montanis et Insulis Scotiae Vicarius Apostolicus erat, eodem munere fungetur in Occidentali ejusdem Regni Districtu. Pro Septemtrionali denique Districtu dilectus filius Sacerdos Jacobus Franciscus Kyle Vicarii Apostolici munus geret, quem per alias in forma Brevis Nostras Litteras Episcopum Germanicium elegimus, et ad Vicariatus officium deputavimus. Haec sunt Ven. Fratres, quae precibus etiam votisque vestris annuentes ad Ecclesiae bonum in Patria vestra augendum, in Domino constituenda esse judicavimus. Confidimus autem, Deo, qui dat incrementum, his quae a Nobis statuta sunt obsecundante, felicem faustamque Religioni novam hanc Ecclesiastici Regiminis divisionem esse futuram. Tantum est vero quo Vos praestatis animarum salutis consequendae studium, tantum quo excellitis in Ecclesiam Catholicam amor, ut, Deo opem ferente, a vestris laboribus, vigiliis, curaque Episcopis digna, uberrimos in vinea Domini fructus collecturos, vos perpetuo esse ducamus. Interea Vobis, et Catholicis omnibus Ecclesiasticae Vestrae jurisdictioni subjectis Apostolicam Nostram Benedictionem impertimur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 13. Februarii 1827. Pontificatus Nostri anno quarto.

Pro Domino Cardinali Albano

F. Capaccini Substitutus.

Episcopatus Luisianae Superioris seu S. Ludovici confertur Episcopo Josepho Rosati, retenta interim administratione Episcopatus Novae Aureliae.

Venerabili Fratri Josepho Rosati Episcopo Tenagrensi, et Ecclesiae Novae Aureliae Administratori auctoritate Apostolica deputato.

LEO PAPA XII.

Venerabilis Frater, Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Quum post acceptas Nostras in simili forma Brevis die 18. Julii elapsi anni millesimi octingentesimi vigesimi sexti datas litteras, quibus Fraternitati Tuae proponebatur Episcopatum Novae Aureliae accipere, Tu, supplici ad Nos misso libello, ac litteris Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negociis Propagandae Fidei praepositorum scriptis ita responsum dederis, et ejusmodi rationum momenta exposueris, ut ostenderes ad Religionis bonum in Luisiana uberius ac facilius procurandum omnino conducere, si tu Episcopus Sancti Ludovici in statu Missouriiano potius quam Novae Aureliae Episcopus deputaveris; Nos omnibus mature perpensis, ac de eorundem Cardinalium consilio, Te a Tenagrensi Sede in partibus infidelium, quam ad praesens obtines, transferre, et Episcopum Sancti Ludovici nominare, atque instituere decrevimus, retenta etiam a Te tanquam administratore Apostolico Dioecesi Novae Aureliae, donec aliter haec S. Sedes statuerit, quemadmodum Litteris Apostolicis praedictis illius Eccl. administratio tibi fuit commissa, Nos itaque te a quibusvis excommunication. etc. absolutum fore censentes, Fraternitatem tuam a Tenagrensi Sede in partibus Infidelium, ad aliam S. Ludovici in statu Missouriiano actu vacan. auctoritate Apostolica tenore praesentium transferimus, ac illi in Episcopum praeficimus et Pastorem, curam, regimen, et administrationem ipsius Ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, ac praeterea mandamus ut tu tamquam administrator Apostolicus Dioecesim Novae Aureliae, donec aliter haec apostolica Sedes statuerit, gubernare prosequaris, quemadmodum Litteris Apostolicis diei 18. Julii elapsi anni 1826. illius Ecclesiae administratio fuit tibi commissa. Nos vero in illo, qui dat gratiam, et largitur dona confisi, quod dirigente Domino actus tuos, praefata Ecclesia S. Ludovici per tuae circumspectionis industriam, et studium utiliter, et prospere dirigetur, parique utilitate, et prosperitate administratio Ecclesiae Novae Aureliae procedet, grataque in spiritualibus, et temporalibus incrementa suscipiet. Jugum igitur Do-

Tom. V.

D

mini tuis impositum humeris prompta devotione animi amplectens, curam et administrationem praedictas ita studeas fideliter prudenterque exercere, ut Ecclesia S. Ludovici gaudeat se provido Governatori et fructuoso administratori esse commissam, tuque praeter aeternae retributionis praemium, Nostram quoque, et Sedis Apostolicae uberius exinde consequi merearis benedictionem et gratiam. Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XX. Martii MDCCCXXVII. Pontificatus Nostri anno quarto
Pro Domino Cardinali Albano

F. Capaccini Substitutus.

Vicarium Apostolicum Londini Guillelmum Poynter Praelatum Domesticum, Pontificio Solio assistentem declarat.

Venerabili Fratri Guillelmo Poynter Episcopo Alliae
ac Vicario Apostolico Londini.

L E O P A P A X I I .

Venerabilis Frater Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Romanorum Pontificum mos atque institutum est ut ii, quos in hanc Apostolicam Sedem Romanam scilicet S. Petri Cathedram, fides et observantia vel maxime commendat peculiaribus beneficiis et gratiis augeantur et decorentur. Quocirca propensum illud studium, quod Tu Ven. Frater in eandem Sedem ostendis, Nobis qui ad praesens meritis licet imparibus Cathedram ipsam tenemus, jam exploratum atque perspectum simul cum ceteris illustribus tuis eximiisque virtutibus sedulaque opera quam in Catholicae religionis commodum in ingenti praesertim Britannica ditone ponis, quodammodo Nos impellit, ut te perinde ac si in hac alma Urbe Nostra semper adesses, inter Praelatos Nostros domesticos annumeremus, nedum honoribus Episcoporum Pontificio Solio assistentium lubenti animo afficiamus. Ideoque, te a quibusvis excommunicationis etc.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXII. Maii 1827. Pontificatus Nostri anno quarto.

Pro Domino Cardinali Albano

F. Capaccini Substitutus.

Persarum Hereditario Principi Abbas-Mirsae benevolas ob Catholicum Missionarium ab eo honorifice exceptum, literas scribit.

Celsissimo Principi Abbas-Mirsae Principi Haereditario Persarum.

LEO PAPA XII.

Celsissime Princeps Salutem.

Summos Ecclesiae Catholicae Pontifices Praedecessores Nostros imitati, qui frequentes Regibus ac Principibus Persarum inclytis majoribus tuis litteras pro re nata scripserunt, has ad Te, Celsissime Princeps, eo libentius damus, quod eas fore Tibi jucundissimas non dubitemus. Profecto muneri Nostro deesse merito videremur, si gratos animi erga Te Nostri sensus Tibi, qui tam praeclare de Ecclesia Catholica, et de Nobis meritis es, expromere omitteremus. Dilectum enim Filium Joannem Derderian Sacerdotem Armenum explorati zeli, et spectatae pietatis virum, qui non aliam ob causam in Persidem venerat, nisi ut Evangelii praedicatio saluberrimum Divini Verbi semen ibi spargeret, nefariis tamen calumniis perfide appetitum, eoque a Perside exulare jussum, Tu non modo a subeunda exilii poena exemptum declarasti, sed ipsi licere decrevisti, ut ubi velit maneat, quo sibi videatur pergat, socios adsiscat, praedicandi Evangelii ministerio libere perfungatur. Injecta subinde de Nobis mentione memorato Sacerdoti perquam humaniter a Te excepto iterum ac tertio commisisti, ut salutem Nobis Tuo nomine diceret, adderetque Nostras Te litteras expectare quorumcumque Principum litteris Tibi cariores. His propensissimi animi erga Ecclesiam Catholicam et Nos tui significationibus difficile dictu est quantopere delectati simus, et quam arctis vinculis voluntatem tibi nostram, Celsissime Princeps, obstrinxeris. Utinam opportuna se Nobis occasiones offerrent demonstrandi tibi quo in pretio sublimem dignitatem tuam et praestantissima animi tui decora habeamus, et quanto vicem tibi referendi desiderio, studioque flagremus. Quantum interea in Nobis est, Domino Dominantium supplicare non cessabimus, ut Celsitudinem tuam omni terrenae felicitatis genere compleat, et, quod momenti longe maximi est, aeternae assequendae viam ostendere tibi, ac munire pro sua bonitate velit. Has Nobiscum preces una effundunt Catholici universi isthic degentes, praecipue vero Missionarii, qui non sua, sed quae Christi sunt quaerentes in Persidem se conferunt, quos omnes, in primis autem Joannem Derderian Missionis Praefectum, gratia, quam apud te inivit penitus dignum patrocínio tuo, celsissime Princeps, quanta possumus animi contentione commendamus.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 10. Octobris 1827. Pontificatus Nostri anno quinto.

Pro Domino Cardinali Albano

F. Capaccini Substitutus.

Acta Consistorii Secreti habiti die 28. Januarii 1828., in quo Antiochenus Syrorum Patriarcha Ignatius Petrus Giarve confirmatur, eidemque Sacrum Pallium conceditur.

Epistola electorum Episcoporum ad S. Congregationem de Propaganda Fide.

Eñi, ac Rñi Domini.

Apostolico Tribunali Vestro, cui haec subjicimus, cognitum, ac perspectum est, vacasse Patriarchalem Antiochenam Syrorum Sedem, ex qua sese abdicavit ex-Patriarcha Ignatius Daher mense Septembris anni 1810., donec anno 1814. die 2. mensis Januarii Ex-Patriarcha Simon in ejus locum electus fuit. Hic vero, antequam Apostolica confirmatio, sacrumque Pallium ad eum pervenirent, libere ac sua sponte dignitatem hanc abdicavit, ob gravia adversae valetudinis incommoda; ejusque abdicationem S. V. Congregatio ratam habuit, prout clare apparet in Apostolicis Ordinationibus, quae die 20. Junii anni 1818. prodierunt. Cum igitur vidua iterum Sedes Antiochena remansisset, Nos praedictae Nationis Episcopi, intuentes desolationem, quae multa, ac varia detrimenta universae genti nostrae attulerat, ad Dei laudem, proximi utilitatem, et nostrae simul conscientiae securitatem, die 25. Februarii anni 1820. in Domino congregati sumus; atque unanimes consensu, et concordi mente, viva voce elegimus Rev. D. Gregorium Petrum Giarve Archiepiscopum Hierosolymitanum, virum orthodoxae fidei puritate, et sanae doctrinae integritate perspectum, pietate, scientia, et zelo praeditum, ceterisque virtutibus ornatum, quae necessario requiruntur in eo, qui insigni adeo dignitati idoneus habendus sit. Atque hic profecto omnia poterit reparare, quaecumque elapsis temporibus male vexata, ac depravata fuerunt. Vir est praeterea satis Vestrae Sacrae Congregationi notus. Deinde die 3. Martii anni 1820. sollemniter Pastoralem ipsi baculum tradidimus in Missa Pontificali juxta ritum Ecclesiae nostrae Syrorum Catholicae, atque illum publice renunciavimus Antiochenum Patriarcham, ejusque nomen in divinis sacrificiis, et ecclesiasticis officiis commemoravimus. Nunc igitur a Sanctissimo Domino Nostro Pio PP. VII. feliciter regnante, atque ab Eminentissimis Vestris Apostolicam confirmationem, et sacrum Ei

Pallium petimus, quemadmodum ipse quoque Patriarcha datis hac ipsa die litteris, a Summo Pontifice supplex, et a S. Congregatione implorat. Haec vero omnia acta sunt, sciente Rmo Fratre nostro Vicario Apostolico Gandolfi, ut ex ejus epistolis innotescet, quae una cum hisce nostris ad Vos pervenient. Misericordia itaque Sanctitatis Suae, et Apostolico Zelo F.E. VV. freti, cito eum in Patriarchatu Syrorum Antiocheno confirmatum iri speramus, et nostrum Vobis obsequium, ac venerationem humiliter exhibemus.

E Chesroano die 6. Martii 1820.

Humillimi, ac Devotissimi

Gregorius Simon ex-Patriarcha.

Dionysius Michael Hadaja Archiep. Aleppensis.

Loco ✕ Sigilli.

Athanasius Gabriel Homsii Archiepisc. Emessae.

Loco ✕ Sigilli

*Epistola Ignatii Petri Giarve Electi Patriarchae Antiocheni
Syrorum ad S. C. de Propaganda Fide missa.*

Erm̄i, ac Rm̄i Domini.

Non ignorat profecto Sacra Vestra Congregatio, quo in statu huc usque Syrorum gentis, atque ejusdem Antiochenae Sedis res fuerint, quae Pastore suo orba remansit, ex quo Ex-Patriarcha Gregorius Simon ejus regimen abdicavit. Nunc autem cum ego ad Monasterium S. Mariae Liberatricis, in quo Patriarchalis est Sedes, reversus essem; Venerabiles Fratres mei praedictus ex-Patriarcha atque alii Episcopi in eodem Monasterio commorantes in hoc omnes consensere, ut die 25. Februarii currentis anni, me unanimiter, ac viva voce Syrorum Catholicorum Patriarcham Antiochenum eligerent. Die vero 3. mensis Martii sollemnia juxta Ecclesiae nostrae ritum celebrata sunt, quibus interfuerunt Rm̄us D. Gregorius Patriarcha Armenus, et Episcopi, ac Sacerdotes, atque ingens Monachorum ex aliis quoque gentibus numerus, et Chesroani Magnates. Quo quidem in sacro sollemni Urbanam Fidei Professionem recitavi, quae una cum his litteris ad Vos mittitur, mei nominis subscriptione, meoque sigillo munita, atque una cum juramento, quod pronunciaui, de ea servanda, deque obedientia Apostolicae Sedi, et Summo Pontifici Pio PP. VII. ejusque successoribus praestanda.

Meae huic Epistolae adjungitur etiam supplex libellus Sanctitati Suae exhibendus, in quo ab ejus clementia peto, ut meam electionem confirmare, sacrumque Pallium mihi largiri velit. Atque ad hoc Delegatum mihi selegi fratrem meum Michaellem Presbyterum, qui nomine meo

obedientiam Summo Pontifici promittat, sacrumque pallium ab ipso acceptum ad me transmittendum curet. Idipsum a Sacra Vestra Congregatione unanimiter petimus ego, et Vicarius Apostolicus Gandolphi, ac mei fratres, uti ex eorum epistolis, quae una mittuntur ad Vos, apparet.

Cum autem haec nostra Natio tanto temporis tractu absque ullo Pastore hac illac quodammodo erraverit, atque ad interitum proxime accesserit, ne omnino eam interiisse dicam, idcirco confido fore ut cito meae electionis confirmationem consequar, ope potissimum Vestrarum Eminentiarum, quarum patrocinio summa cum veneratione memetipsum commendo.

E Chesroano die 9. Aprilis an. 1820.

Humill., Dev., atque add. Servus
Ignatius Petrus Giarve electus Syrae Nationis
Patriarcha Antiochenus.

DECRETUM SACRAE CONGREGATIONIS GENERALIS DE PROPAGANDA FIDE

Habita die 30. Julii 1827.

Cum propter renunciationem Patriarchatus Antiocheni Nationis Syrorum Catholicae ab R. P. D. Electo Patriarcha Ignatio Simone Sacrae Congregationi de Propaganda Fide oblatam, atque ab eadem S. C. die 1. Junii anno 1818. acceptatam, sedes illa Patriarchalis Antiochena vacasset, et Episcopi memoratae Nationis Catholici die 25. Februarii anno 1820. in Monasterio Sanctae Mariae Liberatricis in Monte Libano quae Patriarchalis residentia est, congregati R. P. D. Gregorium Petrum Giarve Archiepiscopum Jerosolymitanum Patriarcham elegerunt, qui sibi reservans administrationem Sedis Archiepiscopalis Jerosolymitanae nomen assumpsit Ignatii Petri.

Etsi vero memoratae Nationis Episcopi Catholici continuo ad Sacram Congregationem litteras scripserint, ut electionis a se factae Apostolicam confirmationem impetrarent; ob exortatas tamen aliquas de eadem re controversias, absolvi negotium hoc nisi post longam deliberationem non potuit.

Referente tandem Eñno, ac Rño Domino Francisco Xaverio Castiglioni S. R. E. Cardinali Episcopo Tusculano, ac Majori Poenitentiaro in Generali Congregatione habita die 30. Julii anno 1827. S. eadem Congregatio censuit, ac decrevit SSño Domino supplicandum esse pro sanatione quorumcumque defectuum etiamsi substantialium, qui occurrere potuerint in electione de qua sermo est, pro ejusdem electionis confirmatione, proque sacri Pallii concessionem electo Patriarchae. Do-

cumenta enim ejusmodi obtulit idem Electus Patriarcha, ut Sacra Congregatio omne gravissimum ab eo habeat argumentum, eum morum integritate, ingenio, ac doctrina praestantem, Deo Optimo Maximo juvante, dignitatem Patriarchalem ita esse gesturum, quemadmodum publicum illius gentis, et Ecclesiae bonum requirit; atque ita res omnes esse compositurum, ut non modo Haereticorum conatus coercerentur qui Sedis Patriarchalis Catholicae vacatione abuti se velle ostenderant ad Nationis Syrae Catholicae detrimentum; verum etiam Syrorum qui in haeresi, ac schismate hactenus vivebant ad fidem, unitatemque Catholicam conversio quae jam feliciter caepit latior, ac stabilior evadat.

Hanc autem Sacrae Congregationis sententiam SSmo Domino Nostro Leoni PP. XII. relatam per R. P. D. Petrum Caprano Archiepiscopum Iconii Sacrae Congregationis Secretarium, Sanctitas Sua benigne in omnibus probavit, et Patriarchae Confirmationis praekonizationem ac S. Pallii eidem concessionem in proximo Consistorio fieri jussit.

Datum Romae ex Aedibus dictae S. Congregationis die 16. Januarii 1828.

D. Maurus Card. Cappellari Praefectus.

Loco ✠ Sigilli

Petrus Caprano Archiep. Iconiensis
S. C. de Prop. Fide Secretarius.

His praemissis die 28. Jan. 1828. indicto de more secreto Consistorio per unum ex Dominis Caeremoniarum Magistris in Aulam Consistorialem introducti fuere R. P. D. Antonius Maria Cagianno de Azevedo Sacri Consistorii Advocatus et R. P. D. Ignatius Petrus Giarve Electus Patriarcha Antiochenus Syrorum Catholicus, ibique, flexis genibus, idem S. Consistorii Advocatus Sanctitatem Suam sic allocutus est.

BEATISSIME PATER.

Insignis Vestra Patriarchalis Ecclesia Syrorum Catholicorum Antiochiae Sanctitati Vestrae et huic Sanctae Sedi fide, et devotione addictissima, humiliter expostulat, ut Pallium de B. Petri corpore sumptum, in quo Pontificalis Officii plenitudo una cum Patriarchalis nominis appellatione confertur, Sanctitas Vestra tradi jubeat R. P. D. Ignatio Petro Giarve ad Patriarchatum Syrorum Antiochenum electo, sive postulato, pro quo obtinendo ipse R. P. D. Ignatius Petrus Giarve electus Patriarcha ea qua decet reverentia, et humilitate praesens supplicat instanter, instantius, instantissime.

Post haec Sanctissimus Dominus ita Eminentissimos Patres est allocutus.

VENERABILES FRATRES.

Postquam Venerabilis Frater Ignatius Simeon Antiochenum Syrae Nationis Patriarcatum abdicavit, ejusdem Nationis Episcopi de more convenerunt, ut in ipsius locum substituerent, quem tanto munere dignum judicavissent. Cum igitur Venerabilis Frater Gregorius Petrus Giarve Syrus Hierosolymitanae Ecclesiae Archiepiscopus pastoralium virtutum fama plurimum commendaretur, eum conlatis suffragiis Patriarcham Syro-Antiochenum elegerunt. Superseminatis autem non multo post ab inimico homine zizaniis, in dubium revocari coepta est hujusmodi electio, eaque dubia, et ortae inde dissensiones, evaserunt, ut eandem electionem vanam, irritam, nullam fuisse quidam praetracte contenderint. In hoc rerum statu Congregatio Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium gravissimis de Propaganda Fide negotiis a Nobis praeposita expectandum esse censuit, dum dissensionum aestus defervesceret, et veritas, evanescentibus quibus tegebatur nebulis, caligantes quoque oculos illuminaret. Hinc petere a Nobis distulit, ut sanatis, quae in novi Patriarchae electionem irreperere potuissent gravioris etiam momenti vitii Ven. Fratrem Ignatium Petrum Giarve, Patriarcham Syro Antiochenum auctoritate Nostra renuntiarem, illumque sacro Pallio de Corpore Divi Petri, ut mos est, sumpto decorarem. Ne quid interea detrimenti Ecclesia Syro-Antiochena caperet, eadem Congregatio Nobis supplicavit, ut ipsam Ven. Fratri Dionysio Hadaja Archiepiscopo Aleppino Vicaria potestate administrandam traderemus. Id quidem Nos libenter praestitimus, at casu plane tristi, et infausto accidit, ut constitutus a Nobis administrator non multo post supremum diem obierit, Ecclesia proinde Syro-Antiochena suo etiam administratore destituta fuerit. Quare cum nemo illis in regionibus praesto sit, qui nunc nationi Syro-Catholicae praesit ad novas dissensiones tempestive emolendas prudens laudatae Congregationis consilium amplectimur, et electionem Ven. Fratris Gregorii Petri Giarve ad Patriarchatum Syro-Antiochenum, sanato quocumque defectu confirmamus, et Sacri Pallii decus, et insignia eidem una tribuimus. Id autem eo libentius facimus, quod novus Patriarcha morum integritate, ingenio, ac doctrina praestans, documenta Nobis obtulerit, quae gravissimo argumento sunt ipsum Patriarchali munere ita perfuncturum, ut Catholica Religio praeclara apud Syros incrementa, optulante Deo, susceptura sit.

Quid Vobis videtur?

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, ac Nostra confirmamus, et approbamus Electionem a Venera-

bilibus Fratribus Episcopis Syrorum factam de persona Venerabilis Fratris Ignatii Petri Giarve Patriarchae, quem absolvimus a vinculo quo tenetur Ecclesiae Hierosolymitanae, ac transferimus ad Patriarchalem Ecclesiam Antiochenam Syrorum, praeficientes eum in Patriarcham, et Pastorem ejusdem Nationis, prout in Decreto, et Scheda Consistorialibus exprimitur, contrariis quibuscumque non obstantibus.

In Nomine Patris ✠, et Filii ✠, et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Postquam absolutum est Consistorium, et Sanctitas Sua Missam audivit in suo intimo Pontificio Sacello, quoniam memoratus R.P.D. Ignatius Petrus Giarve Patriarcha Syrorum Catholicorum praesens aderat, Sanctissimus Dominus Noster dignatus est ad Altare ab eodem juramentum fieri solitum coram accipere, atque ei pontificalibus vestibus induto suis ipsis manibus Sacrum Pallium imponere. His autem absolutis, idem Patriarcha in haec verba Sanctitati Suae amplissimas gratias egit.

GRATIARUM AGTIO.

Quod, Beatissime Pater, electionem meam in Antiochenum Syrorum Patriarcham hodierna die confirmare dignatus sis, et sacro exornare Pallio, quo Pastoralis Officii plenitudo tribuitur, tum me immeritum, tum universam Syrorum Nationem maxima profecto laetitia perfundit. Plures enimvero anni jam effluxerant, ex quo Syrorum Ecclesia magna in rerum perturbatione versabatur, nec nisi a Te pacem, tranquillitatemque expectabat. Tu igitur pro ea, quam geris, Ecclesiarum sollicitudine, ad opem ferendam Syrorum Ecclesiae hodie accurristi, et Apostolicae vocis auctoritate fluctibus agitatum in praesidii tui fidam stationem, composita tempestate, revocasti.

Quamobrem, cum singulare hoc beneficium Sanctitati Tuae acceptum referre debeam, cumque sentiam non posse me pares gratias agere, ad Sanctitatis Tuae pedes in genua provolutus polliceor, me huic Apostolicae Cathedrae, cui propter potiore principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, firmissime ad mortem usque adhaesurum, Te, qui a Deo pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam plenissimam potestatem accepisti, summo honore, ac reverentia prosecuturum, nihilque mihi sanctius futurum, quam omnia sive jussa, sive monita Sanctitatis Tuae, tamquam ab ipso Petri ore manantia excipere et venerari.

Interim quanto possum animi ardore Deum Optimum Maximum deprecans, ut Te diu nobis atque Ecclesiae universae salvum ac florentem conservet, et ea felicissime eveniant, quae pro maximo Reli-

gionis incremento, et societatis singulari felicitate, incredibili, quo flagras, zelo coparis efficere; Sanctitatem Tuam oro atque obsecro, ut me et Syrorum Catholicorum Nationem Apostolicae Benedictionis beneficio valis cumulare.

Vicarium Generalem Apostolicum dioecesis Philadelphiensis in foederatis Americae Septentrionalis provinciis constituit.

Dilecto Filio Guillelmo Matthews Presbytero Americano
et Parocho Washington.

L E O P A P A X I I .

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Quum Venerabilis Frater Henricus Conwell Episcopus Philadelphiensis per Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negociis Propagandae Fidei praepositorum invitatus Romam venturus quam primum sit, quumque Ven. Frater Ambrosius Marechal Archiepiscopus Bahimprensis qui Dioecesis praedictae Philadelphiensis administrator auctoritate Nostra Apostolica fuerat designatus, ob gravissimam, qua afficitur, infirmitatem, illud munus suscipere omnino non possit, Nos praedictae Dioecesis necessitati durante memorati Henrici Conwell Episcopi absentia a propria Ecclesia Philadelphiensi, et donec aliter ab hac S. Sede constituatur consulere volentes, ac tua pietate, prudentia, doctrina confisi, Teque etc. fore censentes, de eorundem Cardinalium consilio, Te durante absentia praedicti Henrici Conwell a propria Dioecesi Philadelphiensi, et ad Nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum Vicarium Apostolicum Generalem ejusdem Dioecesis auctoritate Apostolica tenore praesentium deputamus, salva semper in praemissis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium. Mandamus propterea omnibus et singulis ad quos spectat ac pro tempore spectabit, ut Te ad demandatam Tibi per praesentes Vicarii Generalis Apostolici officium illiusque liberam exercitium juxta tenorem praesentium recipiant et admittant, tibi in omnibus ad idem officium pertinentibus faveant, pareant, et assistant, tuaque salubria monita et mandata humiliter suscipiant et efficaciter adimplere curent, alioquin sententiam, sive poenam, quam rite tuleris in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctorante Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 16. Februarii 1828. Pontificatus Nostri anno quinto.

Pro Domino Card. Albano

F. Capaccini Substitutus.

Eximit a vectigalibus, et tributis solvendis hospitia, domos, et bona omnia Ecclesiastica Orientalium in Urbe, comprehensis etiam bonis Monachorum S. Basilii Ritus Rutheni S. Sergii, et Bacchi Urbis.

LEO PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Gravissimae calamitates quae infelicissimis hisce temporibus Ecclesiam et civilem societatem affligerunt, deinde vero magna quam haec Apostolica Sedes passa est proventus imminutio, denique necessitas, quae major evasit, subsidia mittendi ad indigentes Catholici Orbis Ecclesias pro veteri instituto, quod a Romanis Pontificibus perpetuo custoditum est, vim quodammodo intulerunt ut in locis temporali nostro ac Sanctae hujus Spdis dominio subjectis exemptio illa a publicis vectigalibus atque tributis, quam juxta Sacros Canones Bona Ecclesiastica habent Apostolica auctoritate suspendatur. Sed quum in hac alma Urbe, quae propter B. Petri Cathedram Catholici ipsius Orbis caput est, multi etiam Orientales ab antiquissimis temporibus commorari consueverint, aequum Nobis visum est, ut praefatae exemptionis usum pro istorum saltem bonis restitueremus. Quamobrem singularem gratia ac favore eos protequi volentes, motu proprio, ac certa scientia, et matura deliberatione nostra decernimus et constituimus, inter Ecclesiastica Bona ex quibus ob memoratas causas in temporali ditione Nostra percipi ad praesens tributa, et vectigalia solent, minime esse in posterum accensenda sacra hospitia, domosque, ac cetera quaecumque bona Ecclesiastica, quae in hac alma Urbe Orientales possident. Quod quidem ipsum servatum etiam volumus pro bonis Monachorum Ordinis S. Basilii Ritus Graeci Rutheni qui in eadem hac Urbe obtinent Ecclesiam, et Hospitium Sanctorum Sergii et Bacchi, vulgo S. Mariae de Pabulo ad Montes. Hinc per has ipsas Apostolicas Litteras Thesaurario Nostro generali mandamus, ut ipse ea deinde curet quae sui officii sunt, ac voluntas haec nostra plenissime pateat effectum. Haec statimus atque mandamus, decernentes has litteras firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, eisdemque Orientalibus, et Monachis

E 2

Hospitii Sanctorum Sergii et Bacchi eorum causa, quae expressa sunt, hoc futurisque temporibus plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, ac Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, et Sedis Apostolicae Nuncios, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, et auctoritate judicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus Constitutionibus, sanctionibus, et edictalibus legibus hujus Apostolicae Sedis super ea re editis, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 22. Aprilis 1828. Pontificatus Nostri anno quinto.

Pro Domino Card. Albano

F. Capaccini Substitutus.

Statuit quae controversiam omnem perimunt de redditibus temporalibus inter Episcopum Cincinnatiensem, et Provinciam PP. Praedicatorum in Ohio constitutam.

Venerabili Fratri Eduardo Episcopo Cincinnatiensi.

LEO PAPA XII.

Venerabilis Frater Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Quum, sicut Nobis relatum est, quibusdam rebus quae regularem Provinciam S. Josephi in America Septentrionali Ord. Praedicatorum, et istam Dioecesim Cincinnatiensem respiciunt, provide stabiliterque providendum sit, Nos ad re tanti momenti sententiam Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotii Propagandae Fidei praepositorum, et dilecti Filii Josephi Mariae Velzi Vicarii Generalis ejusdem Ordinis praefati prius exquirere curavimus. Perpendens proinde utriusque rationibus per dilectum Filium Nostrum Maurum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Cappellari nuncupatum Congregationis Propagandae Fidei Generalem Praefectum, et per Secretarium ejusdem Congregationis, nec non per dilectum Filium Josephum Mariam Velzi Ord. Praedicatorum Vicarium Generalem ea nobis proposita sunt approbanda, quae ad spirituale bonum, constantemque Provinciae, et Dioecesis praedictarum felicitatem conducere videntur tenoris ut sequitur.

Progetto per regolare alcuni affari della Provincia Domenicana di S. Giuseppe, e della Diocesi di Cincinnati nell' America Settentrionale, che si sottopone alla suprema approvazione di S. S.

L' E. mo Sig. Card. Cappellari Prefetto della S. C. di Propaganda Fide, l' Arcivescovo d' Iconio Segretario della medesima Congregazione, ed il R. mo P. Velzi Vicario Generale dell' Ordine de' Predicatori radunati nel giorno 18. del corrente Aprile nelle camere del prelodato E. mo, dopo la conveniente discussione convennero nei seguenti articoli.

1. Si converrà l' antica integrità, ed unità della Provincia di S. Giuseppe abrogando lo smembramento che ne fu stabilito molti anni indietro, e per conseguenza anche la divisione della medesima in due Provincie denominate una di S. Giuseppe, e l' altra di S. Ludovico Bertrando.

2. Conoscendosi che nelle presenti circostanze sarebbe sommamente utile, che Monsig. Edoardo Fenevich dell' Ordine de' Predicatori, e Vescovo di Cincinnati riunisse in se stesso colla dignità di Vescovo anche l' incarico di Commissario Generale del suo Ordine nella conservata Provincia di S. Giuseppe, il R. mo P. Velzi conferirà al medesimo Prelato perchè la possiede sua vita naturale durante la qualifica indicata colle facoltà, che le sono inerenti. Si supplicherà la Santità di N. S. a volersi degnare di derogare espressamente alle Costituzioni dell' Ordine in tutto ciò, in cui potessero essere contrarie a questa misura.

3. Sopra i fondi che attualmente possiede l' Ordine Domenicano nella detta Provincia di S. Giuseppe s' imporrà coll' autorizzazione Apostolica una pensione annua di scudi 300. Americani (Dollar) da pagarsi al Vescovo di Cincinnati nel caso che il medesimo non appartenesse all' Ordine Domenicano.

4. Tuttociò che in appresso sarà dato, e lasciato dai pii benefattori, o da altri, sia in fondi stabili, sia mobili a Padri Domenicani, considerati come tali spetterà esclusivamente ai medesimi, come altresì spetterà esclusivamente al Vescovo tuttociò che o da pii Benefattori, o da altri sarà dato, o lasciato o ad esso, o alla Cattedrale.

5. La Cattedrale di Cincinnati con i suoi locali, e case annesse restano in piena proprietà della Sede Vescovile.

6. Gli ornamenti poi, o sacre suppellettili attualmente esistenti, escluse quelle che fossero precisamente dei Domenicani, spetteranno alla Chiesa Cattedrale.

D. Mauro Card. Cappellari Prefetto.

Pietro Caprano Arciv. d' Iconio Segr. di Propaganda.

Fr. Giuseppe M. Velzi Vic. Generale dell' Ordine de' Predicatori.

A di 20. Aprile 1828. Si approva, e se ne spedisca il Breve Apostolico.

LEO PP. XH.

Ut autem praeserta et inter Congregationem praedictam et Vicarium Generalem memorati Ordinis constabilia et per Nos approbata feliciter perficiantur ac firmiter in posterum extent, accurateque observentur Apostolicis his Nostris litteris ea roborare Tibique patofacere decrevimus. Nos itaque, ac singulares personas quibus praesentes litterae favent, specialis prosequi beneficentia volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis etc. quavis occasione etc. censeantes, Motu proprio, atque ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine omnia et singula quae in praedictarum rerum serie per memoratos Praefectum et Secretarium Congregationis de Propaganda Fide et Vicarium Generalem Ordinis Praedicatorum sat egregie gestarum superius hic enarrata continentur, auctoritate Apostolica tenore praesentium deo confirmamus, rataque et valida habemus ac declaramus, illisque Apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos sive juris sive facti defectus si quos desuper quomodolibet intervenisse contigerit plenarie sanamus, atque supplemus, ac Constitutionibus Ordinis Praedicatorum, et Provinciae praedictae, quae huic dispositioni Nostrae adversari possunt expresse derogamus; tibi que Ven. Frater per praesentes injungimus, ut omnia per Nos approbata fideliter serves atque adimpleas, ac ab omnibus ad quos spectat servari, et adimpleri facias et cures. Decernentes has praesentes litteras firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac iis ad quos pertinet ac in futurum spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, ac ab omnibus inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici auditores, S. Sedis Nuncios, ac S. R. E. Cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis ac Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis nec non dictae Diaecesis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die II. Maii MDCCCXXVIII. Pontificatus Nostri anno primo.

Pro Domino Cardinali Albano

F. Capaccini Substitutus.

39

Collegium Missionum Montis S. Mariae Magdalenae prope Bracaram PP. Minorum S. Francisci Observantium erigit.

LEO PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Ex quo aeternae mentis inaccessa consilia in hoc supremae potestatis fastigium Nos immeritos evexere, ei semper studio incubuimus, ut animarum salutem, quantum in Nobis situm esset, procurarem. Quamobrem aequis omnino auribus preces excepimus Dilecti Filii Antonii a Jesu Missionarii Apostolici Fratrum Min. de Observantia, ut vocant, Excalceatorum, qui veniam construendi in Interamneni Lusitani Regni Provincia Collegium Missionariorum ejusdem Ordinis enixe postulavit. Eo autem magis votis ejus annuendum censuimus, quod ut Nobis exponere ipse haud omisit, quatuor ejusdem Ordinis Collegia de Varatojo, de Aracannes, de Vinhaes, et de Meza-Frio antea in eodem Lusitaniae Regno ad idem Sacrarum Missionum opus fundata, longe a Provincia Interamneni distent. Locus autem, quem novo huic extruendo Collegio degit est Mons S. Mariae Magdalenae prope Bracaram. Jam vero hujusmodi consilium, ut Nobis quoque significavit, initum est, consentientibus Ven. Fratre Archiepiscopo Bracarensi necnon universa Bracarensi ipsa Civitate, et Dilecto Filio hodierno Ministro Generali praedicti Ordinis, praeterea non consentiente solum, sed suam quoque protectionem spondente Joanne dum viveret Sexto tunc temporis Brasiliae Imperatore, et Portugalliae, atque Algarbiorum Rege Fidelissimo. Post haec igitur praedictus dilectus filius Antonius a Jesu facultatem a Nobis petiit, ut Collegium illud posset erigere. Nos itaque eum et alios pariter, quibus hae litterae favent a quibusvis etc. censentes. Auctoritate Nostra Apostolica consilium erigendi novum Collegium Missionariorum Ord. Minorum de Observantia Excalceator. in Monte S. Martae Magdalenae prope Bracaram approbamus, illiusque erectionem nunc pro illo tempore, quo ipsum fuerit absolutum, habemus ratam, et confirmamus. Praecipimus autem ut quae in Apostolicis litteris. fel. rec. Innocentii PP. XI. Praedecessoris Nostri, quarum initium. = Ex injuncto Nobis = sub annulo Piscatoris datis die 23. Novembris an. 1679. praescripta inveniuntur pro Collegio de Varatojo, omnia in novo etiam Collegio Montis S. Mariae Magdalenae sedulo serventur. Nos enim Collegio huic omnes illas singulasque leges, et conditiones, quae in iisdem litteris continentur. Apostolica auctoritate applicamus. Atque omnia pariter et singula privilegia, quibus earumdem Innocentii XI. litterarum vi utebatur, fruebatur Collegium de Varatojo posse etiam uti, frui Collegium Montis S. Mariae Magdalenae

concedimus. Haec autem statuimus atque mandamus decernentes Nostras has litteras firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, et earum rerum, quae expressae sunt, causa illis quos respiciunt, hoc futurisque temporibus plenissime suffragari, et ab iisdem inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, et Sedis Apostolicae Nuncios, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, et sanctionibus Apostolicis, ac praedicti Ord. et juram. Confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 23. Maii 1828. Pontificatus Nostri anno quinto.

Pro Domino Cardinali Albano

F. Capaccini Substitutus.

*Extraordinaria ratione Episcopum Berytensem Graeco-Melchitam
Pontifex ipse eligit.*

Venerabili Fratri Ignatio Patriarchae Antiocheno Melchitarum.

LEO PAPA XII.

*Venerabilis Frater Salutem, et Apostolicam
Benedictionem.*

Apostolatus officium, merito licet imparibus, Nobis ex alto commissum, quo Ecclesiarum omnium regimini divina dispositione praesidemus utiliter exequi, adjuvante Domino, cupientes, solliciti corde reddimus, et solertes, ut cum de Ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in Pastores praeficere studeamus, qui Populum suae curae creditum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi Ecclesias in statu pacifico, et tranquillo velint, et valeant, auctore Domino salubriter regere et gubernare feliciter. Dudum siquidem provisiones Ecclesiarum omnium nunc vacantium, et in posterum vacaturarum ordinationi, et provisioni Nostrae reservavimus, decernentes irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel

ignoranter contigerit attentari. Quum Sedes Archiepiscopalis Berytensis atque ab anno 1824. vacaverit ob mortem bo. me. Ignatii Daken Episcopi Ritus Graeco-Melchitae, et nova semper orta fuerint impedimenta, nec Sedes illa de novo Episcopo provideretur, attentis peculiaribus temporis circumstantiis, re mature perpensa, ne quid in ea Dioecesi Catholica Religio detrimenti capiat, Nos de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Negociis Propagandae Fidei praepositorum consilio decrevimus ob extraordinarias concurrentes circumstantias extraordinario modo providendum esse ne Ecclesia Melchitarum Beryten. diutius remaneat suo viduata Pastore, salvis tamen in futuris electionibus juribus cuicumque, et quomodocumque petentibus, Nos itaque Te a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, Tibi, Venerabilis Frater, per praesentes committimus ut auctoritate Nostra Apostolica dilectum Filium Nostrum Petrum Sciahajat Monachum Congregationis S. Joannis in Soairo nuncupati in Archiepiscopum Beryten. eligas, ita tamen; ut haec electio non habeat effectum, quatenus alia electio ad formam Instructionis praedictae Congregationis de Propaganda Fide jam fuerit pacifice, et valide peracta ante adventum praesentium litterarum, Tibique pariter, ut eidem Petro postquam ab eo Professionem Catholicae Fidei juxta articulos a Sede Nostra propositos, ac Nostro, et R. E. nomine fidelitatis debitae solitum juramentum receperis, munus consecrationis dictae Nostra Auctoritate impendere licite valeas, auctis, et in hoc Tibi assistentibus duobus Sacerdotibus saecularibus loco Episcoporum, seu cujuscumque Ordinis, Congregationis, et instituti Regularibus praedictae hujus S. Sedis gratiam, et communionem habentibus eadem auctoritate plenam, et liberam harum serie tribuimus facultatem. Volumus tamen, eademque auctoritate praecipimus, atque decernimus, ut nisi receptis prius ab illo per te ipsum juramento, et professione Fidei hujusmodi, Tu consecrationis munus dicto Petro impendere licite valeas, illeque dictum munus suscipere praesumpseris, Tu a Pontificalis officii exercitio, et tam ipse, quam Tu a regimine, et administratione Ecclesiarumstrarum suspensi sitis eo ipso. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis etc.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 4. Julii 1828. Pontificatus Nostri anno quinto.

Pro Domino Cardinali Albano

F. Capaccini Substitutus.

F.

Tom. V.

Ad Episcopum S. Ludovici, et Diaecesis Novae Aureliae Administratorem de Episcoporum juribus contra Aedituorum conatus tuendis scribit.

Venerabili Fratri Josepho Episcopo S. Ludovici, et Apostolico
Ecclesiae Neo-Aurelianensi Administratori.

L E O P A P A X I I .

Venerabilis Frater Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Quo longius Nostri et Ecclesiae Catholicae filii a Nobis absunt eo paternus Nostrae erga eos charitatis affectus intentior fit et acrior, quam de aeterna ipsorum salute gerimus cura. Quare Nos vehementer sollicitos reddiderunt. Fraternalitatis Tuae litterae, quibus nunciasti Paraeciae Neo-Aurelianensis Aedituos a supremo foederatarum Americae Septentrionalis provinciarum Senatu facultatem petivisse rejiciendi Parochos, quos sine praevio eorumdem aedituorum, et populi consensu Episcopus elegisset, quod idem est ac Episcopalia jura sibi usurpare velle, et vigentem ubique terrarum Ecclesiae Catholicae disciplinam ab imo turbare. Hujus, ut nosti, temeritatis notam sibi haud ita pridem inusserant Cathedralis Ecclesiae Philadelphiensis aeditui quos tamen feliciter Praedecessor Noster Pius VII. datis ad Archiepiscopum Baltimorem litteris graviter increpavit, et ad bonam frugem ut cito se reciperent, serio admonuit. Nihilo tamen minus aeditui Philadelphenses, neglecta Summi Pastoris voce, nimisque Episcopi sui facilitate abusi, schismaticum quod ingressi fuerant iter insistere perrexerunt, eoque progressi sunt, ut conventionem cum Episcopo iniverint, eumque ad admittendam declarationem induxerint, qua multiplex Episcoporum auctoritati vulnus infligitur, et Parochorum electio aedituorum quodammodo propria enunciatur. Quod ubi Nostra de Propaganda Fide Congregatio ad ministerium suum incessanter excubans rescivit, cum Episcopo Philadelphensi, quod minus considerate egisset plurimum quæstæ est, et conventionem, declarationemque de quibus agitur omnino improbandam esse cunctis suffragiis judicavit cui Nos iudicio Apostolicæ auctoritatis Nostræ robur illico addidimus. Quæ autem litteræ Nostro tunc nomine ad eundem et reliquos Americae Septentrionalis Episcopos scriptæ fuerunt iudicii a Nobis confirmati nuncia Catholicorum animos intime penetrarunt: eas Episcopus ipse Philadelphensis coram populo ex altari legit, et in omnibus Diaecesis suae Paraeciis legi iussit. Publicis demum typis editæ vulgo innotuerunt, et ex eo tempore Conventio Philadelphensis, ac si nunquam inita fuisset, habita est. Quæ cum ita sint, quid de Neo-Aurelianensis Ecclesiae

aedituis dicemus qui audax Philadelphiensium facinus renovare student, quique Apostolico iudicio Nostro ipsis haud certe ignoto praefracte obnituntur? Aedituis ne an Episcopis Ecclesiam suam Christus regendam dedit? Oves ne Pastori praeerunt, non Pastor ovibus? Nonne qui Episcopalia jura extenuare, et universalem Ecclesiae disciplinam convellere moliuntur, plane digni sunt in quos canonicis poenis districte animadvertatur? Sed quanto aedituorum Neo-Aurelianensium pertinacia cor Nostrum sauciavit, tanto Nobis solamini est tua Ven. Frater agendi ratio qui omni ope, omnique diligentia abnormes illorum conatus praecavere, aut retundere adnitus es, quoniam vero ad dubia a mentibus, ut scribis, imperitorum evellenda, optas, Ven. Frater ut Apostolicam auctoritatem Nostram interponere, et excitatione isthic turbas compescere, ac sedare velimus; Nos morem tuis votis libentissime gerentes, propositum, et petitionem aedituorum Neo-Aurelianensium Apostolicis hisce litteris plane altissimeque improbamus, et improbanda omnino esse decernimus. Postquam vero Nostros huiusmodi sensus aedituis Neo-Aurelianensibus manifestaveris confidimus eos facti sui poenitentes, ad officium redituros, et sua resipiscentia tantam Nobis allaturos esse laetitiam, quantum aberrando moerorem attulerant. Si autem obstinato, quod absit, animo dictis Nostris non obtemperaverint, persuasum habemus, ne sapientes quidem istarum rerum publicarum Legislatores, qui Religionis etiam Catholicae cultum sartum tectum tueri debent, ac volunt, petitioni aedituorum Neo-Aurelianensium esse auscultaturos. Interim Venerabilis Frater quos patris in ista Diaecesi refractarios argue, increpa, obsecra in omni patientia, et doctrina: Ecclesiae Catholicae undique vexatae pacem ac tranquillitatem precare, Gregem a noxiis pascuis retrahe, Lupos arce, Nostrique memor in tuis precibus esto. Quae omnia ut ferventius, alacriusque facias, Apostolicam Tibi Gregique tuo Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 16. Augusti 1828. Pontificatus Nostri anno quinto.

Pro Domino Cardinali Albano

F. Capaccini Substitutus.

Principi Hereditario Regni Persarum Abbas-Mirsa ob benevolum erga Catholicos Armenos Missionarios animum gratum, animi sui sensum significat, eique dona nonnulla destinat.

Celsissimo Principi Abbas Mirsa Principi Haereditario
Regni Persarum.

LEO PAPA XII.

Celsissime Princeps Salutem.

Summos Ecclesiae Catholicae Pontifices Praedecessores nostros imitati, qui frequentes Regibus ac Principibus Persarum inclytis Majoribus tuis litteras pro re nata scripserunt, has de Te Celsissime Princeps eo libentius damus quod eas fore Tibi jucundissimas non dubitamus. Profecto muneri nostro deesse merito videremur, si gratos animi erga Te Nostri sensus Tibi, qui tam praeclare de Ecclesia Catholica et de Nobis meritus es, expromere omitteremus. Dilectum enim filium Joannem Derderian Sacerdotem Armenum explorati zeli, et spectatae pietatis virum, qui non aliam ob causam in Persidem venerat nisi ut Evangelii Praeco saluberrimum Divini verbi semen ibi spargeret nefariis tamen calumniis perfide appetitum, eoque a Perside exulare jussum, Tu non modo a subeunda exilii poena exemptum declarasti, sed ipsi licere decrevisti, ut ubi velit maneat, quo sibi videatur pergat, socios adsciscat, praedicandi Evangelii ministerio libere perfungatur. Injecta subinde de Nobis mentione memorato Sacerdoti perquam humaniter a Te excepto, iterum ac tertio commisisti, ut Salutem Nobis tuo nomine diceret, adderetque Nostras Te litteras expectare quorumcumque Principum litteris Tibi cariores. His propensissimi animi erga Ecclesiam Catholicam, et Nos Tui significationibus difficile dictu est quantopere delectati simus, et quam arctis vioculis voluntatem Tibi nostram, Celsissime Princeps, obstrinxeris. Utinam opportuna se Nobis occasiones offerrent demonstrandi Tibi quo in pretio sublimem dignitatem Tuam, et praestantissima animi tui decora habeamus, et quanto vicem Tibi referendi desiderio flagremus. Nostrorum hujusmodi sensuum quoddam veluti pignus esse volumus munuscula, quae Nostro nomine ad Te perferentur, et quae grata, acceptaque Tibi fore confidimus non tam per se ipsa, quam quod eximiae benevolentiae in Te nostrae documento futura Tibi sint. Sed studiis erga Te nostris primo loco annumerari abs Te cupimus preces, quas Domino Dominantium incessanter offerimus, ut Celsitudinem tuam omni terrenae felicitatis genere compleat, et, quod momenti longe maximi est, aeternae assequendae viam ostendere Tibi, ac munire pro sua bonitate velit.

Has nobiscum preces una effundunt Catholici universi isthic degentes, praecipue vero Missionarii, qui non sua, sed quae Christi sunt, quaerentes in Persidem se conferunt, quos omnes, in primis autem Joannam Derderian Missionis Praefectum, gratia, quam apud Te inivit penitus dignam, patrocinio Tuo, Celsissime Princeps, quanta possumus animi contentione commendamus.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 20. Septembris 1828. Pontificatus Nostri anno quinto.

Societati Leopoldinae Vindobonae ad Missiones in Americae Septentrionalis foederatis Provinciis juvandas mox institutae indulgentias impertitur.

LEO PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quamquam plura sint, quae in gravissimo Nostro apostolatus ministerio animum Nostrum non leviter perturbent, atque sollicitent, siquidem accepimus, nonnullos non catholicam modo religionem aversari, sed et alios si possent, in errorem inducere studere, ille tamen Deus totius consolationis haud patitur angoris Nostri solatia deesse, ut labores, curae, atque sollicitudines, quas continenter ferimus, aliquando leniantur. Quod accidit profecto nuper, ingentique summo gaudio perfusi, ubi audiverimus in Regno Carissimi in Christo Filii Nostri Francisci Primi Austriae Imperatoris et Hungariae Regis Illustris Societatem esse institutam, quae dicitur: *Leopoldinen Stiftung*, quaeque Presbyteris Evangelii causa mittendis pro viribus consulendum curat. Quid enim Christianae Reipublicae utilius, quid praestabilius, quam Verbi Dei praeconio justos magis magisque confirmare, et devios a vitiorum in salutis semitam perducere? Et sane, ut inquit Apostolus, quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine praedicante? quomodo vero praedicabunt, nisi mittantur? Nos itaque hujusmodi Societati quantum Deo propitio possumus, favere cupientes, preces ejus nomine Nobis allatas alacri libentique animo excipere statuimus, dum a Nobis petatum est, ut sacris aliquibus Indulgentiis eandem ipsam ditare velimus. Quapropter de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum cujus auctoritate confisi singulis quibusque in eam Societatem cooptatis vere poenitentibus, suaque peccata confessis et Dominici Corporis dape resectis, quo die in eandem recepti Societatem fuerint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem misericorditer in Do-

mino concedimus. Plenarias illis, acque Indulgentiam post deteras, sa-
 ora confessione vitas sordes, acceptamque Eucharistiam die octava
 mensis Decembris, nec non die, quo festum agitur S. Leopoldi, ac se-
 mel quolibet mense, si per mensem superiorem in singulas dies Ora-
 tionem Dominicam, Salutationem Angelicam, ac verba S. Leopoldo
pregate per noi dixerint, ac dummodo publico aliquo in templo pro
 Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, gloriaque
 S. Matris Ecclesiae pias ad Deum preces effundant, impertimur. Has
 autem litteras perpetua volumus efficacia pollere; earumque exemplis
 etiam impressis, manuque publici Notarii subscriptis, et per constitu-
 tum in Ecclesiastica dignitate virum sigillo munitis eandem fidem tri-
 buendam statuimus, quae concessioni Nostrae hoc ipso Diplomate osten-
 so haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 30. Ja-
 nuarii 1829. Pontificatus Nostri anno sexto.

Th. Card. Bernetti.

LITERAE APOSTOLICAE PII PAPAE VIII.

*Diaecesim Mobiliensem erigit, quae status Alabamae, et Flori-
 darum comprehendat, et Archiepiscopo Baltimoreensi tanquam
 Metropolitana subjaceat.*

PIUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Inter multiplices gravissimasque Apostolatus Nostri curas non exi-
 gua ea tenet partem quae Dioecesium per universum Orbem distribu-
 tarum respicit statum, siquidem supremas potestatis, iudiciumque Nostri
 est; novos earum limites constituere, vel constitutos immutare, pro-
 ut habita temporum ac circumstantiarum ratione, Fidelium utilitati
 conducere dignoscimus. Quum per Apostolicas Litteras sel. rec. Leonis
 PP. Decessoris Nostri die 26. Augusti 1825. datas Alabamae, et Flo-
 ridarum status in Septentrionalis Americae provinciis Vicarium Apo-
 stolicum constituere decretum sit, donec rebus mature perpensis ii-
 dem status in unam peculiarem Diaecesim definitive erigerentur,
 quumque Ven. Frater Michael Portier Episcopus Olenen. in partibus
 Infidelium cui Vicariatus ille Apostolicus per memoratas Decessoris lit-
 teras gerendus commissus est, Romam veniens accuratam illorum
 statuum descriptionem, et veram ad religionem in iis pertinentium
 expositionem exhibuerit, ex qua notitia plena eorum, quae ad Reli-

gionis bonum ibi promovendum opportuna ac necessaria sunt hauriri facile posset, Nos de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, eodem status in veram et proprie dictam Diaecesim, cujus limites sint statuum ipsorum limites, cujusque Sedes esse debeat. Civitas Mobiliae in statu Alabamae, quae denique quoad jus metropoliticum subjecta esse debeat Archiepiscopo pro tempore Baltimoreensi. Nos itaque ad Dei Omnipotentis gloriam, fideliumque spiritualem utilitatem motu proprio, et ex certa scientia maturaque deliberatione Nostra, deque Apostolicae Potestatis plenitudine, et praesentium Litterarum Apostolicarum, status Alabamae et Floridarum Septemtrionalis Americae provinciis in veram, et proprie dictam Diaecesim, cujus limites sint statuum ipsorum fines, cujusque Sedes esse debeat Civitas Mobiliae in statu Alabamae, quae denique quoad jus metropoliticum subjecta esse debeat Archiepiscopo pro tempore Baltimoreensi, erigimus, et Diaecesi sic per Nos erectae jura consueta attribuimus. Mandantes propterea omnibus, et singulis ad quos spectat, ac in futurum spectabit, ut praedictis dispositionibus Nostris se subjiciant, illasque accurate exequi teneantur. Decernentes has praesentes litteras firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus ad quos pertinet, et pertinebit quomodolibet in futurum inviolabiliter observari ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 15. Maii 1829. Pontificatus Nostri anno primo.

J. Card. Albanus.

Dimissa ab Episcopo S. Ludovici administratione diocesis Novae Aureliae, hujus diocesis proprium Episcopum constituit.

Dilecto Filio Presbytero Leoni de Nekeré Belgae.

PIUS PAPA VIII.

Dilecte Fili, Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Apostolatus officium etc. attentari. Quum Venerabilis Frater Joseph Rosati Episcopus S. Ludoviciano statu Missionario in America Septentrionali, et Administrator Apostolica auctoritate deputatus Novae Aureliae, Nobis exposuerit, sibi valde difficile esse utriusque Diaecesis curam diutius regere, quumque ostenderit ad Religionis in-

crementum in Diacesi Novae Aureliae procurandum, in primis opportunum esse, proprium illius Diacesis Episcopum eligere, qui ibi residens, et alterius Diacesis negotiis non distractus, commodius atque utilius Ecclesiam illam gubernare possit, Nos de Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Card. negotiis Propagandae fidei praepositorum consilio, Episcopum Novae Aureliae eligere, et instituere statuimus; ad Te, dilecte Fili, oculos mentis Nostrae dirigentes, de cujus pietate, doctrina, prudentia, morum integritate, ac Religioni amplificandae studio, nec non de legitima aetate, et origine, praeclara accipimus testimonia; quibus omnibus mature perpensis, Te a quibusvis etc. censentes, eandem Episcopalem Ecclesiam Novae Aureliae, revocata quacumque facultate memorato administratori alias concessa de persona Tua Nobis et praedictis Cardinalibus obtinorū exigentiam meritorum accepta de eorundem Fratrum consilio, auctoritate Apostolica tempore praesentium providemus, Teque illi in Episcopum praeficimus et pastorem etc. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. M. Majorem sub annulo Piscatoris die 4. Augusti 1829. Pontificatus Nostri anno primo.

J. Card. Albanus.

Diacesim Carolinopolitanam erigit, etinque ab Apostolica Sede immediate dependere debere constituit.

PIUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Inter multiplices gravissimasque Apostolatus Nostri curas non exiguam ea tenet partem quae Diacesim per universum Orbem respicit statum. Siquidem supremae potestatis, iudiciiue Nostri est illas moderari, earumque limites constituere, vel immutare prout habita temporum ac circumstantiarum ratione, Fidelium utilitati convenire dignoscimus. Quum liquidem Nobis expositum sit ad Religionis bonum in Insula Principis Eduardi, in Nova Brunopoli, et Insulis Magdalenae utilius ac expeditiori ratione procurandum opportunum esse eas regiones e Diacesi Quebecensi separare, atque in peculiarem Episcopatum erigere: Nos rem tanti momenti Congregationi Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum examinandam committimus, rebus proinde omnibus mature perpensis, et praecipue ratione habita litterarum, quibus Ven. Frater Bernardus Claudius Panet Archiepiscopus Quebecensis libere ac luolenter ma-

nifestavit consensum suum de memoratarum regionum a Sede sua separatione, de eorundem Fratrum consilio, ejusdem Episcopatus erectionem perutilem cognovimus: Motu igitur proprio, et ex certa scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine Insulam Principis Eduardi, novam Brunopolim, et Insulas Magdalenae a Diaecesi Quebecensi perpetuo separantes, eas regiones in peculiarem Episcopatum, qui ceteroquin huic S. Sedi debeat esse immediate subjectus, donec aliter ab ipsa S. Sede statuatur, cujusque Episcopalis Sedes sit in insula Principis Eduardi Urbs Carolinopolitana, ex qua derivetur Episcopatus ejusdem titulus, et qui denique comprehendat in Diaecesi sua praeter Insulam Principis Eduardi, novam Brunopolim, et Insulas Magdalenae, vi praesentium litterarum erigimus, atque statuimus. Decernentes has litteras firmas, validas, et efficaces existere et fore etc. quibuscumque.

Datum Romae apud S. M. Majorem sub Annulo Piscatoris die 11. Augusti 1829. Pontificatus Nostri anno primo.

J. Card. Albanus.

Francisco I. Austriae Imperatori, et Apostolico Hungariae, ac Bohemiae Regi Catholicos Orientales commendat, ut eorum ratio habeatur in conventu inter Europeos Principes et Mohammedanorum Imperatorem habendo.

Charissimo in Christo Filio Nostro Francisco Austriae Imperatori
Hungariae Regi Apostolico et Bohemiae Regi Illustri.

PIUS PAPA VIII.

*Charissime in Christo Fili, Salutem et Apostolicam
Benedictionem.*

Afflictas Constantinopoli Catholicorum res, eorumque fidem saeviori persecutione tentatam cum cognovisset Leo XII. glor. mem. Praedecessor Noster, implorata continuo pro miseris illis Dei O. M. misericordia, subinde convertit se ad Caesaream Majestatem Tuam; Litterisque anno superiore die 11. Martii datis Tuam pro iisdem opem, ac patrocinium exposcere festinavit. Nos ergo cum probe sciamus huic Nostri Praedecessoris desiderio Tuam non defuisse operam, et scilicet Te, Charissime in Christo Fili Noster, non destitisse a vexatis Catholicis per Internuncium praesertim Tuum Constantinopoli residentem opportuno quovis auxilio fovendis maximas Nos etiam gratias Tibi agimus, et habemus. Nec sane dubitamus, quin pro eo, quo ferves pro-

Tom. V.

G

tegendae Religionis ardore illud ipsum majori admodum studio ad praesens acturus sis; quum videlicet inter Turcarum Dominatorem, et praecipuos Europae Principes novae de gravissimis rebus tractationes Constantinopoli instituendae sunt, in quibus Orator, seu Internuncius Majestatis Tuae idoneas certe inveniet occasiones, ut jura Catholicorum asserat, eorumque causam, Tuo nimirum nomine et auctoritate interposita, tueatur. Sed ea, qua premimur sollicitudo omnium Ecclesiarum urget Nos, ut in hac ipsa temporis opportunitate impense iterum a Majestate Tua flagitemus, ut quod pro tua eximia pietate ultro facturum fuisses, id intuitu etiam novae hujus commendationis Nostrae alacrius validiusque praestes. Hac profecto, quam imploramus ope, tutelaque Tua digni in primis sunt Catholici Armeni, qui in novissimis Orientis turbis vehementiore, quam ceteri, persecutione agitati, praeclarissimum, toto spectante orbe, praebuerunt Christianae fortitudinis exemplum. Novit autem Majestas Tua, Armenos ipsos ideo potissimum fuisse vexatos, quod Turcarum Dominator fraude Schismaticorum incitatus, Armenum Patriarcham Schismaticum pro unico cunctorum Armenorum Antistite agnoscat; Quare ab Imperiali Majestate Tua omni opere curandum censemus, ut dominator idem ab eo demum consilio desistat, ac de rebus ad Catholicos Armenos pertinentibus non jam cum Schismatico Patriarcha Catholicis ipsis in infenso, sed cum eo agat qui Catholicis Armenis Constantinopoli praeest. At vero non Armenos solum, sed reliquos etiam tum Constantinopolitanae Urbis, tum aliarum Orientalium Regionum Catholicos, illos etiam qui in locis degunt Graecae dominationi subjectis, vel subjiciendis, Apostolica, ut debemus, sollicitudine Nostra complectemur. Atque idcirco eos omnes potentissimo Majestatis Tuae patrocinio commendamus. Nostra nempe vota eo tendunt, ut in tuto ibi ponatur liberum prorsus Catholicae Religionis exercitium, et nemo in posterum vexari, seu aliquo suorum temporalium jurium detrimento affici propterea possit, quod Catholicam profiteri fidem, et sanctissima Dei Ecclesiaeque praecepta custodire velit. Insignis, Carissime Fili Noster, pietas Tua, et fervens ille quo Religionem prosequeris amor, certam in spem Nos adducunt; commendationes has Nostras maximum pondus habituras apud Caesaream Majestatem Tuam, cui Benedictionem Apostolicam cum perpetuae felicitatis Tuae voto conjunctam, et cum Imperiali Familia Tua universa communicandam amantissime impertimur.

Datum Romae apud S. M. M. sub Annulo Piscatoris die 20. Julii 1829. Pontificatus Nostri anno primo.

J. Card. Albanus.

Francorum Regi Christianissimo Carolo X. de eadem re scribit.

Charissimo in Christo Filio Nostro Carolo Francorum
Regi Christianissimo.

PIUS PAPA VIII.

*Charissime in Christo Fili, Salutem, et Apostolicam
Benedictionem.*

Perpetuus Christianissimorum Regum Majorum Tuorum mos fuit Catholicis Turcarum Imperio subjectis patrocinari, eosque a calamitatibus, quas praeferrent, aut sibi paratas scirent eruere, vel praeservare. Quocirca simul ac Leo XII. fel. rec. Praedecessor Noster commotam illic adversus Catholicos dolo malo Schismaticorum persecutionem novit, Christianissimae Majestatis Tuae opem e vestigio imploravit, enixeque petiit ut Catholicis praesertim vero Armenis immani barbarie Constantinopoli vexatis adesset, et qua pollebat apud Othomanum Imperatorem auctoritate, et gratia tantae, ac tam sevae crudelitatis cessationem impetraret. Cum vero persecutionis, de qua agitur, aestus nihil, aut parum deferbuerit; Novis Te precibus, Charissime in Christo Fili Noster, sollicitandum duximus, ut opportunis, et validissimis officiis Tuis pristinam miseris illis Catholicis tranquillitatem restitui cures, quo Religionis, quam profitentur, cultui libere, ac sine molestia vacare possint. Hoc autem bono Graecos quoque Catholicos frui cum aequissimum sit, Christianissimam idcirco Majestatem Tuam etiam atque etiam rogamus, ut si nova regiminis forma in Graeciam introducatur, civica ibi libertate, liberoque Religionis exercitio Graecos quoque Catholicos donari contendat et velit. Ad Armenos vero reliquosque Catholicos Turcico Imperio subditos quod attinet, facile ab Othomano Imperatore quod petimus obtinebis, si eidem persuaseris non ipsi cum Patriarcha Schismatico Catholicis infensissimo, sed cum eo, qui Catholicis Constantinopoli praest, de rebus ad Catholicos pertinentibus agendum esse. Oblatam hanc de Catholicis omnibus, nominatim Armenis inter Turcas degentibus bene merendi occasionem Te pro Tua pietate, tuoque Religionis ubique servandae, tuendaeque zelo alacriter suscepturum, additurumque hoc modo novam, nec ulla oblivione delendam nomini Tuo gloriam plane confidimus, dum Christianissimae Majestati Tuae Benedictionem Apostolicam cum Regia Familia universa communicandam amantissime impertimur.

Datum etc. die 20. Julii 1829. Pont. Nostri anno primo.

J. Card. Albanus.

G 2

*Vicariatus Apostolico Novae Scotiae Promontorium Britannum
a Diaecesi Quebecensi separatim adscribit.*

P I U S P A P A V I I I .

Ad perpetuam rei memoriam.

Inter multiplices gravissimasque Apostolatus Nostri curas non exiguam ea tenet partem, quae Diaecesium per Universum Orbem distributarum respicit statum, supremam siquidem potestatis iudicii Nostri est illas moderari, earumque limites constituere vel immutare, prout habita ratione temporum et circumstantiarum Fidelium utilitati conducere dignoscimus. Quum itaque ad Religionis negotia commodius, et expeditius in Promontorio Britanno in America Septentrionali procurandum, et ad fidei Catholicae propagationem ibi facilius consequendam, Nobis relatum fuerit, in primis opportunum esse memoratum Promontorium e Diaecesi Quebecensi separare, et jurisdictioni subijcere Vicarii Apostolici Novae Scotiae, quae ipsi Promontorio valde proxima est; Nos de Venerabilium Fratrum etc. consilio hujusmodi separationem probavimus. Ut autem hujusce deliberationis perpetuum extet testimonium auctoritate Nostra Apostolica tenore praesentium Britannum Promontorium a Diaecesi Quebecensi separantes, illud Vicariatus Apostolico Novae Scotiae adjungimus ac jurisdictioni illius Vicarii Apostolici pro tempore subijcimus. Non obstantibus etc. quibuscumque.

Datum Romae apud S. M. M. sub Annulo Piscatoris die 4. Septembris 1828. Pontificatus Nostri anno primo.

J. Card. Albanus.

Dimissa per Congregationem Clericorum Regularium S. Pauli, et Barnabae Missione Avana, et Peguensi, Vicarium Apostolicum alio modo ibi constituit.

Dilecto Filio Friderico Cao Presbytero Congregationis Clericorum Regularium Matris Dei Scholarum Piarum nuncupat.

P I U S P A P A V I I I .

Dilecte Fili Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Quum Missio in Regnis Avae et Pegu constituta ab anno 1793. viduata jaceat, non solum Vicario Apostolico Episcopali caractere

insignito ob mortem bo. me. Cajetani Mantigazza Episcopi Maximianopolitani ultimi illius Vicarii Apostolici, verum etiam Sacrorum Ministrorum inopia ad eas angustias redacta sit, ut unus dumtaxat senex Missionarius ex Congregationis S. Pauli Presbyteris in ea reperiat, nec praesto sint ex eadem Congregatione alij subrogandi, Congregatio Particularis de Propaganda Fide censuit ac decrevit, audita relatione Dilecti Filii Nostri Mauri S. R. E. Presbyteri Card. Cappellari nuncupati ejusdem Congregationis Praefecti, ratam habendam esse renuntiationem hujus Missionis emissam nomine Congregationis praedictae atque aliorum Sacrorum Ministrorum ope Missionis Avae et Pegui bono consulendum. Quum autem inter Sacerdotes, qui Missionem illam adire parati sunt, unus eligendus sit, qui ceteris praeficiatur, eoque mittatur caractere Episcopali insignitus, et dicto Episcopo Maximianopolitano in Vicariatu Apostolico subrogandus; Nos, omnibus mature perpensis, ac habita ratione meritorum tuorum, de ejusdem Congregationis Propagandae Fidei consilio Te a quibusvis etc. censentes, Te quem per alias Nostras in simili forma Brevis hodie datas literas Episcopum Zameu in partibus Infidelium renuntiavimus, in Vicarium Apostolicum Missionis Avae et Pegui cum iisdem facultatibus, quibus ultimus Vicarius Episcopus Maximianopolitanus fruebatur, ad Nostrum, et Sedis Apostolicae beneplacitum auctoritate Apostolica tenore praesentium eligimus, et deputamus, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium de Propaganda Fide.

Datum Romae apud S. M. M. sub annulo Piscatoris die XV. Junii 1830. Pontificatus Nostri anno secundo.

J. Card. Albanus.

*Sedem Archiepiscopalem, et Primatiam pro Armenis Catholicis
in Urbe Constantinopolitana erigit.*

PIUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Quod jamdiu a Patre misericordiarum communia omnium vota impense efflagitabant, id tandem datum fuisse gratulamur, faciente ipso tranquillitatem quando validior tempestas efferbuerat. Vere enim mutatio haec fuit opus dexteræ Excelsi, qui dans vocem virtutis inclytis Christianorum Principum Legatis in re Catholica apud potentissimum Turcarum Imperatorem juvanda eam insuper mentem eidem Summo Imperanti injecit, ut animo quo est magno et excelso Catholi-

cos Armenos, quos praeter virtutes ceteras fides etiam in Principem commendaverat illustribus favoris praecipui, et benevolentiae testimoniis cumulaverit. Liberum quippe iisdem nunc est aedem dedicare, publice ibidem divinis officiis operari, supplicationes, conventus, solemniaque omnis generis habere, quia exterior isthaec Catholicae religionis procuratio, vel afflicta, vel praepedita interceptaque ullo modo sit. Sancitum praeterea est, ipsos a Schismaticis separatos prorsus ac sejunctos esse, sublatisque idcirco statutis, quibus subdebantur Schismaticis eorumque Patriarchae ab omni erga ipsos subjectione, obedientia, parendique obligatione, vel sacris, vel civilibus in rebus soluti prorsus, exemptique perpetuo sunt. Quae quidem omnia nemo non videt in ingentem utilitatum cumulam ad Catholicam Fidem in illustri Armenorum Natione favendam, augendamque fore feliciter redundatura: sed majora adhuc ac certe praeter expectationem assequi insuper potuerunt ab summa Imperatoris benignitate iisdem Christianorum Principum legati quorum saepe maxima in Religionem merita volumus honoris causa Nostro hinc testimonio commendata. Quod enim tantopere ad Catholicae disciplinae incolumitatem, et ad aptiorem sacrorum procuracionem; nec non ad felicioram totius Ecclesiastici Ordinis statum conferre palam est peculiarem scilicet Episcopatus constitutionem, quo Antistes in gregis bonum adscitus impensiori pro muneris officio instantia ac sollicitudine eidem regendo, informando, juvandoque; speciatim adlaboret, id etiam conciliatum edicimus, ut nimirum Archiepiscopi et Primatis Armenorum Catholicorum Sedes Constantinopolis ad canonum regulas rite constituatur. Magnificantes igitur miserationes Auctoris, Consummatorisque Fidei laetificantis animam Nostram secundum multitudinem dolorum quibus ob sollicitudinem omnium Ecclesiarum in tanta temporum difficultate conficimur, Nostras illico curas cogitationesque convertimus ad uberrimos harum dispositionum fructus Catholicis Armenis adproperandos, quos ob studium Orthodoxae Fidei, ob animi magnitudinem, et ob constantem in Imperatorem observantiam conspicimus Divinae Providentiae liberalitate e maxima tribulatione recreatos. Res itaque universae ratione per VV. Fratres Nostros S. R. E. Cardinales Propagandae Fidei praepositos diligenter perpensa, haec quae sequuntur de Apostolicae potestatis plenitudine, ac de matura deliberatione Nostris decernimus, et mandamus, atque sancimus. Placuit siquidem Constantinopolitanam Urbem, quae tot tantisque nominibus vel a priscis temporibus illustris praefulsit, Archiepiscopalis ac Primatialis Sedis honore insigniri, ut Catholici Armeni iis legibus exsoluti, quibus sub Schismatici Patriarchae potestate erant ibidem subjecti, proprii Ritus ea ipsa in Civitate Antistitem habeant qui pleno legitima jurisdictionis, et auctoritatis jure eosdem moderetur, pascat, regatque. Inde siquidem fiet, ut quo

praexcellentiore splendeat Catholicae Armenorum Ecclesiae conditio, major in eam populorum veneratio invalescat, firmiorem sacrorum Praesidum potestatem in ecclesiastica disciplina servanda exercent, faciliusque in ipsius professionem se tradant christianae legis cultores. Quare pro impenso Nostrae affectionis studio, quo Catholicos Armenos complectimur, certa spe freti majora inde spiritualium bonorum incrementa pro ea Dominici Gregis parte esse promanatura, exorato ad tanti momenti negotium definiendum Divini luminis praesidio ad laudem, et honorem Omnipotentis Dei, et SS^{mae} Genitricis Dei Mariae, Beatorum Apostolorum Petri, et Pauli, nec non in Catholicae Fidei exaltationem, Sedem Archiepiscopalem et Primatiam in Urbe Constantinopolitana pro Armenis Catholicis ibidem, et in reliquo Othomano Imperio degentibus, qui in praesens subsunt spirituali regimini, ac jurisdictioni Vicarii Nostri Apostolici Patriarchalis Constantinopolitani perpetuo erigimus, et instituimus, Ecclesiamque pro ipsis Armenis Catholici Ritus Constantinopoli aedificandam vel quae praeter ceteris praecipuo hoc honore magis ibidem digna existimabimus in Archiepiscopalem, ac Primatiam Ecclesiam Constantinopolitanam nuncupandam, et Archiepiscopi Primatisque Constantinopolitani Armenorum Sedem Ecclesiasticaeque Provinciae eidem abdicandae caput, qui quidem Archiepiscopus et Primas Palki de Corpore Beati Petri sumpti more solito conferendi, et Crucis usum, prout ceteri Metropolitanus, ac Primates habeat, ceterisque privilegiis, honoribus, et praerogativis Archiepiscopis, et Primatibus debitis et concessis, ac juribus, praeminentiis, indulgentiis realibus, et personalibus, et mixtis, quibus aliae Metropolitanae, et Primatiales Ecclesiae, earumque Praesules legitimo jure fruuntur, uti, frui possit, et valeat, similiter tenore praesentium perpetuo erigimus, et instituimus, ac nomine, titulo, et honore Archiepiscopali Metropolitanus, et Primatialis decoramus, nec non pro tempore existentem Catholicam hujusce Armenorum Ecclesiae Constantinopolis Praesulem in Archiepiscopum Metropolitanum et Primatem declaramus, eique, ut ipse ibidem, et in sibi commissa Provincia quidquid Metropolitanus ac Primatibus in suis Diaecesibus, ac Provinciis a jure attributum est facere, et administrare possit eadem Apostolica auctoritate concedimus, et indulgemus. Quocirca Ecclesias olim Episcopales, seu Archiepiscopales Armenas jamdiu suis Pastoribus viduatas, ideoque Nostri Vicarii Apostolici Patriarchalis Constantinopolitani regimini commissas, uti etiam Ecclesias Apostolica auctoritate in iis Provinciis de novo erigendas cum suis Clero, et Populo Armeno Catholico Ecclesiasticis Beneficiis, et Officiis Ecclesiasticis cum cura, et sine cura animarum Clero Saeculari, seu Regulari Armeno Catholico addictis, (extincto prius quolibet Metropolitico Episcopali alterove, si quod forte in iis extet speciali etiam mentione indicando jure)

in nova Ecclesiastica Provincia Armena Constantinopolitana esse, et consistere, neque in alia Ecclesiastica Provincia censendas, et numerandas esse decernimus, et declaramus, easque, et illarum singularum Praesules ut Archiepiscopo Metropolitano Armeno Catholici Ritus subsint, eique obedientiam, reverentiam tamquam proprio Metropolitano, et Primati prorsus exhibeant eidem perpetuo subicimus, ac pro ejusdem Ecclesiae, et Metropolitanus Primatis Provincialibus perpetuo concedimus, et assignamus, reservantes Nobis, et Successoribus Nostris ea in posterum sancire quae in hac sic constituta Ecclesiastica Provincia pro temporum, locorum, personarumque rationibus magis in Domino expedire dignoscentur. Haec volumus atque mandamus, non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Quae autem fidenti animo praesentique confisi Patris luminum ope libenter decrevimus, ea ut fausta, felicia, ac salutaria Catholicis Armenis contingant, humili a Deo prece efflagitamus. Ipsi vero in tantum bonorum cumulum, quando nulla pene spes effulgebat mire evocati Hostiam laudis eorundem Largitori Deo offerant laetabundi, aditanturque aemulari in dies charismata meliora constanti imprimis ad religionem tuendam studio, sanctitate morum, purioris disciplinae cultu, integritate doctrinae, fideque in Apostolicam Sedem immobili. Id vero se se assequuturos haud sperent, nisi quae SS^mus Praedecessor Noster S. Leo Pontifex monuit ob oculos habeant assidue, eaque sibi apprime servanda proponat. „ Connexio scilicet totius corporis unam sanitatem, unamque pulchritudinem facit; et haec connexio unius quidem corporis unanimitem requirit, sed praecipue exigit concordiam Sacerdotum. „ Datum Romae apud S. M. M. sub Annulo Piscatoris die 6. Julii 1830. Pontificatus Nostri anno secundo.

J. Card. Albanus.

*Primum Archiepiscopum Primatem Armenorum
Constantinopolis eligit.*

Dilecto Filio Antonio Nurigian Presbytero Armeno.

PIUS PAPA VIII.

Dilecte Fili, Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Apostolatus officium meritis, licet imparibus Nobis ex alto commissum, quo in Ecclesia Dei Universa divina dispositione fungimur, utiliter exequi, adjuvante Domino, cupientes solliciti corde reddimus

et solertes, et nova Constantinopolitana Sedes Armena Archiepiscopalis Metropolitana et Primatialis quam Armenis Catholicis a Schismaticorum servitute Legatorum Christianorum Principum officiis, et potentis Othomanorum Imperatoris jussu liberatis auctoritate Apostolica ereximus, eum habeat Pastorem, qui sciat, velit, et valeat auctore Domino non solum doctrina, sed etiam morum integritate ac boni operis exemplo populum sibi creditum informare, et sibi commissum Gregem in statu pacifico et tranquillo salubriter regere, et feliciter gubernare. Cum itaque novo Constantinopolitano Archiepiscopo Metropolitanorum Primates Armeni Ritus consulendum sit Ecclesiastico regimini Armenorum Catholicorum qui in ipsa sunt Urbe Constantinopolitana, et in iis potentis Othomanorum Imperii Provinciis, in quibus Schismatici Episcopos Armenos Catholicos esse non patiebantur, quique proinde Vicarii Apostolici Latini Ritus Constantinopoli degentis curae commissi fuerant, cumque strenua fidei Catholicae professione iidem Armeni Catholici promeriti fuerint, ut eum habeant Pastorem, quem iis commendatum esse constaret, Nos, audito Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio ad Te, qui Alumnus Congregationis praedictae de Propaganda Fide, et ex legitimo matrimonio procreatus, et in aetate etiam legitima constitutus existis, cujusque apud Nos de morum integritate, doctrina, et Religione, ac spiritualium providentia, et temporalium circumspicione fide digna testimonia perhibentur, oculos mentis Nostrae direximus, quibus omnibus mature perpensis, Te a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, ac quacumque de causa latis si quos forte incurristi, hujus tantum Indulti assequendi gratia absolventes, et absolutum fore censentes, Te in Constantinopolitanum Archiepiscopum Metropolitanum Primatem praefatarum Provinciarum cum usu Pallii de Corpore B. Petri sumpti et Crucis Metropolitanorum Primatum more, et cum facultatibus, ea quae ad Archiepiscopos Metropolitanos Primates spectant, gerendi, et exercendi, cum Suffraganae Diaeceses vel restituae, vel de novo auctoritate Apostolica erectae, et circumscriptae fuerint, et praeterea cum privilegiis, honoribus, et praerogativis omnibus Metropolitanis, Primatibus debitis et concessis, auctoritate Apostolica tenore praesentium eligimus, et nominamus, curam, regimen, et administrationem illius Metropolitanae et Primatialis Ecclesiae plenarie tibi committendo, in Illo qui dat gratiam, et largitur dona confisi quod dirigente Domino actus tuos Archiepiscopalis Ecclesia praedicta per tuae circumspicionis industriam, et studium utiliter et prospere dirigetur, grataque in spiritualibus, et temporalibus incrementa suscipiet. Jugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione animi amplectens, curam, et administrationem prae-

dictas ita studeas, fideliter, prudenterque exercere, ut Constantinopolitana Archiepiscopalis Ecclesia praedicta gaudeat se provido gubernatori et fructuoso administratori esse commissam, Tuque praeter aeternae retributionis praemium, Nostram quoque, et Sedis Apostolicae uberius exinde consequi merearis benedictionem et gratiam. Ceterum ad ea quae in tuae cedere possunt commoditatis augmentum favorabiliter respicientes, Tibi ut a quocumque, quem Tu malueris, Catholico Antistite etiam Latini Ritus S. Nostrae Sedis gratiam, et communionem habente, accitis, et in hoc ei assistentibus duobus aliis Episcopis etiam pariter Latini Ritus, vel, quatenus hi commode reperiri non poterunt, duobus eorum loco Presbyteris saecularibus, seu cujuscumque Ordinis, Congregationis, et Instituti Regularibus, similem praedictae hujus Sedis gratiam, et communionem habentibus, munus Consecrationis recipere libere, et licite possis, et valeas, ac eidem Antistiti, ut, receptis a Te prius Catholicae Fidei professione juxta articulos pridem a Sede Nostra propositos, ac Nostro, et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae solito juramento praedictum munus tibi auctoritate Nostra impendere licite valeat, eadem auctoritate plenam et liberam harum serie tribuimus facultatem. Volumus autem et eadem auctoritate praecipimus, atque decernimus, ut nisi receptis a Te per dictum antistitem juramento, et professione Fidei hujusmodi, ipse Antistes Consecrationis munus tibi impendere, Tuque illud suscipere praesumpseris, idem Antistes a Pontificalis officii exercitio, et tam ipse, quam Tu a regimine, et administratione Ecclesiarumstrarum suspensi sis eo ipso. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. M. M. sub Annulo Piscatoris die 6. Julii 1830. Pontificatus Nostri anno secundo.

J. Card. Albanus.

Episcopum Dromorensem Armacani Archiepiscopi Coadjutorem, cum Conciliatoris munere ad componenda Ecclesiastica negotia Galviam mittit.

Ven. Fratri Thomae Kelly Episcopo Dromorensi Armacani
Archiepiscopi Coadjutori.

PIUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Quod est vel maxime optandum, et quod unum ad animarum

salutem ac bonum vel maxime pertinet, id profecto est, ut pax Dei, quae exsuperat omnem sensum a cunctis Christifidelibus singulari cura et studio exquiratur, eaque vel diligentissime servetur. Nos igitur licet immerito quum arcano divinae providentiae consilio in Apostolatus culmine constituti Christi Jesu hic in terris Vicariam geramus operam, qui nostra pax est, et dedit Nobis ministerium reconciliationis, vehementer cupimus, ut Christi pax, qua nihil dulcius, nihilque pulchrius esse potest, exultet in cordibus omnium in qua et vocati sumus in uno corpore. Quum itaque in florentissima Galviae Civitate, quae in Provincia Connaciensi in Hibernia sita saepenumero non omnia ex ordine fiant quae Guardiani, et Vicariorum electionem respiciunt, atque hac ex causa non levia in Ecclesiasticum regimen damna, et detrimenta redundare accepimus, Nos huic rei occurrere volentes, VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium Congregationi, quae christiano nomini propagando studet, commisimus, ut hujusmodi negotium cognosceret, Nobisque referret quam ratione incommodis mederi posset, quae ea in electione proficiscuntur. Quae S. C. postquam ea omnia maturo examine animadvertit, quae ad hanc rem pertinere posse videbantur, Te, Venerabilis Frater, in Galviae Civitatem mittendam esse censuit, tranquillum pacis opus cunctis nectere. Quamobrem Nos hujusmodi S. C. consilium probantes, quum compertum exploratumque sit quanta sane doctrina, prudentia, ac sapientia praestes, Nostris haec litteris Tibi committimus, ut Galviam petas, et vehementer in Domino hortamur, ut ibi Conciliatoris munere fungens, quantum in Te est, Apostolico zelo jaceas fundamenta pacis, et in id potissimum omnem industriam, curam, mentem, cogitationemque conferas, ut dissidentium animos componas, eosque ad concordiam, tranquillitatemque exites atque inflames. Quo quidem in munere obeundo ex peculiaribus mandatis, quae tibi ab eadem S. C. erunt mittenda, tuae curae erit omnia singulari diligentia cognoscere, quae illius Civitatis ac Ditionis populis recte administrandis opportuna esse possunt, et prudenti consilio explorare quosnam effectus quaelibet immutatio possit afferre. Nulli autem rei manum admoventis, omnibus de rebus Sac. Congregationem Fidei Propagandae praepositam certiorum accuratissime facias, ejusque monitis praeceptisque naviter obsequens quidquid ab ea Tibi agendum commissum fuerit, id unum omni studio, ac diligentia conficies. Tuis porro animi dotibus confisi non dubitamus, quin tuus ad Galviam adventus cuique civium ordini gratus acceptusque sit, atque omnia ex voto succedant. Interea temporis singularis benevolentiae testimonium Tibi edere volentes, Apostolicam Nostram Benedictionem Tibi peramanter imperitumur.

Datum Romae apud S. M. Majorem sub annulo Piscatoris die 16. Julii 1830. Pontificatus Nostri anno secundo.

J. Card. Albanus.

*Patriarcham Babylonensem Chaldaeorum Joannem Hormez
Archiepiscopum Mosulensem constituit.*

PIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

*Venerabili Fratri Joanni Hormez Archiepiscopo Mosulensi
in Patriarcham Babylonensem Chaldaeorum electo
Salutem etc.*

Cum Patriarchalis Ecclesia Babylonensis Chaldaeorum cui bo. me. Josephus denominatus IV., ultimus illius Patriarcha dum viveret praesidebat, per obitum dicti Josephi Patriarchae qui pluribus ab hinc annis extra Romanam Curiam debitum naturae persolvit, Pastoris solatio destituta, atque ob locorum, et temporum vicissitudines, et ob gravia simulque diuturna in ea Natione excitata dissidia, Sedes illa Patriarchalis huc usque vacaverit, et fel. rec. Leo PP. XII. Praedecessor Noster ad Religionis bonum apud illas Gentes procurandum, ex voto Congregationis S. R. E. Cardinalium negotiis de Propaganda Fide praepositorum, post maturam hac super re deliberationem, Sedem Patriarchalem praedictam, de novo Patriarcha providere statuerit, quia morte proventus id exequi potuerit; Nos ad provisionem ejusdem Patriarchalis Ecclesiae, paternis et sollicitis studiis intendentes post deliberationem, quam de praeficiendo eidem Patriarchali Ecclesiae personam utilem, ac et fructuosam; cum eisdem Patribus Nostri S. R. E. Cardinalibus habuimus diligentem. Demum ad Te Archiepiscopum Mosulensem, consideratis grandium virtutum meritis, quibus personam Tuam illarum Largitor Altissimus multipliciter insignivit, et gravissimis Testimoniis accepto, Te probatissimam vitae rationem agere, et constantiae argumenta praebere, Te perpetuo juxta Nostram, et Sedis Apostolicae expectationem esse gesturum, ita ut praedictae Patriarchali Ecclesiae Babylonensi Chaldaeorum praefici dignus censearis, dictam Patriarchalem Ecclesiam scies, voles, et poteris, Auctore Domino, salubriter regere, et feliciter gubernare, direximus oculos Nostrae mentis. Intendentes igitur tam dictae Patriarchali Ecclesiae, quam ejus Gre-

gi Dominico salubriter providere, Teque a quibusvis suspensionis etc. ad hoc dumtaxat, ut translatio, provisio, et praefectio per Nos ut infra facien., praesentesque Nostrae litterae, suum debitum sortiantur effectum harum serie absolventes, et absolutum fore censen. juxta Decretum a Congregatione eorumdem Fratrum Nostrorum praedictae S. R. E. Cardinalium negotiis de Propaganda Fide praedicta praepositorum emanatum, et per Nos et approbatum, Te, licet absentem, a vinculo quo Archiepiscopali Ecclesiae Mosulensi cui hactenus, ut praefertur, praefuisti, tenebaris, de Fratrum eorumdem consilio, et Apostolicae potestatis plenitudine absolventes, ad eandem Patriarchalem Ecclesiam Babylonensem Chaldeorum, de consilio, et potestatis plenitudine similibus eadem Apostolica auctoritate transferimus, Teque illi in Patriarcham praeficimus et Pastorem, curam, regimen, et administrationem dictae Patriarchalis Ecclesiae, Tibi in spiritualibus, et temporalibus plenarie committendo, liberamque Tibi ad dictam Patriarchalem Ecclesiam transeundi licentiam tribuendo. In illo qui dat gratias, et largitur praemia confidentes, quod dirigente Domino actus tuos, praedicta Patriarchalis Ecclesia sub Tuo felici gubernio regetur utiliter et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus, et temporalibus suscipiet incrementa; quo circa Fraternitati Tuae per Apostolica scripta mandamus, quominus ad eandem Patriarchalem Ecclesiam, cum gratia Nostrae benedictionis accedens, curam et administrationem praedictas sic exercere studeas, sollicite, fideliter, ac prudenter, quod exinde sperati fructus proveniant, et Tuae bonae famae odor etc. diffundatur etc., Tuque praeter aeternae retributionis praemium, Nostram et dictae Sedis benevolentiam, et gratiam, exinde uberius consequi merearis; nec non Venerabilibus Fratribus Nostris, universis Archiepiscopis, et Episcopis Suffraganeis orthodoxis, ac Dilectis Filiis Vassallis etc. mandamus etc. Volumus autem, quod Tu antequam regimini, et administrationi dictae Patriarchalis Ecclesiae Te in aliquo immisceas, in manibus duorum Venerabilium pariter Fratrum Nostrorum Archiepiscoporum vel Episcoporum, gratiam, et Communionem Sedis Apostolicae praedictae habentium, et in istis Partibus degentium, seu alterius eorum fidelitatis debitae solitum praestes Juramentum juxta unam, ac Fidei professionem Orientalibus a Sede Apostolica praescriptum, juxta alterum formas praesentibus adnotatam emittas, et sic a Te praestiti juramenti, et Professionis Fidei formas ad eandem Congregationem de Propaganda Fide de verbo ad verbum per Tuas patentes Litteras tuo sigillo munitas, per proprium nuncium quantocius transmittere omnino tenearis, quibus, et eorum cuilibet per easdem praesentes mandamus ut ipsi vel etc. Juramentum, et Professionem hujusmodi juxta easdem formas recipiant seu recipiat. Forma autem

Juramenti quod praestabis talis est, = Ego Joannes Hormez Patriarcha Babylonensis Chaldaeorum ab hac hora etc.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo trigesimo tertio nonas Julii Pontificatus Nostri anno secundo.

Postmodum concessum fuit eidem Patriarchae a Sanctitate Sua Sacrum Pallium de corpore Beati Petri sumptum sub eadem die.

LITERAE APOSTOLICAE SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI
GREGORII PAPAE XVI.

*Erigit in Diaecesim proprie dictam Guardianatum Galviensem
in Hibernia.*

G R E G O R I U S E P I S C O P U S

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Sedium Episcopaliū erectiones pro Gregis Dominici commodo, et faciliori regimine sancire consueverunt Romani Pontifices, ne impensae, qua premuntur de salute animarum sollicitudini defuisse viderentur; Nosque item ubi in rei sacrae utilitatem cessura dignoscantur benignitatis Apostolicae providentiam desiderari minime patimur. Jam usque a XV. Saeculo, rec. mem. Innocentius PP. Octavus Praedecessor Noster, gravibus de causis, et adjunctis illorum temporum accomodatis, Apostolicis suis litteris datis die octava mensis Februarii anni Domini millesimi quadringentesimi octogesimi quarti, Civitatem Galviam cum suo Districtu, quoddam veluti nullius censendam esse, decrevit, statuitque Superiorem Ecclesiasticum appellandum esse Guardianum, et idcirco Districtus ille ex tunc Guardianatus Galviensis fuit vocitatus. Hujusce autem Guardianatus instituendi ratio fuerat praecipua, ut Angli eo tempore Galviam incolentes, proprium haberent Superiorem Ecclesiasticum, simulque immunes ab incursionibus, et vexationibus finitimorum hominum, qui tunc Anglis Galviae incolis erant infensi, Anglicanum Ritum possent observare. Primariis insuper Anglis Galviam incolentibus, qui tribus et Patroni laici fuerunt appellati, Guardianum eligendi contulit privilegium, voluitque Guardiani munus ad unum dumtaxat perdurare, et novam quotannis Guardiani fieri electionem, itemque collegiatam Ecclesiam sub invocatione Sancti Nicolai

Galviae existentem Sedem esse quodammodo Guardianatus, et quoddam Guardiani quasi Capitulum efformari a nonnullis Sacerdotibus Vicariis appellatis, qui una cum Guardiano diversas Galviae Paroecias tum intra tum extra Civitatem administrarent. Horum autem Vicariorum Electionis privilegium tribuit memoratis Patronis laicis, ita ut Guardianus Electus institutionem a Vicariis acciperet, et Vicarii a laicis Patronis electi, a Guardiano canonice instituerentur. Graves deinde inter Archiepiscopum Tuamensem, et Clerum Populumque Galviensem, circa Guardianatus Galviensis privilegia excitatae controversiae, cla. mem. Clementem PP. XII. Praedecessorem similiter Nostrum adduxerunt ad edendas die 21. Aprilis anni 1733. Apostolicas in forma Brevis litteras incipien. = Redemptoris = quae imminuendis saltem incommodis, opportune in primis esse videbantur. Cum enim Civitas, et Districtus Galviensis ad Provinciam metropolitanam Connaciensem pertineant; jura metropolitana in illum Guardianatum asserta fuerunt, emissa declaratione, ad Metropolitanum spectare jus visitationis quolibet triennio faciendae in eo Guardianatu, et appellationes a sententia Guardiani in secunda instantia excipiendi, exponendo disertius inter cetera, et declarando quod ad asserendam, et explicandam Guardiani jurisdictionem, in primis necessarium erat, ac etiam est sancitum, ut Guardiani electio non quotannis, sed quolibet triennio fieret, et collatum munus Guardiani ad tres annos in posterum perduraret. Frequentes in posterum ad hanc S. Sedem allatae fuerant quaelaelae, ex quibus apparebat valde difficile evasisse ea in electione Guardiani et Vicariorum servare, quae ad negotium ejusmodi, cum vera Ecclesiae utilitate peragendum, necessario servari debent. Tales profecto litterae, non solum a Connaciensis Provinciae, sed etiam a reliquarum Hiberniae Provinciarum Episcopis, scriptae ac probatae ad hanc S. Congregationem de Propaganda Fide fuerunt missae, quibus exponebantur rationes omnes gravissimae requirentes omnino, ut ad Religionis Catholicae bonum Civitati, et Districtui Galviensi procurandum, Ecclesiastica illius Regionis negocia Sedes Apostolica componenda susciperet, quoniam eas causas, quae laudatum Pontificem Innocentium ad illum Guardianatum instituendum adduxerant, jam amplius non adesse luculenter ostendebant, et jus seu privilegium Electionum ab eo concessum, atque a Clemente PP. XII. confirmatum, ita irregulariter exercen. dictitabant; ut maximae civium parti omnino incongruum videretur, nec posset sine ambitu, et sine turbis effectum suum sortiri. Talis demum omnium rerum est facta expositio, ut aperte constiterit ad Catholicae Religionis utilitatem, ad Ecclesiastici Ordinis servandum decus, ac disciplinam, ad totius Gregis curam spiritualem salubrius gerendam, necesse fore Galviam ejusque Districtum ad eam Ecclesiastici regiminis formam perducere, quae universalis Ec-

clesiae disciplinae ac regimini per cunctas Hiberniae partes prorsus esset consentanea. Id autem non aliter effici posse, nisi Galviam in propriam Episcopalem Dioecesim a ceteris omnibus distinctam erigendo, tum Cleri, tum Populi Galviensis omnes ordines declararunt. Hanc in finem sa. mem. Pius PP. VIII. itidem Praedecessor Noster, Venerabiles Fratres Thomam Kelly Episcopum Dromorensem, ac Guillelmum Crolly Episcopum Dunensem, et Connorensem de praedictae Congregationis consilio, Galviam misit cum sui in forma Brevis Apostolicis litteris datis die XVI. Junii anno 1830., quibus ostendebatur praedicto Dromorensi Episcopo, una cum memorato Episcopo Dunensi et Connorensi, munus ab Apostolica Sede fuisse collatum, ut conciliatoris munere fungens, Ecclesiastica Galviensis Districtus negocia opportuna methodo componenda curaret, quod sibi feliciter contigisse, idem Thomas Episcopus renuntiavit binis Epistolis datis decima tertia et vigesima secunda diebus superioris octobris, asserendo universorum ordinum ipsius Civitatis erga Sedem Apostolicam singularem observantiam, ardensque desiderium, propriam habere Sedem Episcopalem, Archiepiscopo Tuamensi suffraganeam, ut sublata hoc pacto veteris Ecclesiastici regiminis forma ibi vigente, gravia usque adhuc perpessa incommoda, imposterum evitentur. Nos igitur accepto voto memoratae S. Congregationis de Propaganda Fide, et admissa Guardianatus Galviensis dimissione sponte facta a Venerabili Fratre Edmundo Frenck Episcopo Duacensi, et Finaborensi ad suas Diaeceses sese conferendi parato, ac insuper inspecta tum praedicti Guardiani Frenck tum Patronorum laicorum, seu Tribuum Galviensium summa cum laude peracta renunciatione privilegiorum, quae hactenus in Guardiani, et Vicariorum electionibus obtinuerant, simulque reliquorum ordinum civium Galviensium de rebus Ecclesiasticis feliciter absolvendis, concordi animo sollicitudine omnibusque plenarie, ac rite perpensis ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris deque Apostolicae potestatis plenitudine praevia suppressione, extinctione, et annullatione supradictorum Guardianatus, et Vicariatuum Galviensium, firma tamen possessione Paroeciarum a modernis Vicariis respective obtentorum collegiatam Ecclesiam Galviensem sub invocatione Sancti Nicolai ad gradum Cathedralis Ecclesiae evehimus, et extollimus. Illamque metropolitico Jure pro tempore exercentis Archiepiscopi Tuamensis, uti Suffraganeam subjicimus, ac in ea Sedem, Cathedram, et Dignitatem Episcopalem pro uno deinceps Episcopo Galviensi nuncupan., qui Diaecesim habeat ex ipsa Civitate, ac Districtu Galviensi efformandam, qui Ecclesiae, Civitati, ac Diaecesi Galviensi prosit, ac omnia, et singula jura, officia, et munia Episcopalia exerceat, eadem Apostolica auctoritate erigimus, et constituimus. Futuro interea Episcopo Galviensi facultatem tribuimus, novum Cathedrale Capitulum stabiliendi iis mo-

do, et forma, quibus pro sui iudicio, et prudentia, magis in Domino expedire iudicaverit. Ut autem congrue, ac decenti pro tempore exercitis Episcopi Galviensis sustentationi, et Pastoralium munerum comodo exercitio consulatur, prae oculis habentes ejusdem Episcopatus annuos redditus ad biscentum dumtaxat libras monetae Anglicanae posse aestimari, et ideo valde aequum esse alia ipsi comparare subsidia, decernimus, ut cum Episcopo Galviensi mos ille servandus sit, quem Apostolica Sedes erga reliquos Hiberniae Episcopos servat, aliquam scilicet Paroeciam tanquam mensalem iis conferendo, qua possint ex parochialibus redditibus temporalibus occurrere necessitatibus. Atque idcirco Parochialem Ecclesiam Galviensem de Ragoon nuncupatam a supramemorato Praesule French in praesens obtentam, et ab eo resignandam, cum ad proprias Diaeceses se conferat, reservata sibi vita sua naturali durante pensione annua, respondente tertiae parti fructuum, vel reddituum ipsius Paroeciae, illam, futuro Episcopo Galviensi una cum Episcopali Ecclesia retinendam, pari Apostolica auctoritate ex nunc pro tunc conferendam statuimus. Praesentes vero litteras et in eis contenta quaecumque nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut quolibet alio quantumvis substantiae defectu notari, impugnari, vel in controversiam vocari minime posse, sed semper et perpetuo validas et efficaces existere, et fore, et ab omnibus ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum observari debere, et si secus super his a quoquam contigerit attentari, irritum et inane decernimus, non obstantibus laudatorum Innocentii Octavi, et Clementis Duodecimi, aliorumque Romanorum Pontificum litteris, Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque, et speciali, et individua mentione dignis contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrarum suppressionis, erectionis, statuti, facultatis, decreti, derogationis, ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem anno Incarnat. Dominicae millesimo octingentesimo trigesimo primo, sexto kal. Maii Pontificatus Nostri anno I.

B. Card. Pacca Pro-Datarius.

Visa de Curia D. Testa

J. Card. Albanus.

V. Cugnionus.

Tom. V.

I

Visitorem Apostolicum Coenobii S. Petri in Montorio, et Collegii Missionum ibi existentis constituit Eñum S. R. E. Cardinalem Jacobum Philippum Fransonium.

Dilecto Filio Nostro Jacobo Philippo S. R. E. Presbytero
Cardinali Frasoni nuncupato.

G R E G O R I U S P A P A X V I.

Dilecte Fili Noster Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Volentes Nos Sacrae Visitationis inquisitione statum Coenobii et Collegii Fratrum Minorum Sancti Francisci Reformatorem nuncupatorum in Sancto Petro in Montorio Urbis prospicere, et de tua prudentia, doctrina, religione, et rerum usu plurimam in Domino fiduciam habentes, Te, Dilecte Fili Noster, in Visitorem Apostolicum Coenobii, et Collegii praedictorum cum omnibus, et singulis facultatibus, juribus, et indultis huic muneri adnexis, auctoritate Apostolica tenore praesentium ad Nostrum, et Sedis Apostolicae arbitrium eligimus, et deputamus. Quocirca universis et singulis dictorum Coenobii, et Collegii Superioribus et Fratribus, aliisque ad quos spectat, ac quomodolibet spectabit in virtute Sanctae Obedientiae praecipimus, atque mandamus, ut Te in Visitorem Apostolicum per Nos juxta tenorem praesentium electum, et constitutum omni cum reverentia excipiant, Tibique pareant, faveant, et assistant: Non obstantibus Constitutionibus et sanctionibus Apostolicis, nec non dictorum Coenobii, et Collegii etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. M. M. sub Annulo Piscatoris die 30. Aug. 1831. Pontificatus Nostri anno primo.

Th. Card. Bernetti.

Episcopi Philadelphiensis R. P. D. Enrici Conwell jurisdictionem Episcopalem cessasse declarat, et illa R. P. D. Kenrick Coadjutorem ab Apostolica Sede donatum esse.

G R E G O R I U S P A P A X V I.

Ad futuram rei memoriam.

Summi Consilii Pontifex Pius VIII. Praedecessor Noster quum

Venerabilem Fratrem Franciscum Patritium Kenrick Episcopum Arathensem in partibus infidelium instituit, et Coadjutorem cum jure successionis Ven. Fratris Henrici Conwell istius Philadelphiensis Ecclesiae Episcopi deputavit; gravissimis causis adductus, de consilio Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, confirmavit Decretum jam ante a se editum, quo idem Episcopus Conwell omni jurisdictione Episcopali in illam Diaecesim destitutus intelligi deberet, et praeterea eam omnem jurisdictionem ipsi Episcopo Kenrick ejus Coadjutori confirmare statuit. Cum vero pluribus acceptis testimoniis locupletibus luculentisque constet per istam Diaecesim hoc generatim exploratum non esse, tranquillitati idcirco atque ordini in ejus regimine aliqua ratione prospiciendi necessitatem perspeximus. Qua propter de consilio eorundem Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium singulis Christifidelibus totius Philadelphiensis Diaecesis notum, manifestumque facimus commemoratum Episcopum Conwell vi Decreti ab ipso Praedecessore Nostro confirmati ab omni jurisdictionis Episcopalis exercitio cessasse, et nunquam ab hac Apostolica Sede in eo fuisse restitutum, sed eam omnem jurisdictionem in Ven. Fratre Francisco Patritio Kenrick, cui jam collata fuerat, omnino contineri. Interea vero dum hoc declaramus, et patefacimus, auctoritate Nostra utrique Clero, et Populo universo Diaecesis Philadelphiensis mandamus, ut Episcopum Kenrick hujusmodi potestate insignitum recipiant, et admittant, eique plenam obedientiam, et reverentiam exhibeant, alioquin sententiam, quam rite tulerit, quamque statuerit poenam adversus inobedientes, et contumaces ratam habebimus, et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Datum Romae apud S. M. M. sub Annulo Piscatoris die 9. Septembris 1831. Pontificatus Nostri anno primo.

Th. Card. Bernetti.

Erigit Vicariatum Apostolicum in Regno Coreae.

G R E G O R I U S P A P A X V I.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex debito Pastoralis officii superna Dei providentia humeris nostris impositi onus ferentes totius Gregis Dominici, illis praecipue ovibus, quae Regiones a Sede hac Apostolica, ubi Catholicae centrum est unitatis, longe dissitas incolunt, majori consulendum sedulitate

censemus, ut in adventu Pastoris aeterni reperta, sicut oportet, per Apostolicam curam intra verum ovile ad pascua coelestia vocari valeant, feliciterque perducant. Quum non minima spes fulgeat, ut tandem aliquando in Coreae Regnum Missionarii Apostolici ingredi queant, qui Christianorum illic degentium necessitatibus subveniant, eamque Vineae Domini partem Catechesibus excolant et Sacramentorum administratione: Quumque praefati Regni Incolae non nisi raro, et difficillime cum ceteris Sinarum Regionibus communicare possint, Nos de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negociis Propagandae Fidei praepositorum consilio, opportunum ducimus, Regnum Coreanum nunc pro tunc in novum Vicariatam Apostolicam constituere ab Episcopo Pekinensi omnino independentem. Motu igitur proprio ac ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, vi praesentium Litterarum Apostolicarum, Coreanum Regimen in novum Vicariatam Apostolicam nunc pro tunc erigimus, et in eo Vicariatam Apostolicam constituendum ab Episcopo Pekinensi omnino independentem declaramus, ac hujusmodi Vicario ab hac Sancta Sede eligendo omnes et singulas facultates Vicariis Apostolicis in Regionibus Sinarum vel locis adjacentibus concedi solitas dicta nostra auctoritate concedimus et impertimur, decernentes has praesentes Nostras litteras firmas, validas, ac efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac iis ad quos spectat, ac in futurum spectabit, plenissime suffragari, et ab omnibus inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios et Delegatos, et Causarum Palatii Apostolici auditores, Sanctae Sedis Nuntios, ac S. R. E. Cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate judicari et definiiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et sanctionibus Apostolicis etc. quibuscumque.

Datum Romae apud S. M. M. sub Annulo Piscatoris die 9. Septembris 1831. Pontificatus Nostri anno primo.

Th. Card. Bernetti.

Vicarium Apostolicum constituit in Regno Coreano.

Ven. Fratri Bartholomaeo Bruguiere Episcopo Capsen.

G R E G O R I U S P A P A X V I.

*Venerabilis Frater, Salutem, et Apostolicam
Benedictionem.*

Pastorale officium Nobis ex alto commissum nihil Nos magis sollicitat quam Christifidelibus ut in viam mandatorum Dei dirigantur, atque ad aeternam animarum suarum assequendam salutem opportunis praesidiis adjuventur, omni quo cum Deo possumus studio providere. Quum itaque tu, Ven. Frater, qui Coadjutor Episcopi Sozopolitani Vicarii Apostolici Siamensis, humiliter petieris, ut tibi liceat Coreanum Regnum ingredi, et Coreanorum Neophytorum curam suscipere, Nos perpensis Coreanorum Christianorum necessitatibus, habitaque insuper ratione quod Vicarius Apostolicus Siamensis facili negotio alium idoneum Presbyterum invenire possit, quem in Coadjutorem sui eligat, de consilio Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium tuis precibus benigne annuentes, tibi permittimus, ut, si nihil obstat, ad novam Missionem proficiscaris, qua quidem ad exitum prospere feliciterque perducta, etiam nunc Te in Vicarium Apostolicum pro Regno Coreae cum omnibus facultatibus Vicariis Apostolicis in Regionibus Sinarum, vel Sinis adjacentibus concedi solitis ad Nostrum, et Sedis Apostolicae beneplacitum auctoritate Apostolica tenore praesentium eligimus, et deputamus, facimus, et constituimus, salva tamen semper in praemissis Congregationis eorumdem Cardinalium auctoritate. Mandamus propterea in omnibus, et singulis ad quos spectat, ac spectabit in posterum, ut tibi in praemissis prompte pareant, et obediant, tuaque salubria monita, et mandata humiliter suscipiant, et efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris, seu statueris in rebelles ratam habebimus, et faciemus auctorante Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus etc. quibuscumque.

Datum Romae apud S. M. M. sub annulo Piscatoris die 9. Septembris 1831. Pontificatus Nostri anno primo.

Th. Card. Bernetti.

Visitatorem Apostolicum constituit Monasterii S. Mariae de Cabra Ordinis S. Dominici, R.P.D. Archiepiscopum Dublinensem.

Ven. Fratri Danieli Archiepiscopo Dublinen.

GREGORIUS PAPA XVI.

Venerabilis Frater Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Quum Dilectae in Christo Filiae Moniales Ord. S. Dominici Monasterii S. Mariae de Cabra prope Dublinium pluribus, et quidem gravibus adductae rationibus, omnino necesse esse exposuerint ad tranquillitatem recuperandam ad Monasterii disciplinam, et ejusdem temporalem reparandam administrationem, Monasterium ipsum tuae jurisdictioni subijci, Nos rebus omnibus mature perpensis, consideratisque testimoniis veritatem totius rei confirmantibus, earum votis benigne annuere censuimus; Nos igitur omnes, et singulos quibus hae litterae favent peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis etc. censentes, tua prudentia, integritate, vigilantia, et religionis zelo plurimum confisi de VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio Te in ejusdem Monasterii Visitatorem Apostolicum harum litterarum vi ad Nostrum, et hujus S. Sedis voluntatem constituimus, et deputamus, interdicta interim in illud jurisdictione dilectorum filiorum PP. Ord. S. Dominici Praedicatorum nuncupat. Tibi propterea Ven. Frater injungimus, ut dictum Monasterium per Te vel per alium, seu alios Ecclesiasticos viros a Te eligendos visites, ac in illius regularem disciplinam annuosque redditus, et proventus, atque etiam jura, expensas, et aes alienum si quid fuerit conflatum, accurate inquireas, ac omnia quae pro recta illius disciplina et aeconomica administratione juxta datam Tibi a Domino prudentiam, necessaria, et opportuna fore duxeris, statuas, praescribas, decernes. Nos enim Tibi quaslibet facultates gerendi, decernendi, exequendi, et fieri mandandi tribuimus, et impertimur. Mandamus autem in virtute S. Obedientiae, ac sub poenis arbitrio Nostro infligendis omnibus ad quos spectat ut Te in Visitatorem Apostolicum Monasterii de quo agitur constitutum reverenter recipiant, et recognoscant, ac Tibi in omnibus ad visitationem hujusmodi spectantibus omnino pareant, et obsequantur, tuaque salubria monita, et mandata humiliter suscipiant, et omnino adimplenda curent, alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus, et faciemus auctorante Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus Apostolicis,

ac in Universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, et specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, nec non Monasterii praedicti etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, Privilegiis quoque Indultis, et Litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 20. Dec. 1831. Pontificatus Nostri anno primo.

Pro Domino Cardinali Albano.

A. Picchioni Substitutus.

Patriarchae Syrorum R. P. D. Petro Giarve commendat ut ad Montem Libanum revertatur et in Monasterio S. Ephrem resideat.

Venerabili Fratri Ignatio Petro Patriarchae Antiocheno Syrorum

G R E G O R I U S P A P A X V I.

*Venerabilis Frater Salutem, et Apostolicam
Benedictionem.*

Non sine magno animi Nostri dolore accepimus Monachos Fraternitati Tuae subditos in vitia quaeque proclives, per ora hominum deduci tamquam gravissimorum criminum reos, Pastoralis Nostra cura non patitur Nos tacere dum sal videmus infatuari in iis per quos alii condiendi essent homines. Quare paterno, quo Te prosequimur, amore monemus ne Tuorum subditorum criminibus connivendo participes. Tibi cura esse debet de singulis, neque sicuti oportet malis poteris opportunam afferre medelam, si diutius a Tua residentia absis, quam sine gravissima causa, et inconsulta Sede Apostolica mutare non debes. Quare necesse est, ut ad Montem Libanum redeas, et in Monasterio S. Ephrem resideas, ubique regularem disciplinam instaurandam suscipias. In hoc curae impendantur omnes, novisti enim Monasteria Vobis esse Episcoporum Seminaria, nullumque Te habere posse idoneum Episcopum ex Monasterio in quo non reperiantur Monachi doctrina, pietate, et morum integritate spectatissimi. Si tales Monachi culpa tua desint, Ipse immunis a culpa non eris; quare opus labora,

ministerium tuum imple, ad Monasterium tuum revertere, errantes corrige, obseca, increpa, ut in viam justitiae redeant, et laus sit univique a Deo. Pro certo habemus futurum ut paternae huic Nostrae mentioni faciles praebeas aures, et citissime Te desideriis Nostris obsecuturum, ut obsequium Tuum erga Nos et Apostolicam hanc Sedem ostendas. Quare Apostolicam Benedictionem Fraternitati Tuae peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 24. Decembris 1831. Pontificatus Nostri anno primo.

Dominicus Testa.

Declarat cessasse Administrationem Diaecesis Graeco-Melchitarum Hierapolis Archiepiscopo Ferzulensi collatam, et novum Archiepiscopum Hierapolitanum Graeco-Melchitam eligi de more oportere.

Venerabili Fratri Ignatio Patriarchae Antiocheno Melchitarum.

G R E G O R I U S P A P A X V I.

Venerabilis Frater Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Cum Ecclesia Melchitarum Hierapolitana suo viduata Pastore maneret, nec satis consuli ejus bono posset novi Archiepiscopi electione, epistolis etiam Fraternitatis Tuae commotus Praedecessor Noster Leo Papa XII. litteris Apostolicis datis die 9. Junii 1826. Archiepiscopalem illam Ecclesiam gubernandam tradidit Archiepiscopo Ferzulen. Ignatio Aggiuri, ut eandem Archiepiscopatu Ferzulen. retento Apostolica auctoritate administraret. Per plures annos sic res Ecclesiae Melchitae Hierapolitanae administratae sunt, ut consilium a Sede Apostolica captum in bonum praedictae Ecclesiae Melchitarum vergere videretur, sed successu temporis mutatis rerum Hierapolitanarum adjunctis utilius esse censemus extraordinariae huic providentiae finem imponere ut de novo Archiepiscopo Hierapolitano pro Melchitis eligendo agatur. Quare Apostolica auctoritate declaramus cessatam administrationem Hierapolitanae Ecclesiae Archiepiscopo Ferzulensi commissam, Tibique Venerabilis Frater committimus ut servatis de more servandis de novo Archiepiscopo Melchita Hierapolitanam Ecclesiam provideas. Hoc Tibi potius committere voluimus, quam Nobis ipsis praedicti Archiepiscopi electionem reservare, ut palam fiat Apostolicam Sedem libentissime id consilium capere, quod sine Ecclesiasticarum Legum damno Ecclesiarum Orientalium disciplinae magis conforme videatur. Dum tamen haec Tibi

cura committitur, Pastoralis Nostri officii est Tuum excitare zelum, ut videas ne partium studio aut impiorum hominum machinationibus is ad Episcopalem gradum promoveatur qui dubiae sit Fidei vel Ecclesiasticarum rerum ignarus, vel corruptis moribus reprehendas: in gravioribus hisce negotiis piorum Ecclesiasticorum Episcoporum praesertim consilium adhibe, atque ita fiet, ut quamvis senectute, et infirmitatibus pressus, Patriarchatus onera sustinere facilius possis, atque ita ut pro bene gestis praemia consequaris aeterna. Interim Apostolicam Benedictionem Fraternitati Tuae peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 24. Decembris 1831. Pontificatus Nostri anno primo.

Dominicus Testa.

De Archiepiscopo Hierapolitano Maronitarum R. P. D. Paulo Arutin. ad Montem Libanum vocando, et de regimine illius Ecclesiae interea alia ratione procurando.

Venerabili Fratri Josepho Petro Patriarchae Antiocheno
Maronitarum.

G R E G O R I U S P A P A X V I.

Ven. Frater Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Summis saepe laudibus inelyta Maronitarum Natio a Praedecessoribus Nostris extolli promerita est ob eximiam suam in Catholica fide profitenda constantiam et singularem in Summos Pontifices et hanc Sedem Apostolicam devotionem, Tu ipse Venerabilis Frater majorum tuorum vestigia premens huic Sanctae Sedi firmiter et perpetuo adhaesurum pluries Nobis spondisti, et cum negociis de Propaganda Fide gerendis praepositi eramus, et postquam licet immeriti Petri Cathedram ascendimus. Quapropter officii Nostri, praecipueque illius qua Vos in Domino prosequimur charitatis esse ducimus in angustiis, et in rebus dubiis Vobis praesto esse ut iis quae ad evellenda scandala per Te ipsum sunt decernenda Apostolicae firmitatis robur addatur. Novimus dissidia, et contentiones ortas Hierapoli inter Populum et Clerum, et Archiepiscopum Maronitam ac summo animi Nostri dolore eo res pervenisse scimus ut necessarium omnino sit opportunis remediis gravioribus malis quae forte oriri possent occurrere. Possemus quidem propter potioem Sedis hujus principalitatem ea decernere quae ad pacem in Ecclesia Maronitarum Hierapolitana utiliora in Domino judicavimus, sed maluimus novum Tibi argumentum praebere, et benevolen-

Tom. V.

K

tiae Nostrae erga Te et studii quo satagimus ut quoad fieri poterit sine Ecclesiasticarum rerum detrimento Hierarchicus in unaquaque Orientali Ecclesia legitime statutus ordo, et disciplina servetur. Quare Tu ipse Ven. Frater Archiepiscopum Hierapolitanum Maronitam Paulum Arutin ad Montem Libanum venire jubebis et in Monasterio a Te designando manere, donec se purget a criminationibus de quibus accusatur, proviso interim de idoneo viro Ecclesiastico cui Hierapolitanae Ecclesiae res administrandae interim committantur. Judicii severitas paterna charitate temperata fiet ut Maronitae Hierapolitani ea fruantur pace quam Dominus Noster Jesus Christus Apostolis suis commendavit: Pax christiana Christi Discipulos designat, hujus vincula solvi nequeunt quin simul lata schismati et erroribus via aperiatur: memineris Pastoralis sollicitudinis hoc onus esse gravissimum, ad laborare scilicet ut unitati Fidei et charitatis omnes simus cor unum, et anima una. Pro certo habemus Te in hoc muneri Tuo non defuturum, et Apostolicam Benedictionem Fraternitati Tuae peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 24. Decembris 1831. Pontificatus Nostri anno primo.

Dominicus Testa.

Plura declarat quae ad Ecclesiastica Armenorum negotia recte gerenda pertinent, et ad disciplinae Ecclesiasticae bonum apud eos promovendum.

Venerabili Fratri Antonio Nurigian Archiepiscopo Primati Armeno Constantinopolitano.

G R E G O R I U S P A P A X V I .

Ven. Frater Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Inter gravissimas, quibus undique premimur, sollicitudines in summa Ecclesiae specula positi infirmitatis Nostrae memores saepe ad Te Nostros convertimus oculos, ut Tibi noxaeque isti Archiepiscopali Sedi in omnibus praesto simus, quibus Armeni Catholici super Summi Imperantis benignitate ab inimicorum suorum manibus erepti in puritate fidei, et christianae charitatis exercitio constantes ita in salutis viam dirigantur, ut bona eorum conversatio decus Ecclesiae sit, et ornamentum, et errantes vereantur nihil habentes malum dicere de Nobis. Non Te latet hoc tantum bonum, Dei opitulante gratia, Episcoporum exemplo, vigilantia, et laboribus promoveri, horum enim est

doctrinae opportunitate , et veritate infirma confirmare, disrupta consolidare, depravata convertere, et verbum vitae in aeternitatis cibum alendae familiae dispendere; et speramus Te his oneribus implendis non defuturum. Sed non una est eademque omnium opinio, quapropter quamvis delationibus quae ad Nos pervenerunt faciles aures minime praebuerimus, opportunum tamen censemus, et benevolentiae qua Te etiam in minoribus constituti prosequuti sumus, et Paterni amoris, quo Catholicas omnes Ecclesias amplectimur nova Tibi hodie documenta praebere. Hinc est quod Apostolico quo fungimur officio zelum Tuum excitamus, ut cures ne inter oves Tibi commissas abusus introducantur, contentiones oriantur, aut displicentiae causae interveniant, quibus si locus fiat partium exardescunt studia, et christiana frigescit charitas, ac praeterea persuasum Tibi etiam esse debet in praesentibus tuae novae Sedis adjunctis malignos homines fortasse inter Catholicos quoque non defuturos, qui inde occasionem possent arripere Te criminandi, fovendique suis clamoribus insidias haereticorum, de quibus dubitari non potest quin studia omnia convertant, ut in Summo Imperante eos destruant erga Te, Jacobum Valle, et Catholicos Armenos, clementiae sensus, ex quibus tot tantaque in vos bona derivarunt. His quidem incommodis difficilior fiet aditus donec Summus Imperans perspectas habeat virtutes Tuas, et Sacerdotis Jacobi Valle, in quem omnem contulit praefecturae nationalis honorem, cum Te ut Nationis Armenae Catholicae Archiepiscopum Primatem agnoscere recusavit. Animum Nostrum recreat, ac reficit audire Vos apud eum magnam nominis existimationem esse consequutos, ut hanc autem uterque vestrum conservet omnis adhibenda cura est ne exterioris apparatus magnificentia videamini ea quaerere, quae mundi sunt non sine magno ovium Tibi commissarum incommodo. Memineritis hoc Archiepiscopi maximum onus esse, ut spirituali suarum ovium saluti prospiciat, quare ne quaeras ut magnum apud Te habeas Ecclesiasticorum numerum, quorum honori detraheretur si vilioribus manciparentur officiis, aut in criminalibus praesertim iudiciis eae committerentur partes gerendae, quae Ecclesiasticae lenitati minime conveniunt, sed iis utere pro uniuscujusque idoneitate, ut nulla ex Paroeciis, quae a Tua jurisdictione pendent, suo careat Pastore. Quousque autem tua jurisdictio extendatur non ignoras, scis enim Te minime posse aut exercere, aut Jacobo Valle alias communicare facultates praeter eas, quibus gaudes Sacrorum Canonum, et Apostolicae Sedis auctoritate. Prae oculis habe quibus limitibus tua jurisdictio circumscripta fuerit a fel. rec. Pio VIII. Praedecessore Nostro litteris Apostolicis datis die 6. Julii anni 1830. pro erectione novi Archiepiscopatus Metropolitanis Primatialis Constantinopolitani pro Armenis Catholicis, aliisque litteris datis eadem die pro Tua in Archiepiscopum electione, et

perspicias jurisdictionem Tuam ad eos tantum Armenos Catholicos extendi, qui Tui Archiepiscopatus erectionis tempore ad Provincias Othomanico Imperio subjectas pertinebant, quique destituti Pastore Armeno Catholico Ven. Fratris Archiepiscopi Sardiensis, et Vic. Apostolici Patriarchalis Latini Ritus jurisdictioni suberant. Inter hos autem neutiquam recensendi sunt Armeni Catholici, qui jam a Catholicis sui Ritus Episcopis regebantur, neque ii qui cum exterarum Nationum sint, Constantinopoli Francorum nomine appellantur, multoque minus ii, qui incolunt Provincias ab Othomanico Imperio disjunctas, inter quos recensendi sunt Armeni Georgiani, atque hi omnes etiam nunc sunt sub ejus ordinarii jurisdictione a quo regebantur, antequam nova institueretur Archiepiscopalis Cathedra Armena, cui nulla prorsus tradita potestas est in eos, qui ad alias quascumque Catholicorum Nationes ab Armena diversas pertineant. His omnibus exceptis copiosus tibi remanet grex pascendus opere, et sermone; et quoniam in nostra christiana Ecclesia nihil sanctius, nihil sublimius sit Missae Sacrificio summas mereris laudes quoties adniteris, ut in eo peragendo is Ritus adhibeatur, qui tantae rei majestati respondeat, ille scilicet Ritus, qui ab hac Sancta Sede jam probatus est, et in Lyturgia typis Congregationis Fidei propagandae praepositae praescriptus, qua omnia, quae ad solemnem Missarum celebrationem pertinent ordinantur. Attamen si solemni Missarum celebratione vi persecutionum inter Armenos Catholicos impedita quaedam laudabiles consuetudines jamdiu sint inventae prout illae sunt, quarum vi Sacerdotes Armeni catholici Sacrum celebrantes initium ducere solent a Crucis signo, et post consecrationis verba Sacrosanctum Jesu Christi Corpus, et Sanguinem sub speciebus Panis et Vini genibus innixi adorare, minime expedire censemus eas e medio tollere; nam qui id agere conaretur scandali potius quam aedificationis causam praeberet. Quare ea regula omnino servanda est qua statuitur inconsulta Sede Apostolica in Sacrae Lyturgiae ritibus nihil esse innovandum etiam nomine instaurandi caeremonias, quae Lyturgiis ab eadem Sede probatis magis conformes esse videantur, nisi ex gravissimis causis, et accedente Sedis Apostolicae auctoritate. Hoc autem apud Armenos Catholicos accurate servandum peculiaris quoque ratio suadet, cum enim in veteri Armena sacrorum disciplina solemnis tantum Missae celebratio permetteretur, pro ea dumtaxat caeremoniae praescriptae reperiuntur, Armeni autem Catholici diu persecutionibus exagitati aliquantulum, et ab ea disciplina recesserunt, et solemni Missarum celebratione persecutionibus impedita Sacrum in aedibus etiam privatis peragere consueverunt. Haec vero consuetudo celebrandi nempe Sacrum in privatis aedibus et si certis legibus circumscribenda videatur, ne id sine justa et gravi causa fiat, tamen tollerari poterit, quousque pro Armenis Catholicis publicae adstructae

fuerint Ecclesiae in quibus proprio Ritu Sacra fiant a Sacerdotibus Armenis Catholicis, nec his adimenda est libertas Divinum opus peragendi in Ecclesiis Latinis sacrarum vestium apparatu proprium ad Riturum accommodato (nisi forte ob urgentem necessitatem, et vestium proprii Ritus defectum ad tempus, et in peculiaribus causis legis huius rigorem relaxari contingat) ne qui foris sunt arbitrentur Armenos Catholicos ab ea fidei unitate recedere quam nuper tam strenue professi sunt in rerum omnium, et vitae ipsius discrimine. Una est Christi Ecclesia, una Catholicorum omnium fides, unum Baptisma, unum est omnium Nostrum Caput Christus Jesus, qui Bño Petro Apostolo, cui Nos quamvis indigni successimus, plenam tradidit potestatem universam Ecclesiam regendi, et gubernandi. Aequum igitur est, ut Sacerdotibus Armenis haec via pateat, qua facilius Catholicorum Armenorum animos in Sancta Religione profitenda, et in Bñi Petri devotione confirmet. Haec quae potestatem fovent nemini possunt occasionem praebere transeundi a proprio Ritu ad alium quemcumque, quamvis ab Apostolica Sede probatum, norunt enim omnes id vetitum Apostolicis Constitutionibus nisi forte cuidam facultas fiat ex Apostolicae Sedis indulto. Paterno amore complecti volentes eos orphanos, qui a Patre Armeno, et Matre Graeco-Latina nati ob excitatam in Armenos persecutionem latinis hominibus educandi traditi fuere, eos simili gratia dignos judicamus, quare illos in Latini Ritus exercitio manere posse decernimus, nullamque molestiam eis inferendam esse praecipimus. Praeterea quum pastoralis sollicitudo in recta praesertim Sacramentorum administratione procuranda Nos magnopere premat non mediocri animi Nostrae aegritudine accepimus isthic Poenitentiae, et Eucharistiae Sacramenta privatis in domibus crebro ministrari; ad arcendos itaque abusus omnes, qui inde oriri facile possunt Tuum zelum vel maxime excitamus, ut hanc rem maturo examine perpendas, collatisque cum Ven. Fratre Archiepiscopo Sardo Vicario Apostolico Patriarchali consiliis provideas, diligenterque caveas, ne id unicuique indiscriminatim permittatur, sed facultates huiusmodi iis tantum Sacerdotibus concedantur, qui ea praediti sint pietate, quae omnem abigat suspicionem, et in favorem eorum laicorum, qui non solum bene morati sint, sed etiam locum habeant ad sacra Mysteria rite obeunda aptum, et a profanis disjunctum usibus, ubi sacrum ministerium absque ullo profanationis periculo possit exerceri. Tuam etiam pastoralementem vigilantiam adhibe, ne in Baptismatis administratione, aut in Matrimonii benedictione ritus aliquis indecens, aut contrarius ecclesiasticis legibus inducatur, haec omnia Apostolica Sedes numquam perferet, et patietur, ut ex abusu in Sacramentis administrandis ii habeantur mores, qui haereticam pravitatem, aut corruptionem redoleant, vel Christianae modestiae, aut Ecclesiasticae dignitati repugnent. Do-

lemus quoque, et angimur haereticorum exemplo taxas fuisse impositas a Catholicis persolvendas cum infantes lustralibus aquis sunt abluedi, et matrimonia sunt benedicenda, quod cum Ecclesiae Catholicae disciplinae, et praxi omnino adversetur, Tuam in mentem revocamus id nequaquam fas esse, et tantum permitti modicam taxam in funeribus juxta diversas hominum condiciones praefiniendam, semper tamen charitati consentaneam, quae postulat, ut vere pauperes sine ullo emolumento humentur, et precibus catholico Rituali praescriptis juventur. Hac ratione non solum Clerus Armenus Catholicus ab omni avaritiae labe, quae servitus est idolorum, erit immunis, verum etiam haereticos ad Catholicam complectendam Religionem facilius alliciet. Demum quum Te Ven. Frater paterno sane amore prosequamur vehementer hortamur, ut in ista Ecclesia Tuae fidei concredita ordinanda fidenti animo Nos consulas, sciasque Nos in re tanti momenti, et quae Nostram auget sollicitudinem Tibi non defuturos, ac praeterea pro certo habe Nos Praedecessorum Nostrorum vestigiis insistere, qui etsi cuilibet ad hanc Apostolicam Sedem aditum patere voluerint gravissimasque poenas contra eos decreverint id impediens, semper tamen omni diligentia usi sunt ne faciles delationibus praeberent aures probe noscentes has plerumque originem ducere a malitia criminorum hominum legum severitatem fastidientium. Quare positum est in more Romanorum Pontificum, ut si coercenda facinora ad eos deducantur nihil omittant eorum, quae ad veritatem detegendam pertinent, eosdemque accusatos Episcopos, aut Superiores Ecclesiasticos viros interrogent, quo facilius, ac tatius ipsi per se significare possint, quae ad verum rerum statum cognoscendum conducunt. Hisce animi Nostri sensibus Tibi patefactis de consilio VV. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, Tibi Ven. Fr. Gregique tuae curae concredito Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die tertia Februarii 1832. Pontificatus Nostri anno primo.

Pro Domino Cardinali Albano

A. Picchioni Substitutus.

*Ecclesiam S. Blasii in Urbe, cum Hospitio, Viridario,
Aedibusque adnexis Armenae Catholicae Nationis
Clero tribuit.*

G R E G O R I U S P A P A X V I.

Ad futuram rei memoriam.

Romanae Ecclesiae quae omnium Ecclesiarum est Mater et Magistra id proprium est, ut ad eam propter potiorem principalitatem, ut Lugdunensis Episcopus Irenaeus ait, omnis convenire debeat Ecclesia, hoc est ii qui sunt undique fideles. Hinc vero magnus semper factus est Fidelium ad hanc Urbem concursus, tum ut Apostolorum limina inviserent, tum ut eam haurirent fidem, quae ab iisdem Apostolis Ecclesiae Romanae tradita est. Quamobrem ab antiquissimis temporibus extracta sunt in Urbe partim a Pontificiis praedecessoribus Nostris, partim ab Imperatoribus et Regibus, partim tandem ab hominibus pecuniosis et potentibus hospitia et domicilia recipiendis, instruendis, et etiam valendis hominibus exteris destinata, quemadmodum et veterum testimonia, et quae adhuc reliqua sunt. Inter ceteras gentes quibus id contigit, ut proprium in Urbe hospitium et domicilium haberent, commemorandi sunt Armeni, quibus, ut vetustiora praetereamus, jam dudum Ecclesia S. Mariae Aegyptiacae cum finitimis aedificiis assignata est. Verum Ecclesia illa et domus plura habent incommoda quibus Armeni coacti sunt opportunius hospitium cupere et saepius postulare. Nam et aer eo in loco insalubris est, locus ipse ignobilis, et ab ea Urbis parte quae praecipue frequentata est minus remotus, domus et Ecclesia nimis angustae, et ruinosae videntur, tandem ita quidem ea domus sita est, ut nihil in ea facere possit, quod a proximis vicinis non inspiciatur. Quae considerans fel. rec. Leo PP. XII. Praedecessor Noster Nobis ipsis tunc Praef. S. Congregationis de Propaganda Fide curam commisit, ut una cum dilecto Filio Nostro S. R. E. Cardinali et Sacrae Visitationis Apostolicae Praeside remedia his incommodis tollendis opportuna proponeremus, collatisque consiliis, ambo hanc inivimus sententiam, ampuendum scilicet esse Armenorum desideris, et transferendum eorum Ecclesiam et Hospitium ad Ecclesiam S. Blasii in via Julia, eisque attribuendam tum Ecclesiam memoratam, tum viridarium, tum domos omnes eidem Ecclesiae adjunctas, et finitimas, quae in Tabella his Apostolicis Litteris subjecta describuntur. Nam opportunitates omnes tum Ecclesiae, tum domus illae habere dicuntur ad Ritus Armenos exercendos, ac ad excipiendos gentis illius viros, de quibus infra dicemus. His accedit nomen ipsum Sancti Blasii Martyris, cujus in honorem praesens Ecclesia extracta est, qui

cum Sebastenus in Armenia Minori Episcopus fuisse vulgo dicatur, eos illuc quodammodo invitare videtur. Sublatum quoque est impedimentum, quod oriri fortasse poterat ex Parochiae auctoritate, et appellatione, qua superioribus temporibus praedita illa erat, cum ea nunc careat per Litteras ejusdem Praedecessoris Nostri datas kalendis Novembribus anni MDCCCXXIV., quarum initium = Super universam = ac propterea Capitulum Sacrosanctae Vaticanae Basilicae cujus filialis, ut inquirunt, est Ecclesia Sancti Blasii, de qua agitur, et ad quod domus pertinent eidem junctae, jam de concedenda pio cuidam sodalitie Ecclesia illa cogitabat. Quae cum pervenissent ad Armenos, qui in Urbe sunt, praeferrere se Sodalitie illi postularunt, paratosque se professi sunt ad domos illas emendas, quam ad rem satis sibi pecuniae in promptu esse declararunt. Placuit Vaticano Capitulo Armenos ea in re praeferrere, eaque sententia Praedecessori Nostro Leoni PP. XII. etiam probata est, qui perpendens quantis, et quam praeclaris meritis Armenorum gens praestet praesertim cum his temporibus tam strenue pro retinenda Catholica Religione pugnaverit, et innumeras calamitates fortiter passa sit, non modo Armenorum votis annuendum, sed multo plus etiam concedendum judicavit quam ipsi postulaverint, et quamvis ii parati essent aedes illas, et viridarium emere, justumque pretium exigi statuerat. Nos autem nolumus Armenos iis carere beneficiis quibus Praedecessor Noster eos cumulare decreverat, eamque pecuniam, quam ad emptionem destinaverant, in reficiendas illas aedes, in sumptus transferendo Hospitio necessarios, in implenda facilius Hospitii onera, ac in alia hujusmodi impendendam judicavimus. Neque tamen detrimentum ullum ex his pati debet Capitulum Vaticanum quod Nos ob ejus insignia omnis generis ornamenta vehementer amamus. Quare ut utrumque consequamur, et Armenorum votis annuere, atque id absque Capituli Vaticani jactura, Nos perficere possimus, audito Capitulo, Motu proprio ac certa scientia, et matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Potestatis plenitudine Ecclesiam Sancti Blasii, aedesque omnes ei junctas ad praefatum Capitulum quomodolibet spectantes suisque notis finibus circumscriptas cum omnibus suis juribus ad Nos, atque ad hanc Apostolicam Sedem avocando statuimus, ut a Nostri hisce Litteris datis cesset prorsus omne vel directum, vel utile dominium, seu aliud quaecumque jus, quod hactenus super eam domum, et viridarium adnexum, omnesque alias aedes jam indicatas, omnesque earum partes habuit Capitulum Basilicae Vaticanae, itemque cesset omnis jurisdictio seu jus Patronatus, et aliud pariter quaecumque jus, quod super Ecclesiam ipsam Sancti Blasii, et omnia quae ad eam pertinent, idem Capitulum adhuc obtinuit. Juxta haec loco fructuum, qui ex praedictis aedibus proveniebant, ratione habita cessationis expensarum, quas Capitulum sustinebat ob cultus exercitium et

Rectoris pensionem, cujus loco ei domum quondam Parochialem gratis incolendam tradiderat, eidem Capitulo assignamus annuam pensionem scutorum romanorum octoginta ab Hospitio Armeno ad S. Basilium erigendo solvendam, et universos redditus unius Praebendae Beneficiariae, illius videlicet Praebendae de libera collatione Nostra quae nunc in ea Basilica vacat. Hujusmodi ergo Praebendam Nostrarum pastoralium litterarum vi nunc supprimimus, ejusque fructus, ac proventus, seu bona, juraque omnia, quae ad illam Praebendam spectant eidem ipsi Capitulo perpetuum in modum concedimus, et applicamus; a quo proinde specialia onera, si quae sint, congrue erunt implenda. Haec autem unius Praebendae detractio nullius ferme momenti censenda est in tanto illo Beneficiorum numero, qui in Vaticana Basilica invenitur, quia et pertinet ad decus et gloriam Capituli ad S. Petri sepulcrum existentis, ut cum aliquo etiam incommodo suo Armenos foveat, qui tanta nuper mala experti sunt, ne ab antiqua sua cum Petri Cathedra communione desciscerent. His vero ita constitutis quemadmodum indicavimus, omnes et singulos, quibus hae litterae faveant a quibusvis excommunicationis etc. si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, per praesentes Nostras Apostolicas Litteras saepe memoratam Ecclesiam S. Blasii in via Julia cum sacra ejus suppellectile, seu cum rebus omnibus ejusdem Ecclesiae usui, et ornamento addictis, et domum eidem pariter Ecclesiae junctam cum Viridario adnexo ceterasque omnes aedes superius indicatas, omnesque illarum partes Episcopo, ceterisque de Clero Saeculari et Regulari Hospitium proprium in Urbe non habenti Nationis Armenae hoc futuroque tempore in Nostra hac alma Urbe degentibus in perpetuum concedimus, addicimus et attribuimus. Itaque a die quo re ipsa in novum hunc locum, in Ecclesiam nempe S. Blasii aedesque adnexas vi praesentium Nostrarum litterarum, iidem Armeni translati fuerint, eorum Hospitium quod hactenus erat apud S. Mariam Aegyptiacam, translatum in hunc eundem illum locum censi et esse decernimus una cum omnibus juribus, privilegiis et exemptionibus, gratiis atque oneribus Hospitio ipsi ante hac inhaerentibus. Et quod ad Sacras Indulgentias pertinet concedimus item ut ad Ecclesiam S. Blasii transferantur omnes Indulgentias quae veteri Hospitio et Ecclesiae concessae fuerunt, atque insuper in Ecclesia S. Blasii ut illae omnes Indulgentiae perseverent quae antea in ipsa vigeant. Edicimus praeterea hanc Armenorum in Urbe Hospitii translationem ea lege a Nobis concessam intelligi debere, ut Ecclesia S. Blasii adjunctisque aedibus utantur, eodem scilicet modo, quo antea uti Ecclesia S. Mariae Aegyptiacae et adnexa domo solebant, Episcopus Armenus, qui suae Gentis homines ad Ordines in Urbe promovet, iique Sacerdotes, qui apud ipsam Ecclesiam Sacrum Ministerium obeunt, et alii etiam Ar-

meni Sacerdotes praesertim qui hanc Urbem pia aliqua de causa petunt, ita ut benigne excipiantur, idemque praestandum erit erga adolescentes Armenos, qui ex suis Regionibus ad Urbem advenientes, operam scientiis Ecclesiasticis modo tamen hi suis sumptibus alantur. Nolumus autem tanti Beneficii memoriam oblivione deleri, quare praecipimus ut in Ecclesia S. Blasii Lapis apponatur inscriptus, in quo antiquorum Capituli Vaticani jurium, et hujus Apostolicae Sedis gratiae mentio fiat, ac praeterea Armeni grati animi testimonium exhibentes onus in se suscipient solvendis quotannis Capitulo Vaticano praeter supradictam Pensionem scutatorum octoginta etiam libras tres corae albae ad Sepulchrum SS. Apostolorum Petri et Pauli quotannis deferendas in pervigilio aut die Festo eorundem Sanctorum Apostolorum, illudque liberandi a molestiis si forte agendum sit de juribus, quae novarum praefatarum aedium commodum respiciunt. Quum vero ad S. Blasium transferri Armenos statuimus, non ea profecto mens Nostra est, ut veteris Hospitii redditibus, aut Ecclesia, domove, ad quam illud constitutum erat eos privare velimus: Attamen ut nullus hac super re relinquatur dubitandi locus, declaramus, atque decernimus, ad Armenorum Hospitium posthac etiam, tametsi ad S. Blasii aedes translatum, pertinere tum redditus universos, quos antea, dum apud S. Mariam Aegyptiacam erat, habebat, tum ipsam Ecclesiam Sanctae eidem mulieri dicatam, et adnexam illi domum, nec non et reliqua jura, quae ratione istius domus, aut Ecclesiae praedictis Armenis competebant. Verum ne futuris temporibus in Ecclesia illa S. Mariae Aegyptiacae cesset Sacrorum cultus, integrum iisdem Armenis erit Ecclesiam ipsam pio alicui laicorum Sodalitio concedere, consentiente tamen in eam rem Cardinali Praefecto S. Congregationis de Propaganda Fide, sub cuius tuitione ipsum illud Armenorum Hospitium futuram est prout infra dicitur. Ex domibus autem huic Ecclesiae junctis accessionem redditibus seu Doti Hospitii Armenorum fieri constituimus. Ad quam reddituum seu Dotis accessionem conferri quoque praecipimus tum pecuniam ex eleemosynis collectas, tum res ceteras, quae ab Armenis in emptionem novarum aedium fuerant destinatae, si quid ex eis superesse fuerit inventum post sumptus factos ad novum Hospitium parandum, idque ea conditione, ut id omne quod reliquum erit, in fundos, hoc est in bona immobilia, erogetur. Quum vero Nobis maxime curae sit omnia in illo Hospitio secundum ordinem geri, regique, jubemus, ut Regulae jam pro Armenis anno 1774. statutae a Cardinale Pamphilio Protectore Hospitii Sanctae Mariae Aegyptiacae in posterum, nempe post eorundem quoque Armenorum translationem in aedes, et Ecclesiam S. Blasii, diligenter seduloque observentur. Jus autem erit Congregationi Propagandae Fidei si quae in illis Regulis addenda remittenda esse censuerit providere, praesertim cum nova etiam Hospitii

eiusdem conditioni nunc optari illas oporteat. Et perpetuo sane itemque per omnia eidem S. Congregationi subjectum fore Armenorum Hospitium volumus. Quapropter quoniam et Protectorem, et Primicerium habere illum quidem ex cetu Cardinalium, hunc vero ex Praelatorum numero, Armeni consueverunt, Nos, ut de supradicta omnino Congregatione Fidei Propagandae uterque semper existat per hasce Nostras Apostolicas litteras ambo ea munera super Hospitium Armenorum in hac alma Urbe in perpetuum Cardinali Praefecto pro tempore, et Praelato a Secretis item pro tempore ejusdem Congregationis divisim injungimus, ac demandamus, illi videlicet munus Protectoris, huic vero munus Primicerii. Declaramus tamen quod non subito, sed posteaquam eadem munera vacabunt, suum nancisci effectum mandatum istud nostrum debeat. Neque enim qui illa jam obtinent eos amovere umquam habuimus in animo, Dilectum nempe Filium Nostrum Caesarem Presbyterum S. R. E. Card. Brancadoro nuncupat. ex dispensatione Apostolica Archiepiscopum Firmanum, et Dilectum Filium Magistrum Josephum Groppelli, quorum ille Protectoris, hic Primicerii super Armenorum Hospitium munere funguntur de quorum quidem laudibus Nihil Nos detrahere volumus nec vero possumus. Verum Cardinalis Brancadoro, quum procul ab Urbe in Diaecesi sibi commissa resideat, consuevit jam alium aliquem ex Cardinalium pariter coetu rogare, qui ejus partes hac in re obiret cum titulo Pro-Protectoris; cum autem eandem ad rem Nos ipsos elegerit cum praefatae Congregationis Praefecti munere fungebamur, Nos Ven. Fratri Nostro Carolo Mariae Episcopo Praenestino S. R. E. Cardinali Pedicini nuncupato, quem ejusdem Congregationis Fidei Propagandae Praefectum creavimus hoc etiam officium committimus, volentes, ut idem Cardinalis Episcopus Praenestinus vice Cardinalis Brancadoro absentis, omnia quae ad Protectoris officium, et auctoritatem spectant pleno proorsus, et libero jure discernere, ac facere possit. Et huic eidem Cardinali jam nunc Armenorum Pro-Protectori committimus, et mandamus, ut quam primum fieri possit, Apostolica auctoritate Nostra Ecclesiam S. Blasii in via Julia, domum adnexam, junctumque viridarium, et ceteras aedes in memorata superius tabella descriptas, et omnes earum partes pertinentes antea ad Capitulum Basilicae S. Petri in Vaticano, nunc vero quemadmodum constitutum est supra, ad Nos, et ad Apostolicam Sedem avocatas cum Sacra Ecclesiae illius suppellectile, seu cum rebus omnibus ejusdem Ecclesiae usui, et ornamento addictis, legitimo jure Armenis hac in Urbe degentibus tradat, ibique eorum Hospitium, quod hactenus erat apud S. Mariam Aegyptiacam, perpetuo cum omnibus juribus, et privilegiis, ac oneribus supra memoratis collocet, atque constituat. Sed quoniam non pauca existunt Missarum onera, quae in praedicta Ecclesia S. Ma-

riae Aegyptiacae adimplenda erant, et fortasse etiam inveniri contingeret pia alia Legata sive pro sacris functionibus, sive pro aliis pietatis operibus ei Ecclesiae adjectis, Nos praefato Cardinali Praefecto S. C. Fidei Propagandae plenam facimus potestatem, ut ipse in Ecclesiam S. Blasii transferre possit onera illa cum adnexis juribus, aut omnia videlicet aut illorum partem, prout in Domino censuerit expedire. Insuper tum Cardinali eidem tum Cardinali Archipresbytero Sacrosanctae Patriarchalis Basilicae Vaticanae committimus, ut ambo simul, consiliis inter se collatis ea statuunt, quae in posterum servanda erunt circa similia quaecumque onera, quae Ecclesiae S. Blasii addicta sunt, atque ut auctoritate Nostra definiant ex bono, et aequo quaestiones quaslibet, quae super ipsis oneribus, et circa jura illis adnexa forte oriantur inter Armenos et Capitulum Vaticanae Basilicae, ceterosque omnes qui aliquid sui in iisdem interesse contendunt; et ita quidem, ut quod duo illi Cardinales communi sententia super rebus istis stauerint, vel iudicaverint plenissimam prorsus obtineat firmitatem perinde ac si id ipsum praesentibus Nostris Litteris declaratum fuisset. Volumus tamen ut omnis ista potestas, quam eisdem duobus Cardinalibus commisimus ab ipsis una simul exercendam, biennio finiatur a datis his Nostris Litteris computando: ac proinde si quae post biennium elapsum statuenda de praedictis oneribus Ecclesiae S. Blasii, aut iudicanda supersint, illorum cognitio ad eos, ad quos de jure pertinet, devolvetur. Haec constituimus atque mandamus, decernentes has litteras firmas, validas, et efficaces existere, nulloque unquam praetextu etiam ex eo quod ii quorum intersit in praemissa non consenserint, aut ad illa vocati non sint, de subreptionis, vel obreptionis vitio, seu intentionis Nostrae defectu impugnari posse; sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores ac S. R. E. Cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate et auctoritate iudicari, et definiiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstan. etc. de jure quaesito non tollendo, et aliis Nostris, et Cancellariae Apostolicae Regulis. fel. rec. Benedicti PP. XIV. Praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, nec non praedictae Vaticanae Basilicae ejusque Capituli, atque Ecclesiarum S. Blasii, et S. Mariae Aegyptiacae, ac Nationis, Hospitiique Armenorum etiam juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia innoxatis statutis, et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 11.
Maii 1832. Pontificatus Nostri anno secundo.

Pro Domino Cardinali Albano.

A. Picchioni Substitutus.

*Erigit Vicariatum Apostolicum Madraspatanum in Indiis
Orientalibus.*

Dilecto Filio Joanni Poulden Sacerdoti Monacho
Congregationis Anglo-Benedictinae

G R E G O R I U S P A P A X V I .

Dilecte Fili Salutem , et Apostolicam Benedictionem.

Pastorale officium Nobis ex alto commissum nihil Nos magis sollicitat quam Christifidelibus ut in viam mandatorum Dei dirigantur, atque ad aeternam animarum suarum assequendam salutem opportunis praesidiis adjuventur, omni quo cum Deo possumus studio providere. Quum itaque ad Catholicae Religionis bonum in Locis Madraspatanae Missioni subjectis stabiliter procurandum statuerimus, memoratae Missionis regimen Vicario Apostolico caractere Episcopali insignito committendum esse, Nos de tua pietate, doctrina, et prudentia, itemque Catholicae Religionis studio quamplurimum in Domino confisi, quod ea, quae Tibi committenda decrevimus, cumulate sis expleturus de Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio in iisdem locis Madraspatanae Missioni subjectis Vicarium Apostolicum Te, quem per similes Apostolicas Litteras hac ipso die datas renunciavimus Episcopum Hierocaesariensem in partibus infidelium ad Nostrum, et Sedis Apostolicae beneplacitum tenore praesentium eligimus, deputamus, et constituimus, praecipientes, ut non modo jurisdictionem omnem spiritualem habeas per loca omnia Madraspatanae Missioni subjecta, sed etiam temporalia omnia jura, possessiones, hospitia, Ecclesiae quae hactenus Fratrum Ord. Min. S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum Missionis propria erant, Congregationis eorumdem Cardinalium nomine in tuam transeant potestatem, salva tamen semper in praemissis ipsius Congregationis auctoritate. Mandamus propterea omnibus, et singulis ad quos spectat, atque spectabit in posterum, ut Tibi in praemissis prompte pareant, et obediant, tuaque salubria monita, et mandata humiliter suscipiant, et efficaciter adimplere curent, alioquin sententiam sive poenam, quam

rite tuleris, seu statueris in rebelles, ratam habebimus, et faciemus, auctorante Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus Apostolicis ac in Universalibus Provincialibusque et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, privilegiis quoque indultis, et Litteris Apostolicis Superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis irritantibus, aliisque decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium facientibus concessis, approbatis, et innovatis, quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. M. Majorem sub annulo Piscatoris die 3. Julii 1832. Pontificatus Nostri anno secundo.

J. Card. Albanus.

Caenobii, et Collegii Missionum in aedibus S. Petri in Montorio constituit Visitatorem Apostolicum Aloisium S. R. E. Cardinalem Lambruschinum.

Dilecto Filio Nostro Aloisio Sanctae Romanae Ecclesiae Presbytero Cardinali Lambruschini nuncupato.

G R E G O R I U S P A P A X V I.

*Dilecte Fili Noster Salutem, et Apostolicam
Benedictionem.*

Volentes Nos Sacrae Visitationis inquisitione statum Coenobii et Collegii Fratrum Minorum Sancti Francisci Reformatorem nuncupatorum in Sancto Petro in Montorio Urbis perspicere per similes Apostolicas Litteras die 30. Augusti 1831. datas Dilecto Filio Nostro Jacobo Philippo S. R. E. Presbytero Cardinali Fransoni nuncupato hujusmodi munus tribuendum censuimus. Nunc vero cum alium amplissimum virum in ejus locum sufficere velimus, Tua prudentia, doctrina, religione, pietate, rerum usu, aliisque egregiis animi ingeniique dotibus plurimum in Domino confisi, Te, Dilecte Fili Noster, Visitatorem Apostolicum Coenobii, et Collegii praedictorum cum omnibus, et singulis facultatibus, juribus, et indultis cum hoc munere conjunctis, auctoritate Apostolica hisce litteris ad Nostrum, et Sedis

Apostolicae beneplacitum eligimus, constituimus, et deputamus. Quamobrem universis et singulis eorundem Coenobii, et Collegii Superioribus Fratribus, aliisque ad quos spectat, ac quomodolibet spectabit in virtute Sanctae Obedientiae praecipimus, atque mandamus, ut Te in Visitatorem Apostolicum a Nobis harum litterarum vi adlectum, et constitutum omni cum obsequio excipiant, Tibique pareant, faveant, ac praesto sint. Non obstantibus Constitutionibus et sanctionibus Apostolicis, nec non dictorum Coenobii, et Collegii etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, et Litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis, quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 27. Novembris 1832. Pontificatus Nostri anno secundo.

Pro Domino Cardinali Albano.

A. Picchioni Substitutus.

*Collegii Missionum in Caenobio S. Antonii Patavini FF. Minorum
Conventualium Visitatorem Apostolicum constituit Augustinum
S. R. E. Cardinalem Rivarola.*

Dilecto Filio Nostro Augustino Rivarola S. R. E. Diacono
Cardinali.

GREGORIUS PAPA XVI.

Dilecte Fili Noster Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Cum Nos summopere optemus Sacrae Visitationis inquisitione, statum Collegii, cui a Sancto Antonio nomen, hic in Urbe existentis Missionum Fratrum Minorum S. Francisci Conventualium nuncupat. perspicere, probe noscentes, Te Dilecte Fili Noster, eximia prudentia, doctrina, pietate, religione, integritate, rerum gerendarum peritia, aliisque egregiis animi, ingeniique dotibus fulgere, idcirco hujusmodi munus Tibi committendum existimavimus. Quamobrem hisce litteris, Te, Dilecte Fili Noster, Visitatorem Apostolicum Collegii praedicti cum omnibus, et singulis facultatibus, juribus, indultis cum hujusmodi munere conjunctis, auctoritate Apostolica ad Nostrum, et

hujus S. Sedis arbitrium eligimus, constituimus, ac renuntiamus. Itaque universis, et singulis ejusdem Collegii Superioribus, Fratribus, aliisque ad quos spectat, et quomodolibet spectabit, in virtute S. Obedientiae praecipimus, et mandamus, ut Te in Visitatorem Apostolicum a Nobis harum litterarum vi adlectum, et constitutum omni cum obsequio excipiant, Tibique pareant, faveant, ac praesto sint. Non obstantibus Constitutionibus, et sanctionibus Apostolicis, atque ipsius Collegii etiam juramento, confirmatione Apostolica, aut quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 15. Januarii 1833. Pontificatus Nostri anno secundo.

Pro Domino Cardinali Albano

A. Picchioni Substitutus.

*Vicario Apostolico Bombaini Episcopo Antifellensi interim
Vicarii Apostolici Madraspatani munus committit.*

Ven. Fratri Petro de Alcantera Episcopo Antifellensi Ordinis Carmelitarum Excalceatorum, et Bombaini Vicario Apost.

G R E G O R I U S P A P A X V I .

*Venerabilis Frater Salutem, et Apostolicam
Benedictionem.*

Pastorale Officium Nobis ex alto commissum nihil Nos magis sollicitat, quam Christifidelibus, ut in viam mandatorum Dei dirigantur, atque ad aeternam salutem animarum suarum assequendam opportunis praesidiis adjuventur, omni quo cum Deo possumus studio providere. Quum igitur ad Catholicae Religionis bonum in locis Madraspatanae Missioni subjectis stabiliter procurandum, de VV. FF. NN. S. R. E. Card. negotiis de Propaganda Fide praepositorum consilio, memoratae Missionis regimen Vicario Apostolico characterе Episcopali insignito committendum censuerimus, Nos de tua fide, prudentia, integritate, doctrina, et Catholicae Religionis zelo quamplurimum in Domino confisi, de eorundem VV. FF. NN. consilio, hujusmodi munus Tibi conferendum existimavimus, ea spe freti, ut singulari tua diligentia, cura, studio, et rerum ad illam Missionem pertinentium peritia, quae es praeditus, ea omnia sapienter comparare possis, quae ad proprium Madraspatanae Missionis Vicarium Apostolicum statuendum necessaria,

et opportuna videbantur. Quamobrem hisce litteris, Te Ven. Fratrem Vicarium Apostolicum Interinum ejusdem Madraspatanae Missionis cum omnibus juribus, et facultatibus ad Nostrum, et Sedis Apostolicae beneplacitum eligimus, constituimus, et deputamus, et expresse praecipimus, ut non modo, quoad aliter a S. Sede statuatur, jurisdictionem omnem spiritualem habeas per loca omnia Missioni Madraspatanae subiecta, sed etiam temporalia omnia jura, possessiones, hospitia, Ecclesiae, quae hactenus PP. Minorum S. Francisci Cappuccinorum Missionis propria erant, S. C. de Propaganda Fide nomine in Tuam transeant potestatem, salva tamen semper in praemissis Congregationis eorumdem Cardinalium auctoritate. Mandamus propterea omnibus, et singulis ad quos spectat, ac spectabit in posterum, ut Tibi in praemissis prompte pareant, et obediant, Tuaque salubria monita, et mandata humiliter excipiant, et efficaciter adimplenda curent, alioquin sententiam, seu poenam, quam rite tuleris, seu statueris in rebelles ratam habebimus, et faciemus auctorante Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus Apostolicis ac in Universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus nec non quibusvis etiam consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et Litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis, quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die quinta Martii 1833. Pontificatus Nostri anno tertio.

Pro Domino Card. Albano

A. Picchioni Substitutus.

Erigit Episcopatum Detroitensem qui comprehendat provincias Michigan, et North-West in America Septentrionali, eumque jure Metropolitico ab Archiepiscopo Baltimorensi dependere debere constituit.

G R E G O R I U S P A P A X V I.

Ad perpetuam rei memoriam.

Maximas inter gravissimasque curas ac sollicitudines quibus in universa Ecclesia Nobis divinitus concredita regenda, ac moderanda

Tom. V.

M

distinemur et angimur, illa profecto in primis Nostrum animum solet urgere quae diaecesium omnium per totum terrarum Orbem respicit statum. Supremae enim Nostrae potestatis, Nostrique iudicii est illas moderari, earumque limites constituere vel immutare, prout rerum ac temporum ratio, ac spirituale praesertim Christifidelium bonum, ac commodum postulare videntur. Quum itaque ex acceptis plurium Venerabilium Fratrum Americae Septemtrionalis Episcoporum aliorumque gravissimis testimoniis acceperimus opportunissimum esse ad Religionem Catholicam in Provinciis Michigan, et Nord West Americae Septemtrionalis amplificandam confirmandamque ex iisdem Provinciis, quibus hactenus Episcopus Cincinnatensis veluti Administrator Apostolicus praefuit, peculiarem propriamque Diaecesim erigere, et constituere, cujus Sedes sit in Civitate Detroit, Nos rem tanti momenti Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum Negociis Propagandae Fidei praepositorum examinandam commisimus. Rebus itaque omnibus maturo examine perpensis, et habita praesertim ratione spiritualis boni, quod in populos earum regionum redundat, de eorumdem Fratrum sententia, atque consilio, ejusdem Diaecesis, et Episcopatus erectionem perutilem esse cognovimus. Motu igitur proprio, ex certa scientia, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, Provincias Michigan et Nord West, quae hactenus Episcopo Cincinnatensi uti Administratori Apostolico subjecta fuere, in peculiarem Episcopatum, qui ceteroquin quoad jus metropolitico subjectus esse debeat Archiepiscopo pro tempore Baltimorensi, cujusque Episcopalis Sedes sit in Civitate Detroit, ex qua derivetur Episcopatus ejusdem titulus, et qui comprehendat in Diaecesi sua Provincias Michigan et Nord West, harum litterarum vi erigimus atque statuimus. Decernentes has litteras firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, et omnia juxta praemissa accurate adimpleri, sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici auditores, et S. R. E. Cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi facultate et auctoritate iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et sanctionibus Apostolicis etc. quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 8. Martii 1833. Pontificatus Nostri anno tertio.

Pro Domino Card. Albano

A. Picchioni Substitutus.

Episcopum Carolopolitanum Joannem England mittit ad Insulam S. Dominici cum Apostolici Legati munere ad pertractanda Ecclesiae negotia.

Ven. Fratri Joanni England Carolopolitano in Foederatis
Americae Septemtrionalis Provinciis Episcopo.

G R E G O R I U S P A P A X V I .

Ven. Frater Salutem , et Apostolicam Benedictionem.

In Supremo Catholicae Ecclesiae Culmine meritis licet impares ineffabili Dei voluntate collocati, ad pastoralis officii Nostri debitum quam maxime pertinet spirituali Christifidelium saluti summa cura, et studio prospicere, eosque omnes disjunctissimis etiam terris a Nobis dissitos paterna sollicitudine, atque amore ita complecti, ut Vineam Domini, quae est Ecclesia, quam ipse plantavit dextera Sua, et Sui Sanguinis pretio redemptam Nobis custodiendam tradidit, palmites suos usque ad mare, et ultra ejus terminos, ac propagines suas latius in dies, atque feliciter extendat. Quum itaque non mediocri animi Nostri dolore acceperimus varias ob rerum vicissitudines Catholicam Religionem in Insula Haitarum, olim S. Dominici, magnum passam esse detrimentum; ita ut fideles Pastoribus, ac necessariis Ecclesiae praesidiis sint destituti, quumque nec melius, neque expeditius illorum curae, et spiritualibus necessitatibus prospici nunc posse videatur, quam si hujus S. Sedis nomine, idoneus vir omnibus facultatibus necessariis, et opportunis institutus ad praedictam Insulam mittatur, qui cum Exc^{mo} Boyer totius Haitarum Reipublicae Praeside Catholicae Religionis causam agat, ejusque consulat necessitatibus, Nos adhibito quorundam VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium consilio, hujusmodi gravissimum munus Tibi committendum censuimus, cujus prudentia, probitas, Religionis zelus, et in rebus Ecclesiasticis gerendis solertia, atque peritia Nobis satis est probata. Quamobrem egregiis Tui animi, ingeniique dotibus summopere fidentes in Domino, hisce litteris Te Ven. Frater auctoritate Nostra Apostolica in Nostrum, et hujus S. Sedis Legatum apud laudatum totius Haitarum Reip. Praesidem cum omnibus facultatibus necessariis, et opportunis eligimus, constituimus, et deputamus, ut penes ipsum Catholicae Religionis causam suscipere atque agere possis, ejusque bono ac commodo pro viribus consulere valeas. Te vero in Domino hortamur, ut singulari cura, studio, ac diligentia, ea omnia provide, scienterque peragenda cures, quae ad spiritualem illorum fidelium salutem procurandam, et Religionis bonum augendum pertinere posse videntur. Nos interim in humilitate cordis Nostri

Patrem misericordiarum, et Deum totius consolationis rogare non desinemus, ut det tibi spiritum sapientiae et intellectus, spiritum consilii et fortitudinis, quo omnia a Te hac super re perficienda optatum exitum assequantur. Non obstantibus etc. ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 15. Martii 1833. Pontificatus Nostri anno tertio.

Pro Domino Card. Albano

A. Picchioni Substitutus.

Confirmat quae de Coenobio, et Collegio Missionum S. Petri in Montorio Erius Cardinalis Aloisius Lambruschinius Visitator Apostolicus statuerat.

G R E G O R I U S P A P A X V I.

Ad futuram rei memoriam.

Pastoralis officii impellente sollicitudine et studio ad Ovile Christi alias oves adducendi, Romani Pontifices Praedecessores Nostri consilium susceperunt nonnulla in Urbe Collegia erigendi, quae patere vulerunt iis juvenibus professis Religiosorum Ordinum, qui ad munus Missionarii fungendum vocatos se dicerent, ut ibidem per statutum tempus periculum suae vocationis facerent, et impensius orationi vacantes, ceteraque pietatis et sui instituti officia sedulo persequentes, tum denique congruis studiis Theologicarum disciplinarum, et linguarum Orientalium operam dantes, ad illud munus apte, riteque exequendum se disponerent. Quod profecto consilium eo magis servare et tueri Nos convenit quo salubrius sanctiusque institutum invenitur. Quocirca cum per S. Congregationem de Propaganda Fide ad Nos perlatum fuerit, Collegium quod a Clemente IX. Praedecessore Nostro per Breve quod incipit = *Crediti Nobis* = in Conventu Minorum Reformatorem in Monte Aureo posito, erectum fuit, a sua institutione ita excidisse, ut rebus in eo sic permanentibus vix emolumentum aliquid ad bonum et incrementum Religionis sperare amplius ex eo possit, proptereaque eadem S. C. a Nobis postulaverit ut tam dictum Conventum, quam Collegium in eo erectum Apostolicae Visitationi subjiceremus, Nos haud morati sumus huic petitioni morem gerere. Quapropter animum statim applicuimus ad aliquem praestantem virum eligendum, cui Visitatoris munus committeremus, dignumque duximus, ut illud alicui ex Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis commendaretur. Cardinalem itaque Aloisium Lambruschinium Tituli S. Callisti, fide, integritate,

prudencia, Catholicaeque Religionis zelo valde commendatum selegimus, et ad praedictum Conventum, et Collegium visitandum Apostolica Nostra auctoritate munivimus eo fine, ut de obortis in eo Conventu et Collegio abusibus inquireret, causas illorum cognosceret, insuper quid factu opus esset Nos certiores diligentissime redderet. Hoc igitur ille munere functus ea qua uti solet in gravissimis rebus diligentia, studio, prudentiaque, peractae a se Visitationis deinde Nobis narrationem fecit. Ex ea porro apparet Collegium S. Petri in Monte Aureo nec formam, nec speciem ejus institutionis habere, quam juxta Breve Clementis IX. = Crediti Nobis = praesefere debet. Numerus siquidem juvenum, quos saltem decem jubet esse, adeo exiguus est, ut quatuor non excedat. Porro ii ingenio parvi, doctrina rudes, ut vix a limine Theologicas disciplinas salutaverint, nec eo studio pietatis, et Religionis incensi, quo praeditos esse oporteret qui sacris Missionibus daturi sunt operam, vix aliquid spei relinquunt, ut Missionarii munere sint congrue, et cum Dei Gloria perfuncturi. Studio controversiarum Orientalium et linguae Arabicae omnino praetermisso, deest Religiosus Concionator, qui juvenibus studentibus coram aliis Religiosis singulis mensibus concionem habeat de Missionarii muneris praestantia, deque peculiaribus dotibus, quibus pollere oportet quisquis in vinea Domini excolenda utilem, et egregiam operam navare cupit. Ad extremum ea omnia, quae sive ad illius Collegii disciplinam, sive ad studia, sive ad profectum pietatis sapienter ab eo Pontifice ordinata sunt, atque instituta, omnia pene desiderantur in eo. Hac teterrima Collegii in Monte Aureo positi renuntiata Nobis conditione, de ratione deinde ineunda, qua illud e tanta calamitate abduci, et ad formam per Breve = Crediti Nobis = statutam reduci queat, sententiam suam Eius Visitator aperuit. Optimum factu videri sibi dicit 1. si Conventus S. Petri in Monte Aureo, qui nunc ad Romanam Provinciam pertinet, et Provinciali hujus Provinciae obsequitur, ab ea separetur, et uni subdatur Patri moderatori Generali totius Ordinis, ut ejus tantum consilio et imperio deinceps administraretur. Incongruum enim et absonum putat ut Conventus excipiendis juvenibus destinatus ex omnibus Provinciis totius Ordinis confluentibus, qui sacris Missionibus se devovere cupiunt, ut in eo ad rite et congrue Missionarii munus fungendum instituantur, uni Provinciae addicatur; congruum vero ut totius Ordinis Conventus habeatur, et uni Generali subdatur, cujus est totum Ordinem moderari. Ipse autem Pater Generalis meminisse debet Conventum cum Collegio utpote alumnis tantum juvenibus Religiosis instituendis ad Missionarii munus obeundum destinatum S. Congregationi de Propaganda Fide subdi. Quapropter cum de novo eligendo Guardiano casus incidet, negotium hoc cum eadem S. C. aget, et talem curabit virum praeficere qualem S. C. requiret. Insuper tum ipse Pater Generalis, tum P.

Guardianus de omnibus quae ad rite et congrue Alumnos Collegii instituendos, vel ad ipsos quoquo modo pertinere poterunt, sive demum ad disciplinam illius Conventus ordinandam tuendamque spectabunt, ad S.C. diligentissime referent. Alterum, quod Eñus Visitator proponit, est ut removeatur ab eo Conventu studium Philosophiae, quod per plura decreta alias praescriptum fuerat a S. C., in cuius locum P. Generalis subrogandos curabit optimae et spectatae vitae Religiosos sex, qui eorum exemplo, et studio Regularis observantiae juvenibus studentibus praeaeant. Postremum est, ut forma vitae communis inducatur perfectior quam fieri potest in eum Conventum, cui vitae rationi persequendae idem Conventus in quo reditus ex eleemosynis quaesiti singulis annis superant, par esse potest. Duo enim dicit magni momenti emolumenta, eadem inducta, sequutura: Alterum quod juvenes omnibus sibi a Conventu suppeditatis ad victum vestitumque necessariis, omni abjecta sollicitudine, cogitationes suas, curasque ad pietatem exercendam, studiaque excolenda convertent. Alterum quod in ea vitae ratione per biennium exerciti a temporalium rerum cupiditate, quae multos Missionarios perdit, assuescent animum alienum habere, atque ita expeditiores, alacrioresque ad vineam Domini excolendam evadent. Hisce praejectis fundamentis urgendum magnopere dicit ut Breve Clementis = Crediti Nobis = adamussim observetur, quod sibi persuadet tum illorum fundamentorum subsidio, tum vigili illorum cura et diligentia, quorum est de eo conventu, et Collegio curam et sollicitudinem habere, observatum iri, fructumque uberrimum, idest bene moratos et institutos Religiosos ad Gloriam Dei et ad augendam Ecclesiam accensos inde evasuros. Nos igitur ad ea attendentes, quae Eñus Visitator de statu Collegii S. Petri in Monte Aureo fideliter, et diligenter pro more suo exposuit, diu etiam et mature a Nobis ea ratione perpensa, quam ipse ad illud Collegium ex ea calamitate excitandum, erigendumque adoptandam esse putat, in id tandem Consilii devenimus, ut quod Nostrum officium Pastorale exigit, ei Collegio opitulari statueremus modo et ratione ab Eñmo Visitatore [propositis. Quocirca per praesentes Nostras Litteras decernimus atque jubemus, ut Conventus S. Petri in Monte Aureo, qui hactenus Provinciae Romanae Min. Reform. addictus fuit, et ejus Provinciali paruit, ad eandem amplius non pertineat, a qua idcirco eum per praesentes perpetuo sejungimus, eumque statuimus sub immediata P. Generalis Ordinis jurisdictione, ut ejus in posterum semper consilio et imperio administretur, ea tamen adjecta Lege, ut quoties de novo Guardiano eligendo casus incidat, agat primum negotium hoc cum S. C. de Propaganda Fide, ut ejus cum acceptatione et consensu novus Guardianus eidem Conventui praeficiatur. Praeterea in omnibus, quae tum Conventus,

tum Collegii disciplinam et negotia spectare poterunt ad eandem S. C. se referet, ut ejusdem cum sententia et consensu omnia definiantur. Cum autem is Nobis propositus sit finis, ut Conventus S. Petri in Monte Aureo per Collegium in eo a Praedecessore Nostro Clemente IX. erectum, juvenibus Religiosis ad munus Missionum informandis, instituendisque inservire tantum debeat, ut omnis causa absit, qua finis iste, vel intercipi, vel retardari possit, praecipimus, et injungimus eidem P. Generali ut quamprimum fieri possit, studium Philosophiae ab eo Conventu removeat, in ejusque locum Religiosos nonnullos spectatae vitae subrogandos curet, qui ad studium pietatis juvenes suo exemplo incendiant. Cumque maxime intersit, ut qui sacris Missionibus operam navare volunt, animum gerant ab omni cupiditate rerum temporalium alienum, quod pestis ulla deterior sacris Missionibus obvenire non possit, quam si Missionarii eo inficiantur veneno, volumus et jubemus, ut in Conventu S. Petri in Monte Aureo perpetuo vita communis perfecta servetur. Hac enim vitae ratione servata, discent juvenes animum avertere a rebus temporalibus, et ad Deum totum convertere, cui uni in sacris Missionibus inservire et famulari debebunt. Cetera vero quae a Praedecessore Nostro Clemente IX. per Breve = Crediti Nobis = congrue, sapienterque ad illius Collegii Regimen, disciplinamque spectantia ordinata sunt, ea omnia sarta tecta esse, et in perpetuum et adamussim servari omnino praecipimus, mandantes iis, quibus id curae et sollicitudinis esse debet, ut eadem omni studio quo poterunt, servare faciant. Decernentes has praesentes Litteras et quae in iis continentur, de nullo defectu impugnari, ac redargui posse, sed omnimoda firmitate validas, firmas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat plenissime suffragari, et ab iis omnibus ad quos pertinet, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios et Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et defini debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus fel. record. Benedicti PP. XIV. Praedecessoris Nostri super divisione materiarum, ac Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, aliisque Apostolicis ac ab Universalibus, Provincialibusque et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, nec non praedicti Conventus et Collegii S. Petri in Monte Aureo, et memorati Ordinis, ex jramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate etc. contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 22. Martii 1833. Pontificatus Nostri anno tertio.

Pro Domino Cardinali Albano

A. Picchioni Substitutus.

*Commendat Praesidi Reipublicae S. Dominici Legatum.
Apostolicum Episcopum Carolopolitanum.*

Dilecto Filio Illustri et Honorabili Viro Boyer Haitarum
Reipublicae Praesidi.

GREGORIUS PAPA XVI.

Dilecte Fili Salutem , et Apostolicam Benedictionem.

Constanti multorum hominum fama , et duorum quoque Ministrorum litteris, Supremae Romanae Sedi, quam Nos , Deo volente , tenemus, non semel relatum est de praeclaro Nobilitatis Tuae zelo et sincera cupiditate , ut Catholica Religio , quam Vestrae Constitutiones propriam Haitanae Reipublicae esse decernunt , apprime floreat ac stabilietur. Quae Tua voluntas , christiano homine et sapiente Rectore dignissima, summe Nos delectavit ; tum quia Divinae gloriae incremento aeternaeque hominum saluti valde profuturam speramus, tum quia Tibi, quem in Christo jamdiu diligimus, perhonorifica dum vivis, est ; in futuro autem saeculo magnam praemiorum coronam conciliabit. Quum igitur superioribus annis Apostolica Romana Sedes modo missis coram hominibus , modo scriptis litteris , rei religiosae in Illustri Haitarum Republica subvenire studuerit ; neque tamen ob temporum adversitatem , locorum distantiam , variosque eventus , quidquam adhuc firmum definitumque efficere potuerit ; nunc Nos demum constituimus mittere Nostrum ad Nobilitatem Tuam Legatum Ven. Fratrem Joannem England Carolopolitanum in Foederatis Americae Septemtrionalis Provinciis Episcopum , virum spectatae Fidei , prudentem , et pium , qui de rebus Catholicae Religionis cum Tua Nobilitate ac tota Haitarum Republica agat , de Pastoribus eligendis Nobisque proponendis Tecum deliberet , idoneum Clerum instituat , Ecclesiasticam disciplinam componat , spiritualibus populi necessitatibus consulat ; haecque omnia cum Nobilitatis Tuae favore , et auxilio , prout valde cupimus enixeque a Te petimus , feliciter tranquilleque exequatur. Praedictum itaque Legatum Nostrum auctoritate Apostolicae Sedis ad haec confi-cienda negotia munitum , magnopere tibi commendamus , ut pro excelsa Tua potestate Eum adjuves , et protegas : dum Nos interim hac

spe freti Apostolicam Benedictionem Nobilitati Tuae universaeque ,
quam gubernas, Reipublicae amantissime impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 20. Maii
1833. Pontificatus Nostri anno tertio.

Pro Domino Cardinali Albano

A. Picchioni Substitutus.

Vicariatum Apostolicum in Polinesia Orientali constituit.

Dilecto Filio Stephano Rouchouze Presbytero Congregationis
Sanctorum Cordium Jesu, et Mariae in Galliis.

G R E G O R I U S P A P A X V I.

Dilecte Fili Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

In sublimi Principis Apostolorum Cathedra nullis certe Nostris pro
meritis, sed ineffabili divinae providentiae consilio collocati, ac pro-
pterea gravissima Ecclesiarum omnium sollicitudine continenter distri-
cti ad universam quae sub coelo sunt gentium sollicitudinem mentis
Nostrae oculos circumferre solemus, atque ad remotissimas etiam ab
hac Apostolica Sede regiones Pastoralis Nostrae vigilantiae curam ex-
tendimus, ut Christiana Religio et Catholica Fides magis magisque in
dies augeatur, et Christifideles in viam mandatorum Dei dirigantur
atque ad aeternam assequendam salutem opportunis praesidiis adjuven-
tur. Cum itaque instituta certisque limitibus circumscripta nuper Mis-
sione in ea Oceaniae parte quae Insulas omnes Oceani Pacifici tum
septemtrionalis, tum australis complectitur ab Insula Paschatis inclu-
sive usque ad Insulas Archipelagi dicti Roggewein pariter inclusive,
et ab Insulis Sandroichianis inclusive usque ad Tropicum Antarcticum,
ejusque Missionis cura spiritualis demandata Sacerdotibus Congregatio-
nis in Galliis, sic dictae Sanctorum Cordium Jesu et Mariae et ado-
rationis perpetuae SS^mi Sacramenti Altaris, ad rectius ejusdem Mis-
sionis Regimen, atque ad spiritualem tot populorum, qui in Idola-
triae tenebris sedent, salutem maxime conducere videatur, ut Apo-
stolicus Vicarius cum characterе Episcopali in tam remotis ac inter
se dissitis regionibus instituatür cum jurisdictione in Praefectos Apo-
stolicos praedictarum Insularum, qui ipsi obedire teneantur, virum
aliquem morum integritate, doctrina, ac prudentia praestantem eli-
gendum censuimus, qui hujusmodi gravissimo sane munere naviter,
scienterque fungatur. Nos igitur singulari tua fide, probitate, pru-
dentia doctos, et Catholicae Religionis zelo quamplurimum in Do-

Tom. V.

N

maino fidentes, quod ea, quae Tibi committenda duxerimus, cumulate sis expleturus, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, Te quae per similes Apostolicas Litteras hoc ipso die datas Episcopum Nilopolitanum in partibus Infidelium renunciavimus, commemoratae Missionis in praefata Oceaniae parte, quae Insulas omnes Oceani Pacifici tum Septemtrionalis, tum Australis complectitur, ab Insula Paschatis inclusive, usque ad Insulas Archipelagi dicti de Roggewein pariter inclusive, et ab Insulis Sandvichianis inclusive usque ad Tropicum Antarticum cum omnibus et singulis facultatibus necessariis et opportunis, et cum jurisdictione etiam in Praefectos Apostolicos praedictarum Insularum Vicarium Apostolicum ad Nostrum et Apostolicae Sedis arbitrium auctoritate Nostra Apostolica hisce Litteris eligimus, constituimus et deputamus, salva tamen semper in praemissis Auct. Congregationis eorundem Cardinalium. Mandamus propterea in virtute sanctae obedientiae omnibus et singulis ad quos spectat et spectabit in posterum, nec non praefatis Praefectis Apostolicis earum Insularum, ut Tibi in praemissis prompti pareant, et obediant, Tuaque salubria monita et mandata etc. inviolabiliter observari. Non obstantibus Apostolicis ac in Universalibus Provincialibusque et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, privilegiis quoque indultis, et Litteris Apostolicis Superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis, quibus omnibus et singulis etiam si pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur, et insererentur, praesentibus pro plena, et sufficienter expressis, et inserti habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque etc.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 14. Junii 1833. Pontificatus Nostri anno tertio.

Pro Domino Cardinali Albano.

A. Picchioni Substitutus.

*Protectorem ac Vicarium Apostolicum Monasterii Canningtonii
Monialium Ordinis S. Benedicti in Occidentali Angliae Districtu
S. R. E. Cardinalem Thomam Weld constituit.*

G R E G O R I U S P A P A X V I .

Ad perpetuam rei memoriam.

Inter sacras virgines, quae a saeculi illecebris declinantes in claustralibus septis divino se famulatu manciparunt, piae sunt Moniales insignis Ordinis S. Benedicti sub titulo S. Mariae bonae spei, quae sicut intelleximus turbulentissimis Galliae motibus in Angliam migrare coactae, in occidentalibus ejus regni plagis domum = Court house = appellatam, in pago Cannington insederunt, ubi suarum fama virtutum jamdiu florent. Hodie vero cum inter eas aliquae subortae sint, aliorum opera, contentiones ac discordiarum germina quae pacem ac disciplinae ordinem perturbarunt, gerenda Prior, ceteraeque Sorores Apostolicae Sedi, quae afflictorum mater est, atque praesidium, supplices obtulere preces postulantes, ut ad avertenda mala quae Monasterii cladem minant etc., pacemque restitendam, illud sub immediata Apostolicae Sedis tutela, opportunis adhibitis providentiis recipiat etc. Quoniam igitur claustralem vitam agentibus nimis congruum est, ut Apostolicum praesto sit adiumentum, Nos audito Ven. Fratrem Nostro Carolo Maria Episcopo Praenestino S. R. E. Card. Pedicini, et S. Nostrae Congregationis de Propaganda Fide Praefecto, documentisque perspectis, Nostram erga sacras virgines benevolentiam ostendere cupientes, easque omnes a quibusvis excommunicationis etc. et absolutas fore consentes, de plenitudine potestatis praedictum Monasterium totamque ejus familiam sub directo, et immediato Nostro, et S. hujus Apostolicae Sedis patrocinio ponimus, et alterius cujuscumque spirituales jurisdictionem suspendentes, decernimus nemini licere praedictum Monasterium perturbare, jura ejus regulasve infringere, vel ipsi qualibet auctoritate aut praetextu molestiam creare. Ut autem quispiam ad res Monasterii componendas peculiariter incumbat, Nos Protectorem ejus, Nostrumque in eodem Vicarium constituimus ac deputamus Dilectum Filium Nostrum Thomam S. R. E. Presbyterum Card. Weld, nobili magnae Britanniae genere natum ac praecipuo erga illud Monasterium studio affectum, qui rite comperto ejusdem Monasterii statu, ac necessitatibus, impense curet pacem mutuamque concordiam ibi restituere, legumque observantiam custodire. Et quia praedictus Card. Weld ex alma Urbe non potest recedere, potestatem ei concedimus, ut alium prout sibi libuerit deputet, vel Episcopum si fieri poterit, vel certe spectabilem aliquem Sacerdotem pietate ac pruden-

tia praeditum, qui suas in Anglia vices gerat, quatenus scilicet praedictum Monasterium invisat, res ejus ordinet, et Cardinali Protectori de omnibus diligenter referat. Nominatim vero Cardinali Protectori, vel ejus Delegato facultatem largimur quemlibet idoneum moratumque presbyterum, et sibi in Domino benevisum, deligendi, approbandique ad excipiendas praedictarum Monialium confessiones, ipsarumque conscientias secundum legem Dei, propriique Instituti normam regendas. Mandamus propterea dilectis in Christo filiabus Priori, ceterisque Sororibus, ut ipsum Dilectum filium Nostrum Thomam S. R. E. Presbyterum Card. Weld in Protectorem, et Vicarium Nostrum harum litterarum vi excipiant, et admittant, eique, vel ejus Delegato omnino pareant. Decernentes has praesentes litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, dictisque in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab omnibus, ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, Sedis Apostolicae Nuncios ac S. R. E. etiam de latere Legatos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstant. Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, nec non commemoratarum Monialium, earumque Instituti etiam juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia innovatis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, et Litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis, quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. M. M. sub annulo Piscatoris die 16. Julii 1833. Pontificatus Nostri anno tertio.

Pro Domino Cardinali Albano

A. Picchioni Substitutus.

*Societatem Sororum Charitatis in Hibernia erectam
confirmat.*

G R E G O R I U S P A P A X V I .

Ad perpetuam rei memoriam.

Inter praeclara, quae saepenumero per Hiberniam allata sunt Religionis amplificandae, et animarum salutis procurandae subsidia, illud numerandum jure censemus, quod in consilio continetur a pientissimis Hiberniis mulieribus suscepto de Societate quadam statuenda, quae Sororum Charitatis appellantur, quaeque pauperum utilitati, et commo- do praesertim spirituali, se totam devoveret. Factum idcirco est, ut ubi primum fel. rec. Pius VII. Praedecessor Noster ab Archiepiscopo Dublinensi Thoma Troy Societatis illius canonice erigendae facultatem rogatus est, ejusdem Archiepiscopi commendata sollicitudine, copiam foundationis curandae libenter fuerit impertitus. Eadem animi benignitate item rec. mem. Praedecessores Nostri Leo XII. ac Pius VIII. Ven. Fratris Danielis Murray in praesentiarum Dublinensis Archiepiscopi impensum Religionis studium laudaverunt cum plures de absolvendo quantocitius posset Regularum ac Constitutionum ejusdem Societatis examine Sedem Apostolicam flagitavit. Multo luculentius Nos potuimus de memoratae Societatis utilitate, ac meritis efformare judicium, longo illo tempore, quo antequam, licet immerentes ad Divi Petri Cathedralam proveheremur, Sacri Consilii Christiano nomini propagando Praefecturam gessimus. In quotidiana enim rerum ad Hiberniae Catholicam gentem pertinentium pertractatione, saepissime Nobis occasio oblata est, ut persuaderemur animo Societatem illam optime prorsus de Religione mereri, et dignam omnino esse, quae Sedis Apostolicae benevolentia cumlaretur. Huic tam diuturno tot annorum de Societatis Sororum Charitatis Dublinensis meritis experimento, accessit singulare illud virtutis, et christianae fortitudinis testimonium, quod religiosissimae feminae Instituto illi addictae tota Hibernia Deo gratias referente exhibuerunt, cum teterrimus morbus anno praeterito illam regionem invasit, et in extremum vitae periculum permagnam incolarum copiam adduxit, atque ingentem hominum stragem edidit. Accepimus enim quanta constantia, quantis laboribus mulieres illae nullo mortis ubique impendentis discrimine retardatae opem eo morbo correptis tulerint, omne remedii genus suppeditaverint, morientibus adfuerint, id in primis adnitentes, ut Religionis auxilia nemini deessent, et ad Divinum Tribunal animae peccatis expiatae pervenirent. Quamobrem, quod jamdiu statueramus id sine longiori mora implendum esse decrevimus, ut toties petita Constitutionum ac Regularum

Societatis Sororum Charitatis Dublinensis confirmatio Apostolica auctoritate Nostra tribueretur. De consilio igitur VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum matura etiam consideratione, et deliberatione Nostra Regulas, et Constitutiones Sororum Charitatis Dublini auctoritate Apostolica confirmamus et servandas jubemus. Pientissimas vero mulieres, quae Societatem illam constituunt in Domino hortantes, ut in sancto proposito persistent, atque alacriori semper studio operibus iis fungantur, quae ad proximi salutem prosequendam adeo opportuna sunt, Apostolicam Benedictionem iisdem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. M. M. sub Annulo Piscatoris die 30. Augusti 1833. Pontificatus Nostri anno tertio.

Pro Domino Cardinali Albano

A. Picchioni Substitutus.

Benevolas ad Missionarios Congregationis Gallicanae SS. Cordium Jesu, et Mariae in Insulis Sandwichianis laborantes litteras scribit.

Dilecto Filio J. A. Alexio Bachelot Presbytero Congregationis SS. Cordium Jesu, et Mariae, ac Praefecto Apostolico Miss. in Insulis Oceaniae Septemtrionalis ab Insulis Sandwichianis ad aequatorem.

GREGORIUS PAPA XVI.

*Dilecte Fili Salutem, et Apostolicam
Benedictionem.*

Litteras tuas ex alta California ad Nos scriptas libentissime accepimus, Teque cum tuis sodalibus, qui tot aerumnas pro Christi nomine toleravistis, paterno atque amantissimo animo complexi sumus. Vestros autem in Insulis Sandwichianis labores, fidei christianae propagationem, Neophytorum virtutem, persecutiones, et demum exilium, novosque constantiae vestrae conatus, ut in Insulas illas pedem referatis, ex amplioribus litteris quas ad S. C. de Propaganda Fide misistis, jamdiu cognovimus. Hortamur itaque in Domino, ut coeptam operam strenue prudenterque urgeatis, tenero Neophytorum gregi pro viribus subveniatis, et animarum Deique causam nunquam deseratis. Porro facultates, quas a Nostra auctoritate impertiri Tibi tuisque rogas, jam pridem vobis per litteras S. Congregationis de Propaganda Fide con-

cessimus. Interim Apostolicam Benedictionem peramanter Tibi Tuisque sodalibus impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem die 27. Septembris 1833.
Pontificatus Nostri anno tertio.

GREGORIUS PP. XVI.

Patriarchae Armenorum Ciliciae de rebus ejus Ecclesiam respicientibus respondet.

Ven. Fratri Gregorio Petro Sexto Patriarchae Ciliciae Armenorum.

G R E G O R I U S P A P A X V I .

Venerabilis Frater Salutem , et Apostolicam Benedictionem.

Gratum Nobis accidit officium Tuum, quo nuper de statu Patriarchatus Tui diligentes litteras perscripsisti, ejusque initia et progressus, praedecessorum tuorum seriem, Episcoporum numerum, Sacerdotum et Monachorum, Alumnorumque coetus varios et occupationes, adversitates etiam et labores recensuisti. Quod autem attinet ad Tuas de jurisdictione querelas, jamdiu Nos Apostolicis Litteris fines cuique suos et munera demonstravisse putamus. Quare miramur cur adhuc aliqua controversiarum ansa supersit. Ceteroquin prudentia Tua, et longanimitas ac moderatio molestias omnes paulatim diluet, et christianam pacem restituet. Denique laudamus pietatem tuam, qui praescriptas ab hac S.Sede regulas in omni liturgia retinere Te ac profiteri testaris. Litteras vero tuas ac postulationes ad Congregationem Cardinalium de Propaganda Fide transmisimus. Nos interim Apostolicam Tibi peramanter impertimur benedictionem.

Datum Romae apud S. Petrum kalendis Decembris 1833. Pontificatus Nostri anno tertio.

GREGORIUS PP. XVI.

Tunetanae Missionis Visitatorem Apostolicum P. Angelum de Planella Ord. PP. Capuccinorum constituit.

Dilecto Filio Josepho Angelo de Planella Fr. Ord. Minorum
S. Francisci Capuccinorum.

G R E G O R I U S P A P A X V I.

Dilecte Fili Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

In sublimi Principis Apostolorum Cathedra nullis certe Nostris pro meritis, sed ineffabili divinae Prov. consilio collocati, ac propterea gravissima universi Dominici Gregis pascendi, atque regendi sollicitudine continenter districti, omni quidem vigilantia et cura eo vel maxime spectare solemus, ut Christifideles Divini praesertim verbi praeconio diligenter instructi in viam mandatorum Dei dirigantur, atque ad aeternam assequendam salutem omni ope, et opera adjuvantur. Cum itaque Catholicorum numerus in Tunetana Missionem, quae dilectis Filiis FF. Ord. Min. S. Francisci Capucc. concredita, divina favente gratia sit auctus, opportunum existimavimus, ea omnia quae ad eandem Missionem pertinent diligenter inquirere, ut non solum Tuneti Catholicis, vel alibi in ejusdem Missionis districtu degentibus Missionariorum copia minime desit, quorum opera fideles illi in viis Domini ambulent, verum etiam, ut nonnullae, si forte necesse fuerit, regulae a Missionis Praefecto, et Missionariis servandae statuatur, quarum usu in excolenda ea Vineae Domini parte eorumdem opera utiliter evadat. Ad haec igitur commoda bene obtinenda plurimum conferre censuimus de Ven. FF. NN. S. R. E. Card. negot. Propagandae Fidei praep. consilio, aliquem virum pietate, doctrina, prudentia, catholicae Religionis zelo, et animarum salutis studio spectatum Tunetum mittere, qui Visitatoris Apostolici munere fungens, res omnes ad illam Missionem pertinentes, diligenter prudenterque inquireat, et ea peragenda curet, quae Missionis ejusdem bonum magis magisque augere posse videntur. Quamobrem probe noscentes Te jam in Rhethiae Missionis directione et gubernio eximia prudentiae, zeli, et evangelicae charitatis documenta dedisse, hujusmodi munus, de eorumdem Ven. Fr. Nostrorum consilio Tibi committendum censuimus, ea profecto spe freti, ut rite scienterque ea omnia perficienda cures, quae Tunetanae Missionis bonum, atque utilitas requirunt. Itaque hisce literis auctoritate Nostra Apostolica Te in Tunetanae Missionis Visitatorem Apostolicum nominamus, eligimus, et deputamus. Quocirca omnes et singulas opportunas, ac necessarias facultates Tibi concedimus et impertimur, quibus alii Visitatores Apostolici uti et frui possunt, ut

hujusmodi munere cumulate perfungi, resque omnes prospere, feliciterque ad optatum exitum perducere possis. Tuae vero prudentiae et curae erit diligenter inspicere, si qui sint abusus, eosdemque tollere, et servitium a Missionis Praefecto, et Missionariis praestandum quoties opus fuerit, novis etiam propositis regulis, exigere, quas regulas plenarium effectum habere jubemus donec iidem VV. Fratres Nostri S.R. E. Card. negotiis Propagandae Fidei praepositi judicaverint, quod super iis in posterum sit servandum. Volumus enim ut tuae Visitationis acta ad eandem Congregationem de Propaganda Fide mittas, eamque omnibus de rebus vel diligentissime certiore facias. Praecipimus propterea atque mandamus omnibus illis religiosis viris Tunetanae Missionis, aliisque quibus praecipui opus est, ut in virtute s. Obedientiae Te in Tunetanae Miss. Visitatorem Apostolicum agnoscant, Tibique in omnibus quae ad ejusmodi pertinent munus, obsequio huic Apostolicae Sedi debito diligenter pareant, tuisque monitis, atque mandatis obediant sublata cuilibet ex Superioribus ejusdem Tunetanae Miss. potestate quidpiam per se vel per alios sive scriptis, sive voce mandandi, consulendi, decernendi, quod retardare, vel imminuere, vel quovis modo directe aut indirecte tenuare possit hujus Apostolicae Visitationis effectum, et executionem, alioquin sententiam, seu poenam, quam rite tuleris in rebelles, seu statueris, ratam habebimus, et faciemus vi Apostolicae Nostrae auctoritatis usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Non obstant. Constitutionibus, et sanctionibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 14. Martii 1834, Pontificatus Nostri anno quarto.

Pro Domino Cardinali Albano

A. Picchioni Substitutus.

Vicariatum Apostolicum Calcuttae in Indiis Orientalibus erigit.

Dilecto Filio Roberto St. Leger Presbytero Societatis Jesu.

G R E G O R I U S P A P A X V I.

Dilecte Fili Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Latissimi Terrarum tractus, qui Britannorum imperio, ipsorumque magnificae Societati in India Orientali subsunt, sollicitudinem Nostram saepe excitarunt jam inde ab eo tempore, quo VV. FF. NN.

Tom. V.

O

S. R. E. Card. negotiis de Propaganda Fide praepositorum Congregationi praeramus. Deinde vero ad Apostolatus apicem, Deo sic disponente promoti, multo impensius pro nostri muneris gravitate, de Catholica Religione in praedictis regionibus amplificandae cogitare debuimus. Quum autem inter politicas tres praefecturas, quae ibi constitutae sunt, Calcuttensis et sede Supremi Gubernatoris, et multitudine magnatum Urbium, et populorum diversorum numero, praecipua videatur, ad hanc prae ceteris idoneos Evangelii praecones mittendos esse cognovimus. Quod dum animo voveremus, litterae etiam a Catholicis, valdeque piis urbis Calcuttae civibus non semel Romam venerunt, qui nostram, et commemoratae Congregationis de Propaganda Fide opem implorabant; nominatim vero expetebant, ut Sacerdotes S. J., cujus inclitam famam apud se conservatam ajebant, Calcuttae destinaremus. His ergo Catholicorum votis libenter occurrentes Nostrique Apostolatus officio pro viribus defungentes, de eorundem VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium consilio Generali S. J. Praeposito mandavimus ut selectum suorum numerum Missioni huic exhiberet quos inter Te, dilecte Fili, religiosa virtute, doctrinaque praestans Nobis obtulit. Quamobrem Te a quibusvis etc. censentes, Teque Vicarii Apostolici appellatione, et munere insignire volumus, traditis tibi ob id officium fructuosius obeundum (quod Apostolicae tantum Sedi subjectum decernimus) facultatibus satis amplis, quae de plenitudine nostrae potestatis manant, ut in populosa Calcuttae Urbe, ejusque politica Praefectura Catholicam Religionem sustentens, et amplius; exceptis iis tantummodo locis, quos Ven. Fr. Antoninus Pezzonius Episcopus Esbonensis Noster in Missione Thibetana Vic. Apostolicus vel per se, vel per Missionarios suos ex Ordine Capuccinorum jamdiu administrat, itemque locis qui Ven. Fratri Friderico Cao Episcopo Zamensi Nostro in Regnis Avae et Pegu Vicario Apostolico obtemperant, ad quos praedictorum Vicariorum loco Te nonnisi de ipsorum licentia curas Tuas extendere volumus: age itaque, dilecte Fili, Dei Omnipotentis praesidio confidens, et prisca Societatis Tuae exempla prae oculis habens praecipue vero S. Francisci Xaverii labores aemulans, perge ad oblatam tibi messem cum tuis Sodalibus, quibus auxilii causa duos quoque Collegii Urbani de Propaganda Fide alumnos bonae spei juvenes, bonisque institutis imbutos adjungendos curavimus, eosque auctoritati Tuae in spiritualibus parere monuimus.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 18. Aprilis 1834. Pontificatus Nostri anno quarto.

Pro Domino Cardinali Albano

A. Picchioni Substitutus.

Confirmat Madraspatani Vicariatus Apostolici erectionem.

G R E G O R I U S P A P A X V I.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex debito Pastoralis officii superna Dei providentia humeris Nostris impositi non leve sane totius Gregis Dominici onus ferentes, illis praecipue ovibus, quae Regiones a Sede hac Apostolica, ubi Catholicae centrum est unitatis, longe dissitas incolunt, majori consulendum sedulitate censemus, ut in adventu Pastoris aeterni repertae, sicut oportet per Apostolicam Curam intra verum ovile ad pascua coelestia vocari valeant, feliciterque. Hinc cum diligenti instituta rerum ad Madraspatanam Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Cappuccinorum nuncupat. Missionem pertinentium inquisitione necesse omnino esse intellexerimus ea decernere, quibus ad rectum Ordinem ea Missio perducatur, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio in eam venimus sententiam ut in eadem Missione Vicariatus Apostolicus statuatur, cujus Vicarius Apostolicus praeter spiritualem Jurisdictionem, temporalia etiam jura eorundem Fratrum Cappuccinorum Missionis propria ineat. Motu igitur proprio, atque ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicae Potestatis plenitudine, harum litterarum vi in Missione Madraspatana Vicariatum Apostolicum constituimus itemque praecipimus, ut Vicarius Apostolicus inibi constituendus, non solum jurisdictionem omnem spiritualem habeat per loca omnia Madraspatanae Missioni subjecta, sed etiam temporalia omnia jura, possessiones, Hospitia, Ecclesias quae hactenus dictorum Fratrum Cappuccinorum Missionis propria erant ejusdem S. Congregationis nomine, in ejus transeant potestatem. Haec volumus, atque mandamus decernentes hasce litteras firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac iis ad quos spectat, et in futurum spectabit plenissime suffragari, et ab omnibus inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios vel Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores Sedisque Apostolicae nuncios ac S. R. E. Cardinales et de latere Legatos, sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate judicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstant. Nostra, et Cancellariae Apostolicae de jure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque etiam speciali, et expressa mentione et derogatione dignis contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 25. Aprilis 1834. Pontificatus Nostri anno quarto.

Pro Domino Cardinali Albano

A. Picchioni Substitutus.

Episcopatum Vincennopolitanum in India in faederatis Americae Septemtrionalis provinciis Archiepiscopi Baltimorensis suffraganeum erigit.

G R E G O R I U S P A P A X V I.

Ad perpetuam rei memoriam.

Maximas inter gravissimasque curas ac sollicitudines quibus in universa Ecclesia Nobis divinitus concredita regenda ac moderanda continenter distinemur et angimur, illa profecto in primis Nostrum animum solet urgere, quae Dioecesium omnium per totum terrarum Orbem respicit statum. Supremae enim Nostrae Pietatis, Nostrique iudicii est illas constituere, earumque limites praefinire, vel immutare, prout rerum ac temporum ratio, et spirituale praesertim Christifidelium bonum et commodum, postulare videatur. Quum itaque ex communi Venerabilium Fratrum Americae Septemtrionalis Episcoporum suffragio constiterit opportunum omnino esse ad Religionem Catholicam in Statu, vel Provincia Indiana confirmandam atque amplificandam, Episcopatum erigere et constituere, cujus Sedes sit Vincennopolis, certis quibusdam limitibus circumscriptum; Nos rem tanti momenti Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Negotiis Propagandae Fidei praepositorum examinandam commisimus. Rebus itaque omnibus maturo examine perpensis, et habita praesertim ratione spiritualis boni, quod in populis earum Regionum redundat, de eorundem Fratrum sententia atque consilio, ejusdem Dioecesis, et Episcopatus erectionem perutilem esse cognovimus. Motu igitur proprio, atque ex certa scientia, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, in statu vel Provincia Indiana in America Septemtrionali novum Episcopatum cujus Sedes sit Vincennopolis, unde etiam Episcopatus ejusdem titulus derivetur, harum Litterarum vi erigimus, atque statuimus. Hujusce autem Dioecesis limites erunt Provincia Indiana una cum parte Illinois, cujus reliqua pars Dioecesi S. Ludovici adjungatur; ita quidem ut utriusque Dioecesis limites in Provincia Illinensi statuuntur hoc modo. Incipiendo a Flumine Ohio qui ad meridiem dividit Henluky ab Illinois et proprie ab Castello Massa ducatur linea recta per fines orientales Comitatum Johnson, Francklin, Ifferson, Ma-

tion, Fajette, Schelly et Mann usque ad magna floenta Fluminis Illinois, quae sunt ad octo millia passuum supra Oppidum Ottawa in Comitatu Lasalle, et hic usque ad Septentrionalem Provinciae finem, ita ut pars Occidentalis Provinciae Illinensis pertineat ad Dioecesim S. Ludovici, pars vero ad Orientem spectet ad Dioecesim Vincennopolitanam. Decernimus propterea has litteras firmas, validas, ac efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, et singula quaeque quemadmodum a Nobis praescripta sunt accurate adimpleri, sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios et Delegatos et Causarum Palatii Apostolici auditores, et S. R. E. Cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate et auctoritate iudicari et defini debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. M. M. sub annulo Piscatoris die 6. Maii 1834. Pontificatus Nostri anno quarto.

Pro Domino Card. Albano

A. Picchioni Substitutus.

Vicariatum Apostolicum Novae Hollandiae constituit.

Venerabili Fratri Joanni Polding Episcopo Hiero-Caesareen.

G R E G O R I U S P A P A X V I.

*Venerabilis Frater Salutem, et Apostolicam
Benedictionem.*

Pastoralis Officii munus Nobis ex alto commissum illud unum vel maxime postulat ut omni quidem studio et contentione spirituali Christifidelium bono prospiciamus, quo in viam mandatorum Dei dirigantur, atque ad aeternam salutem assequendam opportunis praesidiis adjuventur. Itaque cum maximam ob difficultatem experientia satis comprobatum alicujus utilis communicationis inter novam Hollandiam, cujus spiritualis cura Venerabili Fratri Episcopo Vicario Apostolico in Insula Mauritii demandata fuerat, et ipsam Insulam Mauritium, rebus Catholicorum magno in numero in praedicta Novae Hollandiae Regione et in proxima Insula Diemen. commorantium, satis consuli, ut par est, non posse videatur, nisi Vicarius Apostolicus constituatur, qui caractere Episcopali insignitus in vastissima illa Regione degens prae-

sit rebus Ecclesiasticis, Nos de VV. FF. NN. S. R. E. Card. negotiis de Propaganda Fide praepositorum consilio hujusmodi manus Tibi Venerabilis Frater committendum censuimus quamplurimum in Domino confisi, quod singulari Tua doctrina, pietate, prudentia et Catholicae Religionis zelo ea omnia cumulate sis expleturus, quae Tibi committentur; Itaque harum litterarum vi Te a quibusvis excommunicationis etc. absolutum fore censentes Te novae Hollandiae et adjacentis Insulae Diemen. Vicarium Apostolicum cum omnibus juribus et facultatibus ad Nostrum et hujus Apostolicae Sedis beneplacitum eligimus, constituimus et deputamus, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium. Mandamus propterea omnibus et singulis ad quos spectat, et spectabit in posterum, ut Tibi in praemissis prompti pareant, et obediant etc. observari. Non obstantibus Apostolicis etc. derogamus, ceterisque etc.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 3. Junii 1834. Pontificatus Nostri anno quarto.

Pro Domino Cardinali Albano.

A. Picchioni Substitutus.

Diaecesium in Foederatis Americae Septemtrionalis provinciis limites constituit, ac decernit.

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Benedictus Deus cujus misericordiae non est numerus et bonitatis infinitus est Thesaurus, Nos quidem amaritudinibus undique affici ac fluctibus sine intermissione jactari permittit, animo tamen despondere non patitur gaudiisque interdum spiritualibus dignatur cor Nostrum reficere ac dilatare ut alacriores effecti Apostolicae sollicitudinis curas ad remotissimas quoque Orbis Regiones impense conferamus, et quidquid orthodoxae fidei dilatationi, Pastorum tranquillitati et recto Christifidelium regimini aptius congruere conspiciamus id Apostolica qua fungimur auctoritate statuamus et decernamus. Nobis sane quo felici successu Catholica Religionis negotia in Provinciis foederatis Americae Septemtrionalis progredierentur jam tum plane innotuit, cum in minoribus constituti Congregationi Propagandae Fidei operam Nostram prius Consultoris officio deinde Cardinalis Praefecti munere impenderemus. Postquam vero ineffabili Dei bonitate, nullisque nostris suffragantibus me-

ritis ad ejus vices in Terris gerendas qui Gloriosus regnat in Coelis vocati fuimus, letiora etiam et indubia de Sacrosanctae Catholicae Fidei propagatione deque Venerabilium Fratrum Episcoporum concordia studio et cura in pascendis ac regendis ovibus sibi commissis divinoque cultui augendo Nobis allata sunt testimonia; supra modum itaque laetitia perfundimur ac Deo optimo maximo honorum omnium Largitori debitas persolvimus gratias, simulque preces supplicationesque Nostras effundimus, ut qui coepit opus bonum ipse perficiat gaudiumque Nostrum reddat plenum. Nos interea eorundem Antistitum postulacionibus obsecundare et Christifidelium utilitati quantum Nobis ex alto datum est prospicere volentes, limites Diaecesium in memoratis Regionibus existentium singillatim exscribendos putamus, ut Catholicae Religionis negotia laudabilibus in dies possint proficere incrementis, ac de profectu sanctorum ovium haurientium aquas in gaudio de fontibus Salvatoris fiat corona immarcescibilis Pastorum. Etenim ad aures Nostras pervenit ex plurium Sediũ Episcopaliũ erectione haud longo annorum decursu expleta ob magnum quod accepit orthodoxa Fides in America foederata incrementum vetusta Dioecesum confinia evasisse minus accomodata vel incerta, proindeque ad omnem quoque dubitationis et anxietatis tollendam occasionem quae circa Jurisdictionis Ecclesiasticae exercitio, Venerabiles Fratres Episcopos ac Dilectos Filios Presbyteros in illa Vineam Domini parte tam naviter ac tam prospere adjuvante Domino laborantes perturbare, et vinculum charitatis quo in Domino colligantur abrumpere possit, esse omnino necessarium ut certe locorumque conditioni congruentes illarum Dioecesum limites per Apostolicam Sedem quae divinitus super omnes alias Ecclesias jurisdictionis obtinet Primatum statuatur et describantur. Quapropter Nos qui rem universam Congregationi Venerabilium Fratrum S. R. Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum extendendam commisimus eorundem consilio adhaerentes atque etiam Episcoporum votis in Synodo provinciali Baltimorensi mense Octobri superioris anni millesimi octingentesimi trigesimi tertii congregatorum annuentes, ex certa scientia, matura deliberatione, deque Apostolicae potestatis plenitudine ad Omnipotentis Dei gloriam Deiparae laudem ac Fidei Catholicae exaltationem limites Dioecesum in America foederata in hunc qui sequitur modum assignamus et circumscribimus, eosque ab omnibus perpetuo ac inviolabiliter servari jubemus atque mandamus, nimirum Archidioecesis Baltimorensis complectetur totam Marylandiae Provinciam cum Districtu foederali Columbiae: Archiepiscopus propterea Baltimorensis Episcopalem Sedem Richmodensem donec aliter a S. Sede provideatur administratoris titulo procurabit atque Dioecesis Virgin. Provinciam subjectam habebit: Dioecesis Bostoniensis comprehendet sex Provincias quae vulgo Nova Anglia nuncupantur, idest Massachusets, Mai-

ae, New Hampshire, Rhode-Island, Connecticut, Vermont: Dioecesis Novi Eboraci continebit Provinciam ejusdem nominis atque et Comitatus in Provincia New-Jersey existentes, scilicet Sussex, Bergeu, Morris, Essex, Somerset, Middlesex, et Monmonth: Dioecesis Philadelphiae constabit ex Provinciis Pensylvaniae et Declaware una cum sequentibus Comitatus in Provincia New-Jersey, hoc est Hunterdon, Warren, Burlington, Gloucester, Salem, Cumberland et Cape-May: Dioecesis Caropolitana complectetur Provincias Carolinam Septentrionalem et Georgiam: Dioecesis Mobiliensis efformabitur ex Provinciis Alabamae et Floridarum: Dioecesis Novae Aureliae constituetur ex Provinciis Luisianae et Mississipii: Dioecesis Gincinnati. continebit Ohio provinciam: Dioecesis Detroitensis comprehendet Territoria Michigan et Nord-owest, seu North-Western: Dioecesis Bardensis habebit Provinciam Kentucky et Tennessee: Dioecesis S. Ludovici complectetur Provinciam Missisurii una cum Territorio dicto Arkansas, et donec aliud a S. Sede statuatur habebit quoque territorium ac Occidentalem plagam fluminis Mississipii: Dioecesis denique Vincennopolitana comprehendet Provinciam Indianae una cum parte Illinois cujus reliqua pars Dioecesi S. Ludovici adjungetur, ita quidem ut utriusque Dioecesis limites in Provincia Illinensi statuatur hoc modo, incipiendo a flumine Ohio quod ad meridiem dividit Kentucky ab Illinois et proprie a Castello Masse ducatur linea recta per fines Orientales Comitatum Johnson, Francklin, Jefferson, Marion, Fayette, Shelby et Macon usque ad magna fluenta fluminis Illinois quae sunt ad octo millia passuum supra Oppidum Ottawa in Comitatu Lassel, et hinc usque ad Septentrionalem Provinciae finem adeo ut pars Occidentalis lineae Provinciae Illinensis pertineat ad Dioecesim S. Ludovici; pars vero Orientalis ad Dioecesim Vincennopolitanam omnino spectet. Itaque Ven. Fratri Jacobo Archiepiscopo Baltimorensi quem in praesentium Litterarum exequutorem eligimus et deputamus, per Apostolica scripta mandamus ut ipse per se vel per alios viros Ecclesiastica dignitate insignitos ab eo subdelegandos hasce Nostras litteras ubi et quando opus fuerit, ac quoties ab iis quorum interest aut ab aliquo eorum fuerit requisitus, solemniter publicet et exequatur, ac omnia et singula in eis contenta faciat auctoritate Nostra ab omnibus ad quos spectat, et pro tempore spectabit inviolabiliter observari, atque ut tam ipse quam personae ab eo subdelegandae super quacumque oppositione in actu exequutionis quomodolibet oritura etiam definitive, et quacumque appellatione remota pronunciare libere ac licite possit atque valeat contradictores quoslibet ac rebelles per sententias censuras poenasque Ecclesiasticas aliasque juris et facti remedia compescendo, invocato etiam si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, plenam, et omnimodam facultatem concedimus atque largimur. Eidem vero Archiepiscopo Baltimorensi praecipimus ac mandamus ut singulorum

actorum in harum litterarum executione conficiendorum exemplar authentica forma exaratum intra decem menses ab expleta ipsarum executione ad hanc Apostolicam Sedem transmittat illudque in Archivio Congregationis Propagandae Fidei asservari volumus. Praesentes vero litteras semper ac perpetuo validas, et efficaces existere ac fore nulloque unquam tempore subreptionis, obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae aliove quovis defectu etiam ex eo quod ii quorum interest seu interesse posset in futurum cujusvis status, Ordinis, praeeminentiae ac Dignitatis sint illis non consenserint aut minime vocati et auditi fuerint aut ex eo quod solemnitates ac quaecumque alia forsanservanda minime servata fuerint impugnari aut in controversiam vocari posse sed tamquam ex Pontificiae providentiae officio, ac motu proprio factas omnimoda firmitate existere suosque plenarios et integros effectus sortiri, sicque ab omnibus censeri ac ita et non alias per quoscumque Judices Ordinarios vel Delegatos quavis auctoritate fulgentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi ac interpretandi facultate judicari et definiri debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari irritum et inane decernimus atque declaramus. Non obstantibus de jure quaesito non tollendo aliisque Cancellariae Apostolicae regulis nec non Apostolicis et Synodalibus Constitutionibus ceterisque etiam speciali et individua mentione dignis in contrarium praemissorum editis, quibus omnibus hac vice dumtaxat et ad praemissorum effectum derogamus ac derogatum esse volumus. Hujusmodi autem litterarum transumptis seu exemplis et impressis manu Notarii publici subscriptis ac sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis eamdem ubique locorum in judicio et extra fidem praebere volumus quae his praesentibus haberetur si originaliter exhiberentur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae circumscriptionis, assignationis, immutationis, concessionis, commissionis, mandati ac voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo trigesimo quarto, decimoquinto kalendas Julias Pontificatus Nostri anno quarto.

Loeo: ✠ Plumbi

Super quibus quidem litteris ego Notarius Apostolicus praesens transumptum confeci et signavi praesentibus DD. Germano et Damaso Testa testibus etc.

Concordat cum originali Alexander Maciotti Officialis deputatus.

B. Card. Pro-Datarius.

Ita est Carolus Battaglia Notarius Apostolicus.

Tom. V.

P

*Delegatum Apostolicum in Regno Graeciae Episcopum Syrensem
Maris Aegaei constituit.*

Venerabili Fratri Aloisio Mariae Blancis Episcopo Syrensi
in Mari Aegaeo.

G R E G O R I U S P A P A X V I .

Ven. Frater Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Pastoralis officii Nostri ratio atque universi Domini gregis salus Nobis divinitus concredita postulant, ut Christianorum in dissitis etiam quibuscumque mundi plagis existentium saluti omni studio prospiciamus. Cum itaque pacatas aliquando publicas Graeciae res esse cognoverimus, ac Regem cum suprema imperii potestate ea in regione fuisse constitutum, attentis peculiaribus locis, nationisque adjunctis, ferme impossibile, atque inopportunum esse perspeximus, jurisdictionem spiritualem, quam hactenus in quibusdam Regni locis supra Catholicos Latini Ritus obtinebant, tam Ven. Fratri Vicario Apostolico Constantinopoleos, quam Ven. Fratri Episcopo Zacynthi, et Cephaloniae exercendam relinquere. Quamobrem de VV. FF. NN. S. R. E. Card. negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, tum Religionis bono, tum illorum fidelium commodo magis opportunum existimavimus in Peloponneso, aliisque continentis in Graeciae plagis, atque in iis Insulis, in quibus nullus ex Episcopis in Mari Aegaeo existentibus jurisdictionem exercet, aliquem Apostolicum Delegatum statuere, qui Episcopali caractere insignitus, saluti ac necessitatibus spiritualibus Catholicorum ubique consulat. Itaque hisce litteris auctoritate Nostra Apostolica jurisdictionem omnem jam commissam in memoratas Regni Graeciae plagas tam Ven. Fratri Vic. Apostolico Patriarchali Constantinopoleos, quam Ven. Fratri Episcopo Zacynthi et Cephaloniae omnino revocamus, penitus auferimus, ac de modo tollimus, atque eadem auctoritate Nostra Apostolica, Te, Ven. Frater, qui Episcopus Syrensis in Mari Aegaeo existis, ac eximia pietate, doctrina et summa in rebus gerendis prudentia plurimum praestas pro universis commemoratis iis locis Delegatum Apostolicum cum omnibus juribus et facultatibus, quae ejusdem propriae sunt muneris, ad Nostrum et hujus Apostolicae Sedis beneplacitum tenore praesentium eligimus, constituimus et deputamus. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae apud S. M. M. sub Annulo Piscatoris die 19. Augusti 1834. Pontificatus Nostri anno quarto.

Pro Domino Cardinali Albano

A. Picchioni Substitutus.

De collato Legati munere pro insula S. Dominici Episcopo Carolopolitano, deque ceteris eam rem respicientibus scribit.

Ven. Fratri Joanni England Carolopolitano in Foederatis
Americae Septemtrionalis Provinciis Episcopo.

GREGORIUS PAPA XVI.

Ven. Frater Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Universi Dominici Gregis salus Nobis divinitus concredita qua diu noctuque continenter distinemur postulat atque efflagitat, ut summa quidem pastoralis Nostrae vigilantiae cura, spirituali omnium Christi-fidelium utilitati pro viribus prospiciendum curemus. Itaque probe noscentes in Haitarum Insula Christifideles propriis orbatos Pastoribus, ac necessariis Ecclesiae destitutos praesidiis in magno aeternae salutis discrimine versari paterna Nostri animi sollicitudine eorum incommodis occurrere summopere cupientes, atque afflictis ac pene prostratis ea in Insula Religionis rebus consulere vehementer optantes, atque egregias, et singulares Tuas dotes minime ignorantes opportunum existimavimus per similes Apostolicas litteras die 15. Martii anno 1833. datas, Te Ven. Fr. ad illam Insulam mittere, ut hujus Apostolicae Sedis Legati munere fungens cum Exc^{mo} Boyer totius Haitarum Reipublicae Praeside Catholicae Religionis causam ageres eaque omnia peragenda curares, quae ad spiritualem illorum populorum salutem pertinere posse viderentur. Jam vero non mediocri animi Nostri voluptate novimus Te nihil inausum, nihilque intentatum reliquisse quo Nostris desideriis cumulatissime responderes. Omni enim cura, studio, diligentia, labore non solum gravissima Religionis negotia ea in Insula tractanda curasti, verum etiam eorum Fidelium bono consulendi cupidus Romam Te iterum contulisti, resque omnes a Te peractas Nobis accuratissime exponens, quae peragenda forent, significasti. Nos igitur quibus nihil potius, nihil praestabilius esse potest, quam ut omnes fideles quos tamquam carissimos in Christo filios in sinu atque oculis gestamus, opportunis ac salutaribus muniti praesidiis ad aeternam consequendam salutem omni ope et opera juventur, Nostram curam cogitationemque in christianam ejusdem Insulae plebem contulimus. Quamobrem rebus omnibus maturo ac diligenti examine perpensis summopere in Domino fidentes Te eximia tua prudentia, doctrina, consilio, et Catholicae Religionis zelo nihil praetermissurum quod ad earum animarum rationes pertinent hisce litteris auctoritate Nostra Apostolica commemoratae Insulae in hujus Apostolicae Sedis Legatum confirmamus cum omnibus et singulis facultatibus, quae Tibi ejusmodi muneris ratione

tributae fuerunt. Quo vero facilius atque expeditius in illorum fidelium salutem procurandam incumbere possis Tibi harum litterarum vi eadem auctoritate Nostra non solum eas omnes et singulas facultates, et jura concedimus, quibus Episcopi in propriis Dioecesibus pollent, quaeque ordinaria appellantur, verum etiam alias tribuimus atque impertimur praeter communem ordinem et peculiare omnino, quas locorum longinquitas atque necessitas requirunt, prout clare aperteque intelliges ex paginulis vulgo pagellae, quas tibi auctoritate Nostra tradendas mandavimus. Praecipimus propterea omnibus et singulis ad quos spectat, ut Te in Nostrum, et hujus S. Sedis Legatum Haitarum Insulae pro spirituali eorum fidelium bono eo quo par est obsequio excipiant, ac debita observantia tibi pareant, faveant ac praesto sint. Nos enim interim Deum totius consolationis, et misericordiarum Patrem in humilitate cordis Nostrum obsecrare non desinemus, ut tibi mittat auxilium de Sancto, quo Catholica Religio prospere feliciterque ea in Insula floreat, et fideles omnes inoffenso pede vias mandatorum Dei percurrant.

Datum Romae apud S. M. M. sub annulo Piscatoris die 22. Augusti 1834. Pontificatus Nostri anno quarto.

Pro Domino Cardinali Albano

A. Picchioni Substitutus.

*Othoni I. Graeciae Regi Episcopum Syrensem Delegatum
Apostolicum commendat.*

Carissimo in Christo Filio Nostro Othoni Graeciae Regi Illustri.

G R E G O R I U S P A P A X V I.

*Charissime in Christo Fili, Salutem et Apostolicam
Benedictionem.*

Nobilissimum Graeciae Regnum cujus ad gubernacula ut Regia Majestas Tua admoveretur mirifico Divinae Providentiae consilio factum est, non exiguum hominum Catholicorum numerum tum in Insulis habet, tum in locis mediterraneis, quibus ad voluntatem Tuam conciliandam, etsi communem cum ipsis Religionem et propriam Tuam pietatem satis per se valere confidimus; tamen, cura urgente Nos istius partis commissi humilitati Nostrae a Christo Domino Gregis sui, Nostrum omnino esse ducimus spirituales potissimum eorum necessitates fidei ac patrocinio Tuo summopere commendare. Hoc vero apud Regiam Majestatem Tuam officio cum omnium Catholicorum ditioni Tuae

subditorum causa impense fungimur, tum nominatim Ven. Fratris Aloisii Episcopi Syrensis, quem e quatuor Episcopis qui in Aegaeo mari gregi Catholico praesunt nuper a Nobis delectum Delegati Apostolici titulo et auctoritate instruximus, id ei demandantes negotii, ut dispersos variis locis Catholicos, qui in jurisdictione non sunt trium illorum Episcoporum, vigilantia sua regat curaque pastoralis. Eum igitur Tibi, Carissime in Christo Fili Noster, sistimus, utque omni Regiae benignitatis tuae studio prosequi velis Te etiam atque etiam rogamus. Vir est pietate praestans, integritate ac fide, denique multarum merito virtutum Nobis acceptus, adeo ut quidquid favoris et auxilii ex benevolentia Regiae Majestatis Tuae ac Ministrorum Tuorum fuerit consecutus, tamquam pro collato Nobismetipsis beneficio gratiam simus maximam habituri. Interim Tibi, Carissime in Christo Fili Noster, fausta omnia vereque salutaria quanta possumus paterni animi contentione precantes a Domino, omnis auspiciem gratiae caelestis Apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae apud S. M. M. die 25. Augusti 1834. Pontificatus Nostri anno quarto.

Sardhae Vicariatum Apostolicum Principis Joannae Sombre Begum Principatum comprehendentem in Indiis Orientalibus erigit.

G R E G O R I U S P A P A X V I.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex munere pastoralis ministerii superna Dei providentia humeris Nostris impositi non leve sane totius Dominici Gregis onus ferentes, illis praecipue ovibus, quae regiones a Sede hac Apostolica ubi Catholicae centrum est unitatis longe dissitas incolunt majori consulendum sedulitate censemus, ut in adventu Pastoris aeterni repertae, sicut oportet, per Apostolicam curam intra verum ovile ad pascua caelestia vocari valeant feliciterque perducere. Hinc cum ad Religionis Catholicae incrementum in Indiis Orientalibus latius comparandum in primis opportunum, et utile esse videatur, praeter ceteros Vicarios Apostolicos in iis Regionibus constitutos alium Vicarium Apostolicum Episcopali dignitate insignitum ibi statuere, de VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio censuimus atque decernimus Sardhanam et Principatum totum Joannae Sombre Begum ab jurisdictione Ven. Fr. Vicarii Apostolici Agrae commoventis subtrahentes in peculiarem ac distinctum Vicariatum Apostolicum

esse erigendum. Motu igitur proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione deque Apostolicae potestatis plenitudine harum Litterarum vi Sardhanam, ac Principatum totum Joannae Sombre Begum ab Jurisdictione Ven. Fratris Vicarii Apostolici Agrae commorantis subtrahentis in peculiarem, ac distinctum Vicariatum Apostolicum erigimus, et in eo Vicarium Apostolicum constituimus, ubi memoratae Principissae munificentia pulcherrimum Templum aedificatum est, atque ubi ejusdem Principissae beneficio Vicarius Apostolicus copiam talem reddituum habebit, ut honestae suae sustentationi, Clericorum institutioni, animarum saluti consulere commode possit. Ipsi autem Vicario ab hac S. Sede adlegendo omnes et singulas facultates hujusmodi Vicariis Apostolicis concedi solitas eadem auctoritate Nostra concedimus, et impertimur. Haec statuimus atque decernimus, volentes has praesentes Nostras litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere debere, ac iis ad quos spectat, ac in futurum spectabit, plenissime suffragari, et ab omnibus inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque Judices etc. contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Regula de jure quaesito non tollendo, aliisque etc. opportunis.

Datum Romae apud S.M.M. sub annulo Piscatoris die 11. Sept. 1834.
Pontificatus Nostri anno quarto.

Pro Domino Card. Albano

A. Picchioni Substitutus.

*Principem Davidem Begum Sombre Equitem Ordinis
Christi constituit.*

G R E G O R I U S P A P A X V I.

Dilecte Fili Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

In hoc amplissimo Dignitatis, atque auctoritatis gradu nullis certe Nostris pro meritis, sed arcano divinae providentiae consilio collocati, ac propterea gravissima totius Catholici Orbis regendi sollicitudine continenter districti, ac pene obruti nihil profecto gratius, nihil optabilius contingere potest quam amplissima honorum munera, et praecipua Nostrae benevolentiae testimonia iis praestantissimis viris, qui avita generis nobilitate clari, ac virtutum laude spectati, de re catholica, deque hac Apostolica Sede praeclare mereri summopere gloriantur. Equidem Nobis compertum, exploratumque est de nobilissima ortum Familia ac rebus omnibus institutum, et egregiis animi, ingeniique

dotibus ornatum, singulari in Nos, et in hanc Petri Cathedram obsequio praestantem, ac dilectissimae in Christo Filiae Principis Foeminae Begum Sombre Sardhaniae pietate, et Religione illustris nepotem, et primum a publica illius Principatus negotiis, tum civilibus tum militaribus Administrum, summa cura, et studio in Catholicae Religionis bonum procurandum mirifice incumbere, et omnia conari, ut de Nobis, deque hac Apostolica Sede quam optime mereri possis. Quo circa aliquam in Te Nostrae voluntatis significationem quam libentissime exhibendam censuimus. Peculiari ergo honore afficere volentes Te a quibusvis excommunicationis etc. si quas forte incurristi hujus tantum rei gratia absolventes etc. censentes, de militiae Jesu Christi Equitem renuntiamus, Teque in eum clarissimum Ordinem auctoritate Nostra Apostolica hisce litteris cooptamus, et splendidam ejusdem Ordinis Crucem Tibi mittendam statuimus. Proprium vero hominum illius Ordinis habitum accipies a quo Tibi ad libitum Catholico sacerorum antistite communionem cum Cathedra Romana sociato, vel ab uno ex primis Missionariis, si Episcopus praesto esse non poterit (in id enim illis facultatem opportunam tribuimus) accitis, adstantibusque pro libito pariter a Te delectis duobus, aut saltem uno ex Equitibus militiae Jesu Christi aut militiae alterius vel duobus Testibus si nemo reperiri potest Equitum tam Ordinis in quem adlegeris, quam alterius militiae. Coram illo autem antistite, vel Missionario, a quo honorificam vestem acceperis, statim; aut facto temporis intervallo conceptis verbis ea profitebere quae continetur formula profitentibus militiam Jesu Christi praescripta, quae postquam fueris exequutus, Te competentem fieri volumus Jurium, Privilegiorum, Immunitatum omnium et singularum quaecumque datae et attributae sunt aliis militiae Jesu Christi militibus etiam qui illius vestem a Lusitaniae Rege acceperint, cui perpetuam Ordinis administrationem Apostolica Sedes indulsit. Haec Tibi concedimus atque impertimur. Non obstantibus Constitutionibus et sanctionibus Apostolicis, nec non commemoratae militiae etc. quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 27. Nov. 1834. Pontificatus Nostri anno quarto.

Pro Domino Cardinali Albano

A. Picchioni Substitutus.

*Erigit in Insula Ceylan in Indiis Orientalibus peculiarem
Vicariatum Apostolicum.*

G R E G O R I U S P A P A X V I .

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex munere Pastoralis ministerii superna Dei providentia humeris Nostris impositi non leve sane totius Dominici Gregis onus ferentes, illis praecipue ovibus, quae Regiones a Sede hac Apostolica, ubi Catholicae Religionis atque unitatis est. centrum, longe dissitas incolunt, majori quidem vigilantia consulendum esse censemus, ut in adventu Pastoris aeterni repertae, sicut oportet, per Apostolicam curam intra verum ovile ad pascua coelestia vocari valeant, feliciterque perducantur. Hinc quum ad Religionis Catholicae incrementum in Insula Ceylan procurandum, atque ad Ecclesiastici regiminis formam in eadem Insula rite statuendam, opportunum atque utile in primis esse exploratum sit, ut vastissima illa Insula in Vicariatum Apostolicum erigatur, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio memoratam Insulam in peculiarem Vicariatum Apostolicum erigendam esse censuimus. Motu igitur proprio, atque ex certa scientia, et matura deliberatione, deque Apostolicae Potestatis plenitudine, harum litterarum vi, Insulam Ceylan in peculiarem et distinctum Vicariatum Apostolicum erigimus, et in eo Vic. Apostolicum constituimus, cujus Sedes in Civitate Columbi esse debet, et limites ejusdem Vicariatus, ipsi amplissimae illius Insulae fines cum suis pertinentiis. Ipsi autem Vicario ab hac S. Sede adlegendo omnes et singulas facultates hujusmodi Vicariis Apostolicis concedi solitas, eadem auctoritate Nostra concedimus et impertimur. Haec statuimus, atque decernimus, volentes has praesentes litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac iis ad quos spectat, et in futurum spectabit, plenissime suffragari, et ab omnibus inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari et definiiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstant. quoties opus fuerit Nostra, et Cancellariae Apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et sanctionibus Apostolicis, ceterisque etiam speciali, et expressa mentione et derogatione dignis contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 3. Dec. 1834. Pontificatus Nostri anno quarto.

Pro Domino Cardinali Albano

A. Picchioni Substitutus.

Revocat literas Apostolicas Urbani VIII., quibus ob gravia temporum adjuncta concesserat ut Seminariorum, seu Collegiorum Hiberniae extra Hiberniam ipsam existentium Alumni sine litteris dimissoriis propriorum Ordinariorum possent ad Sacros Ordines promoveri.

G R E G O R I U S P A P A X V I.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ea semper providentissima fuit Sedis Apostolicae cura, ut si quando Ecclesiae Catholicae bonum requirere videretur regulas ad disciplinam spectantes temperare, id libenter, habita temporum ratione, concederet. Talem fuisse reperimus adhibitam ab Urbano VIII. fel. rec. Praedecessore Nostro agendi rationem, ut Religionis utilitati in Hibernia consuleret, quae aetate sua in eo regno magna calamitate afficiebatur, qua illud et infeliciter eveniebat, ut Catholici Antistites difficilem cum Clero ac populo suo communicationem haberent. Ne enim ea de causa vel retardarentur, vel impedirentur Sacerdotum Ordinationes qui in Hibernia Sacro Ministerio fungi debebant, Litteris Apostolicis VI. Id. Julii an. MDCXXVI. datis, quae incipiunt = Piis Christifidelibus = permisit ut Hibernensium Seminariorum Alumni quae in Hispania, Gallia, Flandria, atque alibi jam erecta erant, vel quae in posterum erigenda essent, etiam sine litteris dimissorialibus propriorum ordinariorum sed cum litteris testimonialibus Rectorum Seminariorum vitae, morum pietatem, peritiamque probantibus ad omnes Min. et Sacros Ordines usque ad Presbyteratum inclusive possent promoveri. Fuit hoc Catholicis Hiberniae antistitibus gratum. Praedecessor enim Noster Urbanus VIII. ad id consilii capiendum, quod necessitas suadebat, adductus est etiam precibus Archiepiscopi Dublinensis, qui hoc loco ab Apostolica Sede petierat. Constat vero Pontificem facultatem illam concedendo, temporario tantum Indulto, quod rerum adjuncta postulabant, Ecclesiae bono in Hibernia prospicere voluisse. Quoniam vero nunc summo Dei O. M. beneficio Ecclesia Catholica in Hibernia tranquillitatem recuperavit, eaeque causae, quibus memorata superius Apostolica facultas concessa fuit, esse desierunt, Archiepiscopis ipsis atque Episcopis Hiberniae ita precantibus, statuimus declarandum indultum ab Urbano VIII. concessum effectum in posterum habere amplius non debere. Itaque primum decernentes Pontificium nationis illius Collegium in Urbe constitutum, hoc Nostro mandato, ac declaratione non comprehendi, cujus Collegii privilegia ab Apostolica Sede tributa sarta tectaque esse debere statuimus de Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei prae-

Tom. V.

Q

positorum consilio, matura ex scientia ac deliberatione Nostra, facultatem a Praedecessore Nostro Urbano VIII. Hibernensium Seminariis elargitam revocamus, vel cessasse declaramus. Constitutionem igitur ejusdem Pontificis pro temporum necessitate datam abrogantes, decernimus Seminaria Hibernensium in Gallia, Hispania, Flandria, vel alibi erecta ac erigenda imposterum non gaudere amplius indulto, ut eorum alumni sine propriorum ordinariorum dimissorialibus litteris, et cum solis testimonialibus litteris Rectorum ordinari possint, sed debere omnes et singulos alumnos qui ad Ordines promovendi sunt, ordinariorum suorum dimissoriales litteras impetrare, atque eas Episcopo a quo ordinandi sunt, exhibere. Haec volumus atque mandamus, decernentes has praesentes litteras firmas, validas, ac efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios et Delegatos et Causarum Palatii Apostolici auditores, et S. R. E. Cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate et auctoritate judicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstan. memoratis litteris Urbani VIII. Praedecessoris Nostri datis die VI. Idus Jul. an. MDCXXVI. aliisque Apostolicis ac in universalibus Provincialibusque et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 10. Aprilis 1835. Pontificatus Nostri anno quinto.

E. Card. De Gregorio.

Erectionem Vicariatus Bengalensis Calcuttae anno 1834. factam confirmat, et Pauli V. decreto, quod in ea re opponebatur, expresse derogat.

G R E G O R I U S P A P A X V I.

Ad perpetuam rei memoriam.

Commissi Nobis pastoralis officii debitum, quo Religionis Catholicae bono in longinquis etiam regionibus prospicere tenemur, compulit Nos ut datis litteris in forma Brevis die 18. Aprilis anno 1834. Vicarium Apostolicum Calcuttae constitueremus, qui populosam illam Urbem, ejusque universam politicam Praefecturam subjectam haberet, exceptis tantummodo locis, quae vel Vicario Apostolico Missionis Thi-

betanae subjacent, vel quae Vicario Apostolico in Regnis Avae et Pegù obtemperant. Quamquam vero sit hoc positum in ipsa Vicariatus Apostolici natura, ut qui eo munere funguntur, a Sede Apostolica dumtaxat dependeant, volumus tamen ad clariorem mentis Nostrae significationem, dissertis verbis in Nostris litteris Apostolicis affirmare Vicarii Apostolici Calcuttae constituti officium Apostolicae tantum Sedis esse subjectum. Ad vitandum praeterea dissidii praetextum, censuimus deinde declarandum, Ecclesias omnes etiam PP. Ord. S. Augustini in Calcuttensi Civitate, et in Politica Calcuttensi Praefectura sub Vicariatu Apostolico Calcuttensi seu existentes, seu aedificandas in posterum, in jurisdictione Vicarii Apostolici esse, ac permanere debere, prout constat ex Nostrae Congregationis de Propaganda Fide decreto, quod die 27. Decembris anni 1834. Calcuttam ad Vicarium Apostolicum missum est.

Post hanc adeo perspicuam mentis Nostrae explicationem vix Nobis in animo inducere poteramus evenire posse ut de Vicarii Apostolici jurisdictione, deque locis, in quibus illam exercere possit, dubium aliquod excitaretur. Illud praesertim afferre legitimam de ea re dubitandi causam non poterat a fel. rec. Praedecessore Nostro Paulo Quinto anno 1606. regiones in Bengala comprehensas, Episcopi S. Thomae Meliaporensis jurisdictioni subjectas fuisse, in litteris autem Apostolicis a Nobis scriptis, ejusdem Praedecessoris Nostri voluntati, peculiari mentione facta non esse derogatum. Mirum profecto est, eos qui tantam erga Praedecessorem Nostrum observantiam praesefere videntur, viventem in Nobis plenitudinem potestatis nullomodo revereri. Constabat vero ex Nostrarum litterarum Apostolicarum contextu novum prorsus a Nobis rerum Ecclesiasticarum regimen in iis regionibus esse statutum, et ad illud consilium ineundum Nos adductos esse, tum quod ob temporum vicissitudines, diversa nunc sint illarum regionum adjuncta temporale dominium respicientia, ab iis quae Pauli Quinti Praedecessoris Nostri aetate obtinebant, tum maxime quod exploratum Nobis omnino esset, in extremum discrimen Religionem Catholicam in iis locis adductum iri, nisi de suprema potestate, quam Nobis Deus licet immerentibus in D. Petro tradidit, pascendi, regendi, gubernandi universalem Ecclesiam, omni mora deposita, remedium opportunum, et grave tantis malis afferremus.

Haec licet ita sint, volumus tamen omnem perturbandae tranquillitatis rationem penitus auferre. Itaque ex matura scientia ac deliberatione Nostra, declaramus Apostolica auctoritate Nostra derogatum esse, et derogari iis, quae Paulus Quintus Praedecessor Noster anno 1606. statuerat dum regiones in Bengala, aliasque a Nobis in litteris Apostolicis diei 18. Aprilis 1834. Vicario Apostolico Calcuttae constituto tributas, ad Episcopum Meliaporensem S. Thomae pertinere de-

crevit. Affirmamus Dilectum Filium Robertum St. Leger Societatis Jesu, quem Vicarium Apostolicum Calcuttae instituimus et ceteros, qui futuris temporibus ab Apostolica Sede ibi statuentur, ab Eiusdem Apostolicae Sedis auctoritate tantummodo immediate dependere, Episcopum Meliaporensem, ejusque administratores, vel alium quemlibet Episcopum nullam in regiones Vicario Apostolico commissas jurisdictionem habere, eundemque Vicarium Apostolicum posse jure Bengalensis Vicarii Apostolici titulum gerere, et eum solum tanquam verum memoratarum regionum Ordinarium ab omnibus esse habendum: eique omnes obtemperare debere et ab eo Ecclesiasticam jurisdictionem ac facultates accipere.

Satis haec esse putamus ad omnem discordiae rationem auferendam, et ea sublata, confidimus Vicarium Apostolicum pro eo quo praestat Religionis amore, tranquillius uberiusque, Deo juvante, Ecclesiae incrementum esse procuraturum, atque effecturum, ut in regionibus ei commissis morum integritas, Ecclesiastica disciplina iterum floreat, et fides Catholica latius amplificetur. Decernentes has praesentes litteras firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et spectabit hoc, futurisque temporibus plenissime suffragari. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. M. M. sub Annulo Piscatoris die 4. Augusti 1835. Pontificatus Nostri anno quinto.

Pro Domino Cardinali De Gregorio

A. Picchioni Substitutus.

Quaestionem de Patronatus juris pertinentia in Monasterium S. Artemii Maronitarum hactenus non definitam esse affirmat.

G R E G O R I U S P A P A X V I .

*Venerabilis Frater Salutem, et Apostolicam
Benedictionem.*

Fraternitatis Tuae Epistola die 25. Aprilis anni hujus ad Nos scripta, quanquam unice de alumno quodam Collegii Urbani loquitur, tamen sine congrua responsione non est dimittenda. Quod igitur Fraternitas Tua veretur, hunc alumnum a Congregatione de Propaganda Fide Monasterii S. Artemii Administratorem esse factum, id nullo fundamento nititur: Narravit is quidem Congregationi, Monasterium illud ad juris patronatum, immo possessionem Familiae suae pertinere, ejusque rei documenta ostendit. Insuper protulit Familiae ejusdem

Syngrapham qua se procuratorem praedicti Monasterii ab ipsa creatum demonstravit. Dixit denique, se, quia Romae subsisteret, deputavisse Sacerdotem quemdam, qui vice sua procurationem Monasterii gereret. Congregatio tamen de Propaganda Fide, his auditis, rem neque improbavit, neque ullo modo sanxit; nullam auctoritatem sive scripto, sive voce praedicto alumno attribuit; sed pro sua solita prudentia et more, die 22. Novembris 1834. ad Apostolicum in Syria Delegatum scripsit, ut rei supra expositae veritatem sedulo vestigaret; quae si fortasse constaret Sacerdotem illum Episcopo Heliopolitano, id est ordinario suo, benigne commendaret: sin contra res haud liquida esset, is ab omni commendatione abstineret. Nihil autem Delegatum egisse constat quia nullum super eo negotio verbum respondit. Congregatio denique de promovendo ad Sacerdotium praedicto alumno postquam e Syria in Urbem rediit, nunquam cogitavit. His ergo expositis putamus Te Ven. Fr. omni metu deposito posse fieri securum, Apostolicam peramanter benedictionem Fraternalitatis tuae mittimus.

Datum Romae apud S. M. M. die 6. Septembris. 1835. Pontificatus Nostri anno quinto.

Synodum Antiochenam Graecorum - Melchitarum Carcaphae anno 1806. habitam damnat, et librum quo ejusdem acta, et decreta typis impressa continentur proscibit.

G R E G O R I U S P A P A X V I.

Ad perpetuam rei memoriam.

Melchitarum Catholicorum Synodus Antiochena nuncupata quae apud Monasterium Carcaphae in Dioecesi Berytensi anno 1806. celebrata, et deinde anno 1810. inconsulta hac Apostolica Romana Sede, Arabicis typis impressa fuit, jamdiu in hominum de puritate catholici dogmatis sollicitorum reprehensiones varias incurrit. Nam et nonnulli Orientales Episcopi, et minores alii animarum Pastores doctrinam praedictae Synodi suspectam sibi in multis ingrattamque nuntiabant; Nos vero in suprema Ecclesiae specula constituti, cum has quaerelas in dies augeri audiremus, simulque Synodi usum in Oriente propagari, et lapsu temporis stabiliri quodammodo videremus, rem gravioris momenti existimantes dedimus operam ut Synodi exemplar in Italicam linguam diligenter conversum, et manu Venerabilis Fratris Maximi Mazlum subscriptum et tanquam fidele, idest cum Arabico originali concordans ab eo recognitum a peritis Theologis et a consilio Venerabilium FF. Nostrorum S. R. E. Cardinalium corrigendis Ecclesiae Orien-

talis libris praepositorum in examen accuratum vocaretur. Interim vero antequam Nostrum ea super re oraculum proferremus, Ven. Fratrem Maximum Mazlum Melchitarum Catholicorum electum eo tempore Patriarcham scriptis mandato Nostro a Congregatione de Propaganda Fide litteris admonendum cesuimus de sinistro Romanae censurae circa hunc librum suffragio, simulque praedicti Patriarchae electi hac ipsa de re sententiam exquisivimus, quid nempe Ipsi de Synodi supradictae doctrina videretur. Is autem ad Congregationem de Propaganda Fide rescripsit litteras, quae apud Nos manu ejus exaratae extant, quibus suum erga Romanam Ecclesiam, ejusque judicia obsequium, plenamque obedientiam adeo disertis verbis testatus est, ut de ejus sinceritate dubitandi nulla causa suppleret. Nominatim autem de Synodo Carcephensi, ait se quidquid a S. Sede Romana decretum fuerit, ratum habiturum, eique pronam obedientiam firmamque fidem fore praestitutum: Interim vero, pendente judicio, se neque libri exemplaria distributurum, neque ejus decretis usurum, neque ullam eidem, prout sibi jussu Nostro mandatam fuerat, auctoritatem attributurum. Quae obsequii, et obedientiae clarissima significatio simulque erronearum opinionum Germani Adam Archiepiscopi olim Hierapolitani improbatio (quibus nunquam se adhaesisse affirmavit) aliis litteris ad Nos ipsos datis ab eodem Venerabile Fratre Maximo Mazlum declarata adeo Nobis placuit, ac tantopere Nostrum animum exhilaravit securumque reddidit, ut uno eodemque tempore et Synodum ex officii Nostri debito condemnare et Ven. Fratri Maximo Patriarchatum confirmare ac Pallium de Corpore Bñi Petri sumptum mittere decreverimus. Quamquam igitur impressus Synodi liber quamdam Aloysii Gandulphi Apostolici olim ad Libanum Delegati adprobationem in fronte jactat, quam S. Romana Sedes nunquam agnovit, quaeque vel sermonis arabici ignorantiae, vel fraudi aut falsitati alicui tribuenda est, (praeter quam quod Synodorum adprobatio non est in ordinariis Delegatorum facultatibus) attamen complures errores tum in Synodo, tum in Instructionibus eidem adnexis comperiri certum est. Etenim primo Synodus haec in multis ex jamdiu damnata Pistoriensi Synodo tacite fraudulenterque hausta fuit, et aliquot propositiones ejusdem Pistoriensis a S. Romana Sede damnatas, partim ad litteram, partim ambigue insinuatatas continet. Deinde definitiones interdum, vel decisiones, veluti de Sacramentis et de virtutibus, parum rectas facit, bajanismum, jansenismum, atque hujusmodi pravas opiniones aliquando sapit; vim naturamque Indulgentiarum infirmat, a quibus canonicam tantummodo poenam remitti docet, atque ita doctrinam jam in Luthero et Pistoriensi Synodo damnatam innovat, potestatem Ecclesiasticam, nominatimque coactivam oppugnat; appellationes ad S. Romanam Sedem oblique impedit, Synodi Provincialis peremptoriam fuisse antiquitus auctoritatem

falso asserit, sacrae jurisdictionis originem distorquere videtur; praesertim Ecclesiae disciplinam importuno zelo identidem calumniatur, caelibatum sacerdotalem ut minus quandoque Paraeciis administrandis idoneum traducit, Episcoporum et Cleri creationem nimis injustisque verborum rigoribus difficillimam reddit; controversias varias sub iudice adhuc positas, praeter Synodi Provincialis auctoritatem, audacius definit, fallaci denique reformationis praetextu, non sine quadam pietatis zelique specie Ecclesiae statum perturbat. Antiochenam itaque praedictam Synodum haec et alia plura contra sanam doctrinam, et probatam Ecclesiae disciplinam vitia continentem, Nos auctoritate Apostolica, tenore praesentium litterarum improbamus et condemnamus, ejusdem acta et decreta nulla et irrita declaramus, totius denique libri usum, quovis in idiomate sive in manuscripto codice, sive in impresso interdicimus: atque ut unquam in posterum typis imprimatur, vetamus. Ipsum vero Melchitarum Catholicorum Patriarcham Ven. Fratrem Maximum Mazlum ceterosque variorum rituum gentiumque Patriarchas et Episcopos graviter admonemus, ut dictae Synodi librum ab usu suarum Ecclesiarum excludant, doctrinam ejus, quatenus a Nobis improbata, et damnata fuit, aversentur; et orthodoxas potius Synodos, praesertim veteres, quae tot in Ecclesia Dei feruntur, a Sanctis, doctisque Patribus celebratas, et a Decessoribus Nostris Romanis Pontificibus adprobatas, amplectantur; atque ex iis regiminis sui, doctrinaeque normam capiant:

Datum Romae apud Sanctam M. Majorem sub Annulo Piscatoris die 3. Junii 1835. Pontificatus Nostri anno quinto.

E. Card. De Gregorio.

Archiepiscopum Iconiensem, Vicarium Apostolicum Alepi Joannem Baptistam Auvergne, Visitatorem Apostolicum constituit totius Patriarchatus Chaldaeorum.

Ven. Fratri Joanni Baptistae Auvergne Archiepiscopo Iconien.
Vicario Apostolico Alepi.

G R E G O R I U S P A P A X V I.

Ven. Frater Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Inter praecipuas Apostolici officii curas, quibus incessanter perfungimur, illud magnopere animum Nostrum promovet, ut prospiciamus ne in regionibus ab Apostolica Sede valde remotis Religionis necessitati opportuno tempore ob nimiam locorum distantiam occurrere non pos-

simus. Neque enim ignoramus, remedia, quae maturo tempore allata magnam utilitatem afferrent, vix ullam parere posse, si nimis aliquando retardentur. In hac animi Nostri sollicitudine, non potuimus diutius abstinere aliis providendis, quae in regionibus Patriarchae Babylonensi Chaldaeorum Catholico subjectis, infelix Ecclesiae praesens conditio requirit. Nam vel a tempore, quo Nos S. Consilio Christiano Nomini propagando praeeramus, operam impense dederamus, ut sublata animorum discordia, quae jamdiu inter Ecclesiastici Ordinis viros in iis regionibus excitata erat, Catholicae Religionis negotia rite recteque ibi pertractarentur. Ac speravimus in primis id esse eventurum, cum fel. rec. Pius VIII. Praedecessor Noster rebus omnibus accurate perpensis, Ven. Fratrem Joannem Hormez Archiepiscopum Mosulensem Patriarcham Chaldaeorum Babylonensem confirmavit, eique Pallium de Divi Petri Corpore sumptum concessit. Jure enim existimavimus futurum ut regiminis forma rite constituta omnia ad rectum ordinem revocarentur. Verum neque id tunc contingit, neque posterioribus temporibus, cum licet immerentes ad Divi Petri Cathedram evecti fuimus. Doluimus enim neque dissidium esse deletum, postquam omnibus innotuerat quisnam a Sede Apostolica, veluti totius gentis catholicae Patriarcha haberetur, neque prudentissima ea, quae Nostra Congregatio Propagandae Fidei statuerat ad omnia tranquille componenda, satis esse potuisse ut quaerelarum et discordiae finis esset. Immo vero quotidie magis perspeximus, in iis locis, in quibus messis multa esse posset, inimicum hominem superseminare zizaniam, ne Catholica fides ibi incrementum capiat, atque ingemuimus interea, disciplinam Ecclesiasticam everti, morum integritatem in summum discrimen vocari, religionis studium ubique deficere. Commiseramus quidem Ven. Fratri Petro Marcellino Bonamie, quem Bagdati, seu Babylonis Episcopum Latini Ritus institueramus, ut tanquam Delegatus Apostolicus rebus Ecclesiasticis Chaldaeorum Nationis praeesset. Sed cum deinde ob graves causas fuerimus adducti ad ratam habendam abdicationem Episcopatus illius, quam Nobis ipse obtulit, et ad Archiepiscopatum Smyrnensem ei conferendum, ejus opera ad Chaldaeorum negotia moderanda uti revera non potuimus. Rebus igitur ita se habentibus, atque in tanta Religionis apud illam gentem adjuvandae necessitate, de consilio VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum statuimus, atque decrevimus, Te Ven. Fr. Apostolicum Visitatorem totius Patriarchatus Chaldaeorum constituere cum iis omnibus juribus, privilegiis et auctoritate, quae hujus muneris propria sunt. Volumus ergo Te, cujus peritia in gravibus rebus gerendis, pietas, ac religionis boni procurandi studium Nobis notissimum est, iter ad eas regiones suscipere, atque eo profectum omnia inquirere, quae dissidiorum causa fuerunt, conari ut Ecclesiastica disciplina in pristinum re-

stituatur, et pax atque tranquillitas inter Patriarcham et Episcopos instauretur, stabiliendo denique atque regendo Monachorum statui consulatur. Nostra vero Congregatio de Propaganda Fide instructionem de his rebus apposite Tibi communicabit. Si qua tamen gravioris momenti, et excelsioris auctoritatis indiga decernenda existimaveris, ea iudicio Nostro confirmanda reservamus. Age igitur, Ven. Fr., omnique mora seposita in id incumbere, ut commissum hoc Tibi ab Apostolica Sede gravissimum munus diligenter impleas. Accedet enim hoc, veluti novum ceteris meritis tuis incrementum et nova haec erit occasio, ut de Christi Ecclesia optime merearis.

Datum Romae apud S. M. M. sub Annulo Piscatoris die 25. Sept. 1835. Pontificatus Nostri anno quinto.

E. Card. De Gregorio.

Acta Consistorii Secreti habiti die 1. Februarii 1836. in quo Antiochenus Graeco-Melchitarum Patriarcha Maximus Mazlum confirmatur, eidem Sacrum Pallium conceditur.

DECRETUM SACRAE CONGREGATIONIS GENERALIS DE PROPAGANDA FIDE

Habita die 17. Julii 1835.

Cum per obitum Ignatii Chattan Patriarchae Antiocheni Graeco-Melchitarum Sedes illa Patriarchalis vacaverit, et Episcopi memoratae Nationis in Monasterio Sancti Georgii Algarb monachorum ordinis Sancti Basilii intra fines Berytensis Dioeceseos die 5. Aprilis 1833. congregati R. P. D. Maximum Mazlum Archiepiscopum Myrorum in partibus infidelium in Patriarcham Antiochenum suae Nationis elegerint; Sacra Congregatio de Propaganda Fide expensis documentis ab eodem electo oblatis, quibus gravissima habet argumenta, eum et morum integritate, ingenio, doctrina et in Sanctam Apostolicam Sedem devotione, dignitatem collatam ita fore gesturum, quemadmodum publicum et gentis illius et Ecclesiae bonum requirit; censuit ac decrevit supplicandum esse SSmo Domino Nostro, pro admissione electionis de qua agitur, cum sanatione quorumcumque defectuum etiam substantialium, quatenus opus sit, nec non ut praevia absolute a vinculo Ecclesiae Archiepiscopalis Myrorum praedictus R. P. D. Maximus Archiepiscopus, Ecclesiae Patriarchali Antiochenae Graecorum-Melchitarum praeficiatur, eique Pallium insigne Pontificalis plenitudinis tribuatur.

Quam Sacrae Congregationis sententiam a R. P. D. Angelo Maio
Tom. V. R

Sacrae ejusdem Congregationis Secretario SSmo Domino Nostro Gregorio Divina Providentia PP. XVI. in audientia habita die 17. Julii 1835. relata, Sanctitas Sua benigne in omnibus probavit, et praeconizationem Confirmationis electi Patriarchae, ac Sacri Pallii eidem concessionem in proximo Consistorio fieri jussit.

Datum Romae ex Aedibus dictae Sacrae Congregationis die 5. Januarii 1836.

Jac. Phil. Fransonius Praefectus.

Angelus Majus a Secretis.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI GREGORII
DIVINA PROVIDENTIA PPAE XVI.

Allocutio habita in Consistorio Secreto die 1. Februar. 1836.

Anno jam ab hinc tertio die 5. Aprilis, cum Ignatii Cattani Patriarchae Antiocheni Graeco-Melchitarum obitu sedes illa vacaret, illius nationis Episcopi in Monasterio S. Georgii Algarbi monachorum ordinis S. Basilii intra fines dioecesis Berytensis congregati Maximum Mazlum Archiepiscopum Myrorum in partibus infidelium Patriarcham Antiochenum suae nationis elegerunt. Supplicatum quidem illico Nobis fuit, ut electionem auctoritate Nostra confirmarem, hujusmodi documentis ab electo Congregationi Nostrae Propagandae Fidei oblatis, ex quibus gravissima haberi visa sunt argumenta, eum morum integritate, ingenio, doctrina, et in Sedem Apostolicam Romanam obsequio collatam dignitatem ita fore gesturum, quemadmodum publicum et illius gentis et Ecclesiae bonum requirit: sed tamen gravior Nobis visa res est, quam ut sine sedula diuturnaque deliberatione, multisque ad Deum luminum patrem fuis precibus esset perficienda. Itaque hoc intervallo temporis factum est, ut electi ratio magis in dies Nobis probaretur. Nam insignia pietatis studiique religionis praebuit argumenta, bonos elegit Pastores Ecclesiis regendis, nonnullis exortis controversiis, praescripto ac monitis Apostolici in Syria Delegati submissee obtemperavit. Digna vero peculiari mentione Nostra concio illa est, quae, eodem testante Delegato Apostolico, ab eo publice habita fuit Damasci de primatu Romani Pontificis, haeticorum et schismaticorum indignatione contempta. Quae quidem iis apprime respondent, quae antea sui dederat specimina. Nam ex paroco Alepi a Patriarcha suo Matario consecratus ejusdem civitatis Archiepiscopus, cum appellatio intercessisset, iudicio se subiecit Sanctae hujus Sedis, titulum accipiens Archiepiscopi Myrorum in partibus infidelium, ac diu Romae commoratus ingenium industriamque suam contulit multis arabico sermone con-

scribendis et in lucem edendis utilibus Religioni libris, quos postea per orientis regiones spargendos curavit: neque ab Urbe discessit ante annum 1831., cum facta a Nobis facultate, Aintrezium in Syria profectus est, ut ecclesiasticum aperiret regeretque seminarium, quod ipse una cum Patriarcha Matario multis curis impensisque fundaverat, qua in provincia, uti diximus, defuncto Cattano Patriarcha ab Episcopis fuit electus.

Omni vero suspitione studuisse cum aliquando erroneis Adami olim Archiepiscopi Alepini sententiis, sese exsolvit, datis ad Nos et ad Congregationem Propagandae fidei litteris expresse asseveranterque declarans illius sententias nullo unquam tempore fuisse suas.

Ad Synodum autem Carcafensem quod attinet, cujus fuerat ab actis, a Congregatione libris Ecclesiae orientalis corrigendis praeposita jure notata, quod missis ad Nos et ad Congregationem fidei Propagandae litteris cum omni significatione paratissime ad parendum Sanctae Sedis voluntati, quidquid de ipsa Synodo esset iudicatura, se facturum promiserat, fideliter est executus. Nam damnata a Nobis eadem illa Synodo, ut primum ei damnationis decretum allatum est, statim iudicio Nostro acquievit, quemadmodum epistola autographa ex Collegio Aintreziensi die 15. Octobris anni proximi ad Nos data plenissime declaravit.

Quae cum ita sint, cum Maximum Mazlum Archiepiscopum Myrorum in partibus infidelium dignum agnoverimus, qui ad Sedem Patriarchalem Antiochenam nationis Graeco-Melchitarum provehatur, electionem admittimus ab Episcopis ejusdem nationis factam, cum sanatione quorumcumque defectuum etiam substantialium quatenus opus sit, eundemque electum a vinculo Ecclesiae Archiepiscopalis Myrorum absolventes, Patriarcham Antiochenum Graeco-Melchitarum constituimus ac declaramus, eique sacrum pallium insigne plenitudinis potestatis Archiepiscopalis mittendum decernimus.

In Nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Pro singulari autem beneficio confirmationis electi Patriarchae, et concessionis Pallii R. D. Joannes Baptista Topus Armenus ab eodem Patriarcha deputatus, absoluto consistorio, sic Pontifici gratias egit.

Quod electionem, Beatissime Pater, Reverendi Domini Maximi Mazlum in Patriarcham Antiochenum Graeco-Melchitarum Ecclesiae hodierna die confirmare dignatus sis, sacroque exornare pallio, quo pastoralis officii plenitudo tribuitur, tum ipsum Patriarcham, tum universam Graeco-Melchitarum nationem maxima profecto laetitia perfundit. Cum pro tam singulari hoc beneficio tum ipsius Patriarchae,

tum totius nationis nomine ad Sanctitatis Tuæ pedes humiliter accedens in genua provolutus, quam maximas ago gratias, illud quoque simul certo testatum volo, tantis illum Pontificiæ benignitatis muneribus devinctum in gratissimi sui animi luculentius argumentum promittere cum hac Sancta Romanaque Ecclesia Matre, ac Magistra omnium Ecclesiarum, cum qua propter principatum omnes consentire Ecclesias necesse est, firmissime se ad mortem usque communionem adhaesurum. Atque Tibi, Beatissime Pater, qui Petri successor universalem Ecclesiam pascendi, regendi, ac gubernandi plenissimam a Deo potestatem accepisti, per me promittit obedientiam, honorem, et reverentiam, nihilque ipsi sanctius futurum quam omnia sive jussa, sive monita Sanctitatis tuæ tamquam ab ipso Petri ore manantia excipere, ac venerari. Sanctitatem tuam denique oro, atque obsecro, ut ipsi Patriarchæ, ac cunctæ Graeco-Melchitarum Nationi Apostolicam benedictionem impertiaris. Interim quanto possum animi ardore Deum Optimum Maximum deprecor, ut Te summo Ecclesiæ bono, et Christianæ Religionis propagationi ad multos annos sospitem servet, atque custodiat, felicem in terris reddat, atque in caelo. Amen.

Eñum Dominum S. R. E. Cardinalem Carolum Mariam Pedicinium tunc Episcopum Praenestinum, Visitatorem Apostolicum constituit Conventus et Collegii Missionum apud S. Bartholomæum in Insula Tiberis FF. Minorum S. Francisci Observantium.

Venerabili Fratri Nostro Carolo Mariae Episcopo Praenestino
Card. Pedicini S. R. E. Vice-Cancellario.

G R E G O R I U S P A P A X V I.

*Venerabilis Frater Noster, Salutem, et Apostolicam
Benedictionem.*

Gravissimum munus quo functuri sunt ii, quibus Catholiciæ Religionis in regionibus infidelium vel hæreticorum potestati subjectis propagandæ cura tribuitur, omnino requirit, ut non ante exploratam eorundem vitæ ac doctrinæ probationem ad ea loca mittantur. Nulla enim probabilis sperandi ratio afferri posse videtur, futurum ut religioni utile et animarum salutis procurandæ opportunum illorum ministerium esse possit, qui vitæ sanctitatis exemplum exhibere populo nequeunt, quique ea doctrina destituantur, quæ ad errores refellendos, et ad fidei veritatem confirmandam necessaria est. Hujus rei con-

sideratione permota VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium Congregatio de Propaganda Fide, cui fel. rec. Praedecessor Noster Gregorius XV. universum religionis in iis locis augendae negotium procuracionemque commisit, diligentiam omnem semper impendit, ut qui ad Missionarii munus obeundum eliguntur morum integritate, religionis studio, ac doctrinae laude commendentur. Plane sentiens quantoperis sit cum Missionum utilitate conjunctum ut ad eas nonnisi spectatae probitatis ac doctrinae viri destinentur fel. rec. Clemens XI. Praedecessor Noster libenter confirmavit initum ab ea Congregatione sapientissimum consilium de praecipienda nonnullorum Ordinum Regularium superioribus, Conventuum seu Coenobiorum deputatione pro Collegiis Missionum, in quibus ad ministerii opera, et ad sacra studia Religiosi viri instituerentur, qui deinde ad Missionum loca profecturi sunt, Nos etiam quamdiu illi Congregationi praefuimus omnem operam impense dedimus ut ea Collegia rite, recteque gubernarentur, et expectationi responderent propter quam instituta fuerunt. Eamdem curam ostendimus cum ad Divi Petri Sedem licet immerentes evecti opportuna auctoritatis Nostrae remedia adhibuimus, si quod ex iis debuit ad meliorem ordinem revocari. Haec cum ita sint non potuerunt sollicitudinem Nostram non excitare, quae accepimus de Collegio Missionum, quod in Conventu S. Bartholomaei in Insula Tiberis Ord. FF. MM. S. Francisci de Observantia anno MDCCX. incipientibus = Commissi Nobis = confirmavit ac servandas perpetuo jussit. Non modo enim leges adeo sapientes ad illius Collegii bonum latae non diligenter servantur, sed pluries contigisse relatum est ut dissidia in ea domo commoverentur, religiosi viri, qui ad Missiones ibi informantur, vel parum studiis dediti, vel parvo numero reperiantur, vel iis virtutum exemplis destituantur, quae in primis utilia sunt, ut adolescentium praesertim vitae ratio ad arduum Missionarii munus gerendum idonea evadat. Quamobrem volentes his incommodis occurrere, et ad optimum regimen illud Collegium perducere, in quo instituendi Religiosi viri, qui praeter ceteras Missiones ei Ordini commissas ad S. Ministerium exercendum destinantur in SS^mis Palestinae locis, Religionis Nostrae mysteriis et ipsius D. N. J. C. exemplis, ac passione nobilitatis, statuimus egregium aliquem virum, et rerum ad Missiones spectantium peritum designare, cui Visitationem Apostolicam in eo Conventu et Collegio faciendam committeremus. Ad Te igitur, Ven. Frater Noster oculos cogitationemque convertimus, Teque aptissimum esse judicavimus, quem ad visitationem illam utiliter peragendam eligeremus. Assuetus enim prorsus es rebus Missionum pertractandis, cum multos annos Secretarii primum, deinde Praefecti Congregationis de Propaganda Fide munus diligentissime gesseris; Te ergo, Ven. Frater Noster, Conventus et Collegii Missionum apud S. Bartholomaeum in Insula Tiberis Visitatorem

Apostolicum cum omnibus et singulis facultatibus, juribus, indultis ei muneri adnexis auctoritate Apostolica ad Nostrum, et Apostolicae Sedis beneplacitum eligimus, constituimus et deputamus. Valde autem in Domino confidimus fore, ut rerum statu, adjunctisque omnibus mature perpensis, proponas Nobis talia, quae ad Collegii illius regimen optime stabiendum, et ad uberes ex eo fructus in posterum colligendos opportuna sint. Quamobrem universis et singulis ad quos spectat, et spectabit in posterum mandamus, ut Tibi in praemissis prompti pareant, atque obediant, tuaque salubria monita et mandata humiliter excipiant, et efficaciter implenda curent, alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris in rebelles, ratam habebimus et faciemus usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, nec non ejusdem Conventus et Collegii etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesen. pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 26. Februarii 1836. Pontificatus Nostri anno sexto.

E. Card. De Gregorio.

*Vicariatus Apostolico Coreano Regnum Lieu Kieu
adjungit.*

GREGORIUS PAPA XVI.

Ad futuram rei memoriam.

Pastoralis ministerii munus Nobis superna Dei providentia commissum omnino postulat, atque efflagitat, ut singulari cura, et studio universi Dominici Gregis bono prospiciamus, iisque praesertim ovibus consulamus quae Regionibus longe ab hac Apostolica Sede dissitas incolunt. Itaque cum accepimus plurimis obortis difficultatibus Venerabilem Fratrem Bartholomaeum Bruguiere Episcopum Capsensem Coreae fides ingredi nondum potuisse, ac propterea commode obire non posse munia Vicariatus ab hac Apostolica Sede pro Coreanis nuper erecti, ut spirituali Christianorum bono consulatur qui in eo Regno degunt

et jamdiu a finitimis Episcopis derelicti, hinc de VV. FF. Nostrorum S. R. E. Cardinalium Propagandae Fidei praepositorum consilio opportunum esse censuimus ut eidem Vicario Apostolico alibi Sedem suam statuere liceat, ubi utiliter officium suum exercere valeat tam pro Coreanis quam pro incolis quos inter ille tuto manere possit. Quare cum Nobis relatum fuerit esse in mari Indico proprio Regi subjectum partemque Regni praecipuam esse Insulam Lieu Kieu proprie dictam, in qua Rex ipse residet in Palatio Chieu lis nuncupato Regni autem hujusmodi Incolas optima indolis, sinceros, comes, mansuetos, et erga advenas qui eos visitant benignos et hospitaes, proindeque operandum cessurum esse in magnam eorum utilitatem si apud eos Vicarius Apostolicus Coreae Sedem suam statuatur, eidemque eorum spiritualis cura committatur. Idcirco de eorumdem Venerabilium Fratrum sententia regnum Lieu Kieu Vicariatus Apostolico Coreae adjungendum existimavimus. Quamobrem hisce litteris de potestatis Nostrae Apostolicae plenitudine Vicariatus Apostolico Coreae Regnum Lieu Kieu adjungimus, ita ut idem Vicarius Apostolicus in spiritualis jurisdictionis exercitio in utroque Regno huic Apostolicae Sedi immediate subjectus maneat, et populi eidem commissi a quacumque alia Episcopali Dioecesi apud Sinas constituta separati censeantur, et sint, prout eadem auctoritate Nostra Apostolica harum litterarum vi separamus atque sejungimus. Haec volumus, statuimus atque mandamus etc. ceterisque etiam speciali individua et expressa mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque,

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 26. Aprilis 1836. Pontificatus Nostri anno sexto.

Pro Domino Card. De Gregorio

A. Picchioni Substitutus.

Clerum et Populum Armenum Catholicum Constantinopolitanum ad animorum concordiam, tranquillitatem, atque ad debitam Sedi Apostolicae, et Archiepiscopo Primati obbedientiam hortatur.

Dilectis Filiis Clero et Populo Catholico Armeno
Constantinopolitano.

G R E G O R I U S P A P A X V I.

Dilecti Filii Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Studium paternae benevolentiae, quo universam Catholicorum

Armenorum gentem Vosque speciatim Dilecti Filii, prosequimur, urget Nos, ut juvandis Ecclesiae Vestrae rationibus, communique salutis, ac tranquillitati tuendae, et confirmandae assiduas curas impendamus. Sane quo ex tempore jussu Leonis XII. gl. mem. Decessoris Nostris Praefecturam inivimus, Congregationis Propagandae Fidei fuit Nobis plane jucundissimum adesse consiliis, et opera Summo eidem Pontifici, ac subinde proximo ejusdem Successori felicis item recordationis Pio PP. VIII., dum uterque ipsorum allevare anniteretur calamitates quibus vexati fuistis, et causas remove, unde aliae in posterum oriturae metuebantur. Cum autem id Deo dante feliciter contigisset, et Vobis per nova Celsissimae Othomanae Aulae Decreta a Schismatici Praesidis jugo subtractis, pleniorque SSmae Religionis palam exercendae libertatem adeptis, peculiarem quoque Pius VIII. Archiepiscopum Primatem tribuisset, Nos, qui licet immerentes Pontifici eidem paulo post defuncto successimus, haud certe destitimus singularem de vobis sollicitudinem gerere ac providere quantum in Nobis esset ut melior ille vestrarum rerum status solidaretur quotidie magis, et ampliora quoad fieri posset, incrementa suscipere. Et quoniam relatum ad Nos fuerat de aliqua Sacrorum Rituum varietate in Liturgiam vestram inducta, et de dissentionibus apud Vos ea propter exortis, Nostrum omnino esse censuimus providere in tempore ut ipsa illa contentionum causa removeretur. Itaque VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus praedictae Congregationis Propagandae Fidei mandavimus, ut rem universam diligenti examine perpenderent, atque componerent prout opportunum in Domino visum foret. Qua quidem in re Nobis ac memoratae Nostrae Congregationi illud omnino propositum fuit, ut ex ratione a RR. PP. circa probatas Orientalium Nationum Liturgias perpetuo constanterque servata, quam in suis Encyclicis litteris (a) disertissime exposuit Benedictus XIV., ipsa etiam vetus et venerabilis liturgia Ecclesiae Armenae sarta tecta haberetur. Id. tamen impedimento esse non poterat, quominus retinerentur simul ritus nonnulli ex aliis Ecclesiis accepti, quos Majores vestri, aut quia rectiores visi fuerant, adamarunt, aut tanquam notam ab Haereticis Schismaticisque Vos discernentem aliquo abhinc tempore assumpserunt. Nec enim novum est ut inter Ecclesias Catholicae invicem unitate conjunctas propriamque liturgiam firmiter custodientes quaedam hujusmodi rituum communicatio contigerit; et ipsa quoque aliarum Ecclesiarum mater et magistra Romana Ecclesia, haudquaquam dedignata est nonnullos adsciscere Ritus in Orientis Ecclesiis usitatos, sicuti ex iis manifestum est quae afferuntur memoratis in litteris a Benedicto XIV. Quid est igitur, Dilecti Filii, quod post plures seu declarationes seu litteras a Congregatione Propa-

(a) Datis 26. Julii 1755. quarum initium *Allatae sunt Bull. ejusd. Pont. Const. 47. Tom. IV.*

gandae Fidei super negotio illo Armenorum rituum auctoritate Nostra datas, sunt adhuc inter Vos, qui aut nimio novarum consuetudinum amore decepti, aut inducti falso quodam zelo vetustatis vel in minimis suis partibus defendendae scissuras fovent inter fratres, nec Decretis memoratae Congregationis, nec Ven. Fratris Antonii Primatis Archiepiscopi monitis acquiescunt? Equidem vix explicare verbis possumus quantam Nobis acerbitatem animi vestrae hujusmodi dissensiones attulerint. Os Nostrum patet ad Vos, o Carissimi, cor Nostrum dilatatum est; audite vocem amantissimi Patris non aliud certe quam salutem animarum Vestrarum, et veram ac solidam Vestri generis utilitatem quaerentis. Agnoscite subdolas Satanae artes, qui cum nihil profecerit calamitatibus paucos ante annos inductis ad vestram fidem labefactandam, videritque immo vexationem illam in amplius cessisse Religionis Catholicae emolumentum, nunc novis insidiis conturbare Vos, atque ab obedientia legitimae auctoritatis Ecclesiasticae abducere conatur; ut ita scilicet fructus amittatis in glorioso illo certamine acquisitos, ac mutua contentione et aemulatione discissi opprobrium sitis vicinis vestris, subsannatio et derisus his qui in circuitu vestro sunt. Vos igitur qui malignum vicistis aperta vi animas vestras oppugnantem, cavete modo, ne illius artibus dolisque capiamini. Sed memores illius, quod a Domino Redemptore Nostro accepimus, novi mandati (b) diligite invicem sicut Ipse dilexit Nos, et pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua et vocati estis in uno corpore. Sicuti autem ex membris unius Corporis non omnia eundem actum habent, ita unusquisque vestrum maneat oportet in ordine suo, ut Laici Sacerdotibus reverentiam exhibeant, ut Sacerdotes Laicis dilectionem impendant, omnes autem subjecti per omnia sint Romano Pontifici, cui propter illam, quam in B. Petro accepit plenam universalis Ecclesiae regendae auctoritatem, obedientia a cunctis ubique fidelibus necessario debetur. Sed et Archiepiscopo Primati Vestro obedire Vos, Dilecti Filii, necesse est, qui omnium Vestrum ab Apostolica hac Sede constitutus est Pastor. Toto igitur corde eidem subjacete; ipse enim pervigilat quasi rationem pro animabus vestris redditurus, ut cum gaudio hoc faciat, et non gemens; hoc enim non expedit Vobis. Atque ita et in obedientia manebitis S. ipsius Sedis cui Archiepiscopus idem ad exemplum fidelissime obsequitur. Videte, Dilecti Filii, qualibus litteris scripsimus Vobis, ut Nostram in Vos ardentissimam charitatem, nostramque de vestris rebus sollicitudinem magis magisque perspiciatis. Interea Deum, a quo sancta desideria, recta consilia et justa sunt opera, humiliter per merita Jesu Christi obsecrare non desistimus, ut effundat super Vos misericordiam suam, et corda vestra coelestis gratiae suae

(b) Joan. XIII. 34.

rore perfundat, quo ad ejus justitiam faciendam, fovendamque inter Vos tranquillitatem et pacem vestra procedant eloquia et cogitationes atque opera dirigantur. Id Vos adjutore Domino alacriter cumulateque praestituros Nobis omnino pollicemur, ac benedictionem Apostolicam ex visceribus paternae Nostrae charitatis depromptam Vobis omnibus, Dilecti Filii, peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die 2. Maii 1836. Pontificatus Nostris anno sexto.

GREGORIUS PP. XVI.

Civitatem et Districtum Montis Regii, seu Marianopolitani in Inferiori Canada, a Dioecesi Quebecensi disjungit, et in propriam dictam Dioecesim ab Apostolica Sede immediate dependentem erigit.

G R E G O R I U S P A P A X V I .

Ad perpetuam rei memoriam.

Apostolici Ministerii munus Nobis licet immerentibus in Divi Petri persona ab alto commissi requirit ut de Religionis bono in remotissimis etiam regionibus amplificando sollicitudinem Nostram impendentes, nihil omittamus, quod cum fidei Catholicae incremento quacunque ratione conjunctum sit. Itaque cum indubiis, gravibusque testimoniis acceptis Nobis constiterit valde opportunum futurum Religionis utilitati in Canadensi Regione procurandae, si Civitas Marianopolitana, quae in inferiori illius provinciae parte sita est, et regio tota quae Marianopolitano Districtu continetur, a Dioecesi Quebecensi separata in peculiarem Dioecesim ab Apostolica Sede immediate dependentem erigatur, non omisimus ea praescribere, quae ad grave hoc negotium absolvendum opportuna esse judicavimus. Communicato igitur cum VV. FF. NN. S. R. E. Card. Propagandae Fidei praepositis consilio, eorumque communi suffragio, de novae hujus Dioecesis erectione libenter probato, de qua facienda non modo consensum, sed preces etiam a Ven. Fratре Josepho Signay Archiepiscopo Quebecensi accepimus, haec decernenda esse arbitrati sumus, motu scilicet proprio, et ex certa scientia ac deliberatione Nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine, Marianopolitanam Civitatem in inferiori Canada, totamque Regionem, quae Marianopolitano Districtu continetur, a Dioecesi Quebecensi perpetuo separantes, Civitatem illam totumque ejus Districtum in peculiarem Episcopatum erigimus, qui huic Apostolicae Sedi immediate subjectus esse debebit, cujusque Sedes sit Civitas ipsa

Marianopolitana, ex qua ejusdem Episcopatus titulus seu appellatio derivetur. Statuimus praeterea ut Cathedralis Ecclesia Episcopi a Nobis in ea Civitate instituendi, sit templum Deo in honorem S. Jacobi Apostoli dicatum recenti memoria inibi conditum tribuimus Episcopo a Nobis instituendo facultatem Cathedrale Capitulum statuendi comodo et forma quibus pro judicio ac prudentia sua magis in Domino expedire comperit. Volumus praesentem Clerum ad Civitatem et Districtum Marianopolitanum pertinentem sub Episcopi Marianopolitani esse jurisdictione. Declaramus denique eos, qui vel origine vel domicilio ad Districtum ac Civitatem illam spectant et in Ecclesiasticis Ordinibus sunt constituti, vel titulo illius Missionis ad Sacros Ordines sunt promoti in Episcopi Marianopolitani dependentia esse debere. Haec sunt, quae ad novam istam Dioecesim rite instituendam decernenda esse censuimus. Confidimus autem futurum ut Deo Optimo Maximo initum a Nobis consilium benedicente, et laboribus obsecundante, quos Ecclesiastici viri in illa regione pro fidei Catholicae propagatione et in animarum salute procuranda alacriter impendunt; Religio Nostra ampliore quotidie splendorem illic consequatur. Decernentes has praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore etc. in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 13. Maii 1836. Pontificatus Nostri anno sexto.

E. Card. De Gregorio.

Vicarium Apostolicum caractere Episcopali insignitum constituit in ea Oceaniae parte quae insulas omnes Oceani Pacifici, tam Septemtrionalis, quam Australis in Occidentali plaga complectitur.

Dilecto Filio Joanni Baptistae Pompellier Dioecesis Lugdunensis in Galliis Presbytero Congregationis Marianae.

G R E G O R I U S P A P A X V I.

Dilecte Fili Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Pastorale officium Nobis ex alto commissum postulat, atque efflagitat, ut animarum saluti summa vigilantia, cura et studio pro viribus consulamus. Itaque cum nuper Missio fuerit decreta in ea Oceaniae parte, quae Insulas omnes Oceani Pacifici tam Septemtrionalis, quam Australis in Occidentali Plaga complectitur, ab Arcipelago sic dicto

de Mangea inclusive, et recta linea a Septentrione in meridiem per eandem Insulam Mangea ducta, iis locis exceptis, in quibus Ecclesiastica Catholica auctoritas legitime jam instituta reperitur, ejusque Missionis cura spiritualis Sacerdotibus Marianae Congregationis Lugdunen. et Bellicen. fuerit demandata, ad rectius ejusdem Missionis regimen, atque ad spirituale bonum feliciter procurandum tot populorum qui in tenebris adhuc sedent, et umbra mortis, conducere existimavimus Vicarium Apostolicum caractere Episcopali insignitum in remotis adeo, atque inter se dissitis regionibus deputare, cujus jurisdictioni praedictarum Insularum Missionarii subesse debeant. Ejusmodi vero munus de VV. FF. NN. S. R. E. Card. negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio Tibi committendum censuimus, quem spectata fide, morum integritate, doctrina, prudentia, pietate, et Catholicae Religionis zelo maxime commendatum cognoscimus, ea profecto spe freti fore ut hoc munere summa cum laude perfungaris. Quamobrem hisce litteris auctoritate Nostra Apostolica Te quem per similes Apostolicas litteras hoc ipso die datas Episcopum de Maronea in partibus infidelium renuntiavimus, peculiari beneficentia complecti, et a quibusvis etc. censentes, in Vicarium Apostolicum in ea Oceaniae Occidentali parte, de qua habita mentio est, ad Nostrum et hujus Apostolicae Sedis beneplacitum eligimus, constituimus, et deputamus cum iis omnibus et singulis juribus, honoribus, facultatibus, quae ejusmodi propriae sunt muneris, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Mandamus propterea omnibus et singulis ad quos spectat et spectabit pro tempore ut Tibi in praemissis prompte pareant et obediant etc. observari. Non obstantibus Apostolicis etc. ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 13. Maii 1836. Pontificatus Nostri anno sexto.

Pro Domino Cardinali De Gregorio

A. Picchioni Substitutus

Angelum de Planella Episcopum Tipasitanum Ordinis PP. Capuccinorum Visitatorem Apostolicum constituit Missionis PP. Capuccinorum in Insulis Maris Aegaei, Asiae Minoris, et Constantinopolis.

Dilecto Filio Josepho Angelo Fazio a Planella Dioecesis Pinnen.
Ordinis Minor. S. Francisci Capuccinorum Electo
Episcopo Tipasitan.

G R E G O R I U S P A P A X V I.

Dilecte Fili Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Apostolici Ministerii munus Nobis divinitus concreditum postulat, atque efflagitat ut omni quidem vigilantia et studio ea peragenda curemus, quae ad religiosarum familiarum praesertim bonum, atque utilitatem pertinent, ut earum alumni caelestis vocationis spiritum nunquam extinguant, sed aemulentur semper charismata meliora. Cum igitur Missio in Insulis Maris Aegaei Asiae Minoris, et Constantinopolis, cujus cura FF. Min. Ord. S. Francisci Capuccinorum concredita, ab eo statu in quo antea floruerat, nonnihil deflexisse videatur, idcirco de VV. FF. NN. S. R. E. Card. negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio aliquem spectabilem virum in ejusdem Missionis Visitatorem Apostolicum eligendum censuimus, ut defectus hujusmodi quae verae sint causae clarius dignoscere, eisque consulere possimus, ac nonnullae statuatur regulae a Missionis Praefecto et Missionariis servandae, quarum usu in excolenda ea Domini Vineae parte, eorumdem opera utilior evadat. Hujusmodi vero munus de eorumdem VV. FF. NN. consilio Tibi Dilecte Fili, quem per similes Apostolicas Litteras Episcopum Tipasitan. eligimus, committendum existimavimus ea profecto spe freti fore ut singulari tua pietate, doctrina ac prudentia et Catholicae Religionis zelo, atque animarum salutis studio Nostris desideriis cumulatissime respondeas. Itaque hisce litteris auctoritate Nostra Apostolica ad Nostrum et Apostolicae hujus Sedis beneplacitum Te in Visitatorem Apostolicum Missionis memoratae eligimus, constituimus, et deputamus, Tibique omnes et singulas facultates concedimus, atque impertimur, quae ejusmodi propriae sunt muneris, Tibique committimus, ut diligenter inspicias qui sunt abusus, eosdemque tollere cures, novasque regulas, quoties opus fuerit, proponas, quae quidem regulae plenarium habeant effectum, donec eadem Congregatio super his quid in posterum servandum sit judicaverit. Volumus vero ut omnia Tuae Visitationis acta ad eandem Congregationem mittas, eamque de rebus omnibus vel diligentissime certiore facias.

Mandamus propterea omnibus et singulis ad quos spectat ac spectabit in posterum, ut Tibi in praemissis prompte pareant atque obediant, Tuaque etc. Non obstan. etc. quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 13. Maii 1836. Pontificatus Nostri anno sexto.

Pro Domino Cardinali De Gregorio

A. Picchioni Substitutus.

Collegium Hibernorum Urbis ex Ginnasiano domicilio transfert ad domicilia adjecta templo S. Agathae Gothorum, atque in Suburra appellari solito, atque eidem Collegio memorata domicilia, et templum S. Agathae attribuit.

G R E G O R I U S P A P A X V I.

Ad perpetuam rei memoriam.

Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem et magistram maxime decet, ut in ipsa Urbe in qua D. Petri Apostolorum Principis Sedes posita est, pateant domicilia ad quae ex longe dissitis regionibus adolescentes confluant, in iisque ad scientiarum studia, ad omnem pietatem, atque ad Ecclesiasticum ministerium rite obeundum informantur. Summopere enim congruum est ut ad Religionem propagandam Sacerdotes proficiscantur ex ea Urbe cui Apostoli acceptam a Christo doctrinam proprio sanguine firmatam tradiderunt. Haec praecipue causa fuit cur Romani Pontifices Praedecessores Nostri tanta sollicitudine curarint, ut Romae Collegia gentium exterarum, quanta potuit amplitudine instituerentur, atque iis privilegiis ornarentur, quae ad Ecclesiasticum Ministerium utiliter in patria sua implendum adolescentes alumnos idoneos efficerent. Perspicuum hujus curae Pastoralis argumentum Praedecessores Nostri exhibuerunt cum post publicam Dionis Pontificiae calamitatem quae recenti memoria Nostra contigit, civile regimen Pontificium restitutum est. Inter cetera enim Religionis instituta, quae durantibus iis vicissitudinibus jacere coacta sunt omnem operam diligentissime dederunt, ut Collegia jamdiu in Urbe condita in veterem splendorem revocarentur. Tale fuit Collegium Cardinalis Ludovici Ludovisii munificentia constitutum quod ad Hibernorum adolescentium doctam Ecclesiasticamque Institutionem pertineret. Cum enim illud quoque clausum eo tempore fuisset, neque opportunum videretur, ut vetus illa domus, quam Hibernenses alumni antea incoluerant ad Collegii restitutionem adhiberetur fel. rec. Praedecessor Noster Leo XII. decrevit ut satis amplum domicilium, in quo antea

Ginnasium monialium Coenobium et deinde Collegium Umbro-Fuccio-
 lium fuit, ad Hiberniae Nationis Collegium iterum stabiliendum desti-
 naretur. Videbatur quidem commodae alumnorum habitationi Leo XII.
 prospexisse. Sed illud interea deerat quod in Collegio adolescentium
 Ecclesiasticorum institutioni destinato necessario requiritur. Desidera-
 batur enim ut Templum aliquod Collegio adjectum ad Collegium ipsum
 pertineret, in quo sacris caeremoniis exercendis alumni possent ope-
 ram dare. Id autem valde difficile erat efficere cum templum Deo in
 S. Luciae Martyris honorem dicatum, et Ginnasianis aedibus adjunctum a Presbyteris Romanis jamdiu diligenter procuraretur. Cupientes
 igitur Nos huic rei consulere, et simul animi Nostri erga Collegium
 Hibernorum studium quotidie magis demonstrare statuimus Collegium
 ipsum alio transferre, atque prospicere, ut aedes aptas aeris salubri-
 tate opportunas haberet, quibus Templum additum sit quod Ecclesia-
 sticorum in Collegio commorantium curae committeretur. Haec animo
 volentes, et de implendo consilio a Nobis inito studiose cogitantes
 mentem Nostram ad celeberrimam S. Agathae Martyris Ecclesiam con-
 vertimus, quae Gothorum, et in Suburra solet appellari. Optabamus
 dudum vehementer, Templum illud vetustate et populi veneratione
 commendatum quod S. Gregorius ipse magnus, cujus dignitatis et no-
 minis licet immerentes Nos haeredes sumus ab Arianorum invasione
 purgatum Deo Opt. Max. iterum consecraverat assiduae Sacerdotum
 curae tribuere, qui quotidiana praesentia sua ibi sacra ministeria pera-
 gerent. Notum enim est ex quo inde abierunt Monachi Ordinis S. Be-
 nedicti Congregationis Montis Virginis, quibus Gregorius XIII: fel. rec.
 Praedecessor Noster Apostolicis litteris incipientibus = Regimini = diei
 24. Martii 1579. illud Templum adjectaque domicilia tradiderat defi-
 cientibus Sacerdotibus, qui quotidianam in eo Templo operam suam
 adhiberent, multum de veteri erga Martyrem illam, in cujus honorem
 aedificatum est, observantia remissum fuisse. Laetati igitur maxime su-
 mus oblatam Nobis occasionem fuisse, ut initi consilii executione Tem-
 pli superius memorati splendorem excitaremus, et Collegium Hiber-
 nense, cujus utilitatem magnopere quaerebamus, aptiori commodiorique
 domicilio donare possemus. Mentem Nostram de ea re cum Dilecto Fi-
 lio Nostro Joanne Francisco S. Agathae in Suburra Diacono S. R. E.
 Cardinali Marco y Catalan communicavimus. Is autem sibi gratissimum
 fore demonstravit domiciliis, quae Templum S. Agathae attingunt ad
 Collegii Hibernensis habitationem destinatis Templi curam ab Eccle-
 siasticis in posterum geri, qui illi Collegio addicti sunt. Fuit hoc etiam
 valde jucundum Dilecto Filio Nostro Jacobo Philippo Tituli S. Mariae
 in Aracoeli Presbytero Cardinali Fransonio, qui tamquam S. Consilii
 Christiano regimini Propagagando Praefectus, Hibernensis Collegii Pa-
 tronus est. Rebus denique omnibus quae negotium hoc respiciunt,

mature perpensis Apostolica auctoritate Nostra haec decernenda esse judicavimus. Collegium Hibernense ex veteri Ginnasiano domicilio ad S. Agatham in Suburra transferimus, ampla domicilia quae Ecclesiae S. Agathae adjecta sunt, cum omnibus pertinentiis suis Collegio Hibernensi in perpetuam habitationem tribuimus, et destinamus. Templum S. Agathae Collegii curae committimus, salvo in omnibus jure, quod Dilecto Filio Nostro Joanni Francisco Marco y Catalan veluti S. Agathae S. R. E. Cardinali Diacono, ejusque successoribus ex nomine convenit. Volumus quae ad Templum illud pertinent, quaeque quacumque ratione hactenus ob Templi S. Agathae procuracionem proveniunt ad Collegium Hibernense eadem de causa spectare, declaramus omnia privilegia, facultates, indulta, quibus Collegium Hibernense hactenus ab Apostolica Sede donatum est in suo robore permanere, derogamus Gregorii XIII. Constitutioni, cujus facta superius mentio est, et Pii VII. Praedecessoris Nostri mandato, quo utraque illa domus piis foeminis tributa fuit, quae puellarum Christianae institutioni per urbis regiones operam impendunt, quibusque habitationem in veteri Ginnasiano monialium coenobio destinamus. Confidimus denique futurum ut Hibernorum natio quae singulari in Catholica Religione constantia, et praecipue erga Sedem Apostolicam veneratione commendatur, ex novo hoc Nostrae in Collegium illud voluntatis testimonio ad Religionem impensius fovendam animetur etc.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 3. Junii 1836. Pontificatus Nostri anno sexto.

E. Card. De Gregorio.

Vicariatum Apostolicum constituit Pudicherii in Ora Coromandalica, qui comprehendat loca omnia quae Seminarium Parisiense Missionum ad Exteros per Presbyteros suos sub Superioris inter Seminarii ipsius Presbyteros eligendi dependentia antea procurabat.

G R E G O R I U S P A P A X V I.

Ad futuram rei memoriam.

Apostolici muneris officium Nobis ex alto commissum postulat, atque efflagitat, ut omni quidem vigilantia et studio Dominici Gregis bono et commodo consulamus. Itaque cum ad Catholicae Religionis bonum procurandum utile omnino esse acceperimus in Missionibus, quae Seminario Parisiensi Missionum ad Exteros in Ora Coromandalica commissae sunt, Vicariatum Apostolicum constituere, qui loca illa

omnia comprehendat, in quibus memorati Seminarii Sacerdotes Missionarii munere in ea regione hactenus consueverunt, ejusmodi Vicariatum erigendum decrevimus. Quotobrem de VV. FF. NN. S. R. E. Cardd. negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio hisce litteris de Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine Vicariatum Apostolicum in Ora Coromandalica erigimus, et in eo Vicarium Apostolicum constituimus. Ipsi autem Vicario ab hac Apostolica Sede adlegendi omnes et singulas facultates hujusmodi Vicariis Apostolicis concedi solitas, eadem auctoritate Nostra concedimus et impertimur. Haec statuimus atque decernimus volentes has praesentes litteras etc.

Datum Romae apud S. M. M. sub Annulo Piscatoris die 8. Julii 1836. Pontificatus Nostri anno sexto.

Pro Domino Cardinali De Gregorio

A. Picchioni Substitutus.

Confirmat quae in Visitatione Apostolica peragenda Conventus, et Collegii Missionum FF. Minorum S. Francisci Observantiam ad S. Bartholomaeum in Insula Tiberis, Eius S. R. E. Cardinalis Pedicinius Episcopus Praenestinus statuenda esse judicaverat.

G R E G O R I U S P A P A X V I.

Ad futuram rei memoriam.

Divino penitus consilio fel. rec. Clemens XI. Praedecessor Noster sententiam Congregationis de Propaganda Fide libentissime confirmans, nonnullorum Ordinum Regularium Superioribus praecepit conventum, seu Coenobiorum deputationem pro Collegiis Missionum, in quibus Religiosi viri, qui se ad Missiones apud Infideles obeundas vocari dicerent, per statutum tempus, vocationis suae maturius experimentum facerent, et orationi, ceterisque pietatis officiis impensius vacantes, et studia theologiarum disciplinarum, atque Orientalium idiomatum sedulo persequentes ad ardui ministerii opus, ut par est, exequendum instituerentur. Vidit enim Sapientissimus Pontifex quanti intersit Missionum bono, quae in regionibus Infidelium et Haereticorum potestati subjectis habentur, ut ad eas non nisi probatae vocationis, spectataeque pietatis atque doctrinae viri deputentur. Hac Nos consideratione permoti quam praecipuam curam gerere studuimus quamdiu memoratae Congregationi de Propaganda Fide praesumus, ut Missionum Collegia, quae laudati aliorumque Pontificum Praedecessorum Nostrorum pastoralis sollicitudine erecta in Urbe inveniantur rite, sancteque ad-

ministrarentur; eam postquam ad Divi Petri Cathedram, meritis licet imparibus, evecti fuimus, non solum servavimus, sed etiam pro viribus auximus, nec auctoritatis Nostrae opportuna remedia adhibere unquam desivimus, si quod ex illis debuit ad meliorem formam revocari. Cum vero nuper, nec sine animi Nostri dolore noverimus de Collegio Missionum in Conventu S. Bartholomaei in Insula Tiberis Ord. FF. MM. D. Francisci de Observantia anno MDCCX. instituto, cujus regulas Clemens XI. Apostolicis litteris 21. Januarii ejusdem anni incipientibus = Commissi Nobis = confirmavit, et servandas perpetuo jussit, quod in eo non modo leges adeo sapientes ad rectum ejusdem Collegii regimen latae non diligenter observarentur; sed non semel contigerit, ut dissidia in ea domo commoverentur; nulla interposita mora statuimus aliquem ex Cardinalibus negotiis de Propaganda Fide praepositis designare, cui Visitatoris Apostolici praedictorum Conventus et Collegii munus committeremus. Ad hujusmodi autem munus utiliter adimplendum aptissimum judicavimus Ven. Fr. Nostrum Carolum Mariam Episcopum Praenestinum S. R. E. Card. Pedicini nuncupatum, ad cujus pietatem, prudentiam, religionis amplificandae studium, ceterasque egregias dotes accedit etiam experientia, atque usus in rebus Missionum pertractandis, cum multos annos Secretarii primum, deinde Praefecti Congregationis de Propaganda Fide munus diligentissime gesserit. Eum igitur Conventus ac Collegii Missionum apud S. Bartholomaeum in Insula Tiberis Visitatorem deputavimus, ut de obortis in illo abusibus inquireret, causas eorundem cognosceret, et quid factu opus esset, Nos certiores accurate redderet. Quo ille officio perfunctus qua solet in rebus gravissimis sedulitate, studio et prudentia, deinde Nobis peractae Visitationis narrationem fecit. Ex ea porro apparet in illa Religiosa domo qui vigent abusus, quae saepe saepius exoriuntur dissidia, ea praecipue ex importuna duarum Communitatum commixtione provenire, Collegii videlicet juvenum ad Missiones instituendorum, et Conventus, in quo Seniores aliis officiis et occupationibus sunt addicti, diversaque horarum distributione uti solent; inde contentiones, et pacis atque ordinis perturbatio, resque eo perducta, ut nisi malis prompta, et opportuna providentia occurratur, emolumentum vix aliquid ad bonum, et incrementum religionis sperari amplius ex eo Missionum Collegio possit. Hoc rerum statu Nobis renunciatum prae laudatus Cardinalis ad rationem descendit, quam ineundam putat, ut dissensionibus finis imponatur, atque novae in posterum non exurgant praecaveatur, ut abusus tollantur, et disciplina ita statuatur, ut Collegium Missionum de quo agitur sanctissimo fini respondeat ad quem fuit institutum. Optimum igitur factum videri sibi dicit, ut quae Nos ipsi pro Conventu et Collegio S. Petri in Monte Aureo decrevimus, Litteris Nostris diei 22. Martii anno 1833., videlicet ut

ab eo Conventu studium Philosophiae removeretur, isque unam cum Collegio familiam constituens, a Romana Provincia separaretur, ut uni subderetur P. Ministro, seu Vicario Generali Ord. Min. de Observantia Cismontanae Familiae cum dependentia a Congregatione de Propaganda Fide, quae item circa administrationem, et vitam communem perfectam ibidem praecepimus eadem omnia pro Conventu S. Bartholomaei statuamus. Addit his Card. Visitor alia quaedam decernenda, videlicet, ut praedictus Generalis Cardinali in Urbe Vicario Nostro Generali praesentet Religiosum doctrina, pietate, ceterisque dotibus ornatum, quae ad Paraeciam S. Bartholomaei in Insula Tiberis bene regendam necessariae sint; Ut Lectori Theologiae Moralis, quem in eo Collegio instituendum Congregatio de Propaganda Fide provide decrevit, a P. Commissario Terrae Sanctae in Urbe degente vestiarium subministraretur, prout vigore Apostolici Brevis Innocentii XI. subministratur Lectori Controversiarum; ut Procurator Missionum eligatur iis praeditus dotibus, quae in Constitutione Clementis XI. = Commissi Nobis = assignantur; ut expensae itineris quod Religiosi alumni e respectivis Provinciis ad Collegium suscipere debent inter Conventum S. Bartholomaei et P. Commissarium Terrae Sanctae aequaliter dividantur. Tandem ut ad plenam observantiam omni ex parte saepius citatum providissimum Clementinum Breve = Commissi Nobis = revocetur. Nos igitur ad ea attendentes, quae de statu Collegii apud S. Bartholomaeum in Insula Card. Visitor explicuit, mature etiam perpensis, quae ut illud ad meliorem ordinem revocetur putat decernenda, id tandem consilii cepimus ut eidem Collegio opitulemur, quod pastoralis officii Nostri ratio postulat modo, ac forma ab eodem Visitatore propositis. Quocirca per praesentes litteras statuimus, atque jubemus, ut Conventus apud S. Bartholomaeum in Insula Tiberis, qui haetenus Provinciae Romanae FF. MM. de Observantia addictus fuit, et ejus Provinciali paruit, ad eandem amplius Provinciam non pertineat a qua idcirco per praesentes perpetuo sejungimus, eumque statuimus sub immediata P. Vicarii, vel Ministri Generalis Ordinis Minorum Observantiae Cismontanae Familiae pro tempore existentis jurisdictione, ut ejus in posterum consilio et imperio administraretur, ea tamen lege, ut quoties de novo Guardiano eligendo casus advenerit, praedictus P. Vicarius, vel Minister Generalis negotium hoc agat prius cum Congregatione de Propag. Fide, ut ea acceptante, et consentiente novus Guardianus eidem Conventui praeficiatur; in omnibus praeterea quae tum Conventus, tum Collegii disciplinam, et negotia spectare poterunt, ad eandem Congregationem se referat tam idem P. Generalis, quam P. Guardianus. Cum autem is Nobis propositus sit finis, ut Conventus S. Bartholomaei, quem unam cum Collegio familiam efformare volumus, juvenibus religiosis ad munus Missionis instituendis inservire

tantum debeat, ut omnis causa absit, qua finis iste vel intercipi, vel retardari possit, praecipimus, et injungimus eidem P. Vicario Generali ut, quam primum fieri possit, studium Philosophiae ab eo Conventu removeat, et curet, ut quos Religiosos viros manere in eo Conventu oportet seu pro Ecclesiae D. Bartholomaei servitio, seu pro Alumnorum regimine, atque institutione, si spectatae sint vitae, qui suo exemplo ad pietatem Alumnos suos juvenes incendant, his inde amotis, qui habita ratione novi rerum status jam non sunt necessarii vel opportuni. Quoniam autem praedicta Ecclesia S. Bartholomaei una est ex Urbis Paraeciis, hinc ad P. Vicarium vel Ministrum Generalem Cismontanae Familiae pertinebit Cardinali Vicario Generali in Urbe Nostro Religiosum Virum praesentare doctrina, pietate, ceterisque praeditum dotibus, quae ad animarum curam sancte et utiliter gerendam necessariae dignoscuntur. Volumus igitur et jubemus, ut in eo Conventu vita communis perfecta perpetuo servetur: hac enim vitae ratione servata discent juvenes alumni animum avertere a rebus temporalibus, et totum ad Deum convertere cui uni in Sanctis Missionibus inservire debebunt. Praeterea praecipimus ut Lectori Theologiae Moralis a P. Commissario Terrae Sanctae in Urbe degente vestiarius subministratur, prout vigore Apostolici Brevis Clementis XI. subministratur Lectori controversiarum; ut pro itinere, quod Religiosi alumni e respectivis Provinciis ad Collegium suscipere debent, expensae inter Conventum S. Bartholomaei, et eundem P. Commissarium aequaliter dividantur; ut Procurator Missionum eligatur iis ornatus dotibus, quae in Constitutione Clementis XI. = Commissi Nobis = assignantur. Cetera vero quae ab eodem Praedecessore Nostro in ea Constitutione congrue, ac sapienter ad illius Collegii regimen, disciplinamque spectantia ordinata sunt, eadem omnia ut sarta lecta sint, et in perpetuum, et adhaerentissimè serventur omnino, praecipimus, mandantes illis, quibus id curae, et sollicitudinis esse debet, ut eadem omni quo poterunt studio servari faciant. Haec volumus, statuimus etc. expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. M. M. sub annulo Piscatoris die 19. Augusti 1836. Pontificatus Nostri anno sexto.

Pro Domino Card. De Gregorio

A. Picchioni Substitutus.

Confirmat initum antea consilium, et exequendum statuit de Vicariatu Apostolico in Insula Ceylan in Indiis Orientalibus constituendo.

GREGORIUS PAPA XVI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex munere pastoralis ministerii superna Dei providentia humeris Nostris impositi non leve sane totius Dominici gregis onus ferentes, illis praecipue ovibus, quae regiones ab hac Apostolica Sede longe distas incolunt majori quidem vigilantia consulendum esse censemus, ut in adventu Pastoris aeterni repertae per Apostolicam curam intra verum ovile ad pascua coelestia vocari valeant, feliciterque perducant. Hinc cum indubiis monumentis constiterit in vastissima Insula Ceylan Catholicorum numerum magnopere auctum esse, et rationem adesse jure sperandi, fore ut in eadem ampliores progressus Religio faciat, Nos magnopere optantes prospicere in posterum, atque ea statuere, quae ad Religionis incrementum in memorata Insula juvandum conferre possunt, de VV. FF. NN. S. R. E. Card. negotiis Propagandae Fidei praepositorum sententia, consilium jam initum ad effectum perducere statuimus de universa illa Insula cum dependentiis suis Vicarii Apostolici regimini committenda qui ab Apostolica Sede tantum immediate dependeat, sublata Coccinensis, vel cujuslibet Ordinarii in eam Insulam jurisdictione, quique Episcopali dignitate praeditus sit, quos commodius, atque utilius ea omnia curare possit, quae ad Ecclesiae bonum et animarum salutem consequendam opportuna judicabuntur. Motu igitur proprio atque ex certa scientia, et matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine Insulam Ceylan cum dependentiis suis in peculiarem et distinctum Vicariatum Apostolicum harum litterarum vi erigimus, et in ea Vicarium Apostolicum constituimus, qui ab hac Apostolica Sede dumtaxat dependeat, sublata Coccinensis vel cujuslibet Ordinarii in eam Insulam jurisdictione. Ipsi autem Vicario, qui Episcopali dignitate praeditus esse debet, atque ab hac Apostolica Sede erit eligendus, omnes et singulas facultates hujusmodi Vicariis Apostolicis concedi solitas eadem auctoritate Nostra concedimus, et impertimur. Haec volumus, statuimus atque decernimus, volentes has praesentes litteras semper firmas etc. attentari. Non obstantibus, quoties opus fuerit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, aliisque etc. quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 23. Decembris 1836. Pontificatus Nostri anno sexto.

E. Card. De Gregorio.

De exhibenda Apostolicis mandatis obedientia circa res Ecclesiasticas in Indiis Orientalibus, et ad animorum concordiam in ea re procurandam scribit ad PP. Augustinianos Calcuttae degentes.

Dilectis Filiis Religiosis Viris Augustinianae familiae
Sacerdotibus in Urbe Calcuttae degentibus.

G R E G O R I U S P A P A X V I.

*Dilecti Filii Religiosi Viri Salutem, et Apostolicam
Benedictionem.*

Epistola vestra, Dilecti filii, ex Urbe Calcutta missa, cum documentis aliquot, quae ad excitatam apud Vos controversiam pertinent, nuper ad Nos ex Anglia per sedulum nuntium allata fuit. Doluimus sane et quam maxime, intelligentes ex eadem Epistola Vos adhuc in vestra sententia persistere adversus deputationem, et auctoritatem Vicarii Apostolici Bengalensis a Nobis constituti, debitam ei denegando obedientiam ac submissionem, et partes nondum deseruisse Fratris Manuel ab Ave Maria Ex-Provincialis vestri Ordinis, qui Administratorem se nuncupat vacantis Episcopatus Meliaporensis, et contra Apostolicam Petri Cathedram contumaciter se extollens, eidem veluti bellum inducere non erubescit. Is enim in suis, quas vestris adjunctas ad Nos misistis encyclicis litteris, sensu, ac stylo, cui facta respondent, plane schismatico scriptis, totus in eo esse videtur, ut Apostolici Primatus jura labefactet, Vosque ac omnes, si fieri posset, Bengalensis Vicariatus Catholicos ad seditionem concitet, et ab obedientia subtrahat hujus S. Sedis, sicque a Catholicae dividat unitatis centro. Verum quia ipse epistolae vestrae tenor magnam Nobis spem injicit de vestra tandem mandatis Nostris submissione, ideo Vos ut filios paterno animi affectu amplectentes, Vobis Nos ipsi rescribimus, videlicet ut cognoscatis, quidquid Nos pastoralis muneris debito, circa Catholicam Bengalae Ecclesiam, ejusque regimen spirituale decrevimus, id omne ad reparanda Religionis damna, quam istic jamdiu periclitari rescivimus, fuisse directum.

Atque in primis vos ipsi fatemini penuriam istic Sacerdotum lingua anglica a nativitate loquentium, qui quidem sermo cum in Urbe populosa Calcutta ejusque latissima praefectura maxime vigeat, satis hinc patet cogitandum Nobis fuisse de novis subsidiis Calcuttam mittendis, ut illorum numerus augetur. Ita enim per Sacerdotes plures ea sermonis facultate praeditos et christiana puerorum educatio et populorum eruditio et ipsa Neophytorum Catechesis longe utilius, Deo juvante, curabitur. Sed et alia sollicitudinem Nostram excitabat gravis sane ca-

lamitas, quod Episcopales Lusitanorum in India Sedes pastoribus jamdiu carent, et carituae diutius videntur, praesertim ob turbatum ejus Regni statum, et transmarinorum dominiorum conversiones. Certe vero fieri vix poterat, ut S. Thomae Sedes, quae et ipsa Episcopum tot jam annos desiderat, et exiguo Clero utitur, et a Bengalensi Ditione plurimum abest, innumeris populis qui Gangem circumstant, Fidei Catholicae lumina, et ministeria, prout opus est, suppeditaret. Quod igitur Romani Pontifices Praedecessores Nostri jamdiu fecerunt, nempe ut multa Orientis regna atque provincias a Lusitanis Sedibus, similes ob causas, subtraherent, et Vicariis Apostolicis fructuosius regendas assignarent; id Nos pariter nunc agere necesse fuit, ne creditum Nobis a Christo Gregem congrua providentia destitutum desereremus.

Porro hanc voluntatem Nostram, Dilecti Filii, satis compertam habuistis primum quidem ex Pontificiis litteris die 18. Aprilis 1834. datis, quibus Apostolicum Vicarium Calcuttae cum generali potestate instituimus: deinde ex Decreto Congregationis de Propaganda Fide jussu Nostro edito die 27. Decembris 1834., quo ad sopienda quae oriabantur dissidia, cunctas Calcuttae Ecclesias eidem Vicario subjectas expresse declaravimus; tertio denique ex Apostolica Constitutione 4. Augusti 1835. in qua rem gestam plenius adhuc explicavimus ac confirmavimus, et antiquis quibusvis praerogativis seu Constitutionibus discrete derogatum esse ediximus. Quibus omnibus intellectis, neque a Vobis profecto, neque a Vicario Meliaporensi contradicendum erat; sed catholico potius animo et religiosa obedientia acquiescendum. Sed enim quia Meliaporensis Vicarius deplorando consilio jus suum, jam a Nobis suprema auctoritate irritatum, tueri perrexit; Vosque eidem contra majoris auctoritatis jussionem obsecundastis, scandalum magnum in populo, et Cleri schisma consecutum est. Cui gravissimo malo, ut quamprimum medeamini, et finem denique imponatis plenam praestando S. huic Sedi obedientiam, id Vobis denuntiat ac praecipit Catholica ipsa Religio quam profiteamini.

Jam quod attinet ad peculiarem quem praefertis gentis vestrae Lusitanae amorem, hunc generatim quidem non improbamus, sed tamen Catholicam Ecclesiam unam esse individuaque cognoscitis, monente insuper Paulo Apostolo (ad Coloss. III. 11.), nullam esse in Christo Nationum distinctionem. Quare magnopere Vos hortamur, et gravissime commonemus, ut omisso partium quarumvis vel Nationum studio, constitutum a Nobis Bengalensem Vicarium debito honore revereamini, atque eidem nomine Nostro Vobis praesidenti, nulla interposita mora obtemperetis et obsequamini. Neque enim Meliaporensi Sedi, post has Nostras Constitutiones subesse diutius Vobis licet, neque a Nobis duplicem in Urbe Calcuttae auctoritatem creari expedit: quod neque Ecclesiae mos patitur, neque paci et unitati fovendae idoneum foret.

Ceteroquin, si quod confidimus et a Vobis praestolamur, re exequemini, nempe ut voluntati Nostrae humiliter pieque obedistis, dabimus operam ut Apostolicus Noster Vicarius omni Vos humanitate atque amore prosequatur; Nosque ipsi nullam Vos juvandi solandique occasionem praetermitteremus: quod demum plurimi interest, aeternae vestrarum animarum saluti et christiani populi aedificationi consultum erit. Nostras autem has litteras notas facite eidem Meliaporensi Vicario, ut et ipse maerenti Patri amantissimo auscultans ad saniora redeat consilia, et ad S. hujus Sedis obedientiam; quod a divino Pastorum Principe non cessabimus enixis precibus implorare. Interim vobis, dilecti filii Religiosi Viri, pignus paternae Nostrae charitatis Apostolicam Benedictionem intimo cordis sensu peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die 4. Januarii 1837. Pontificatus Nostri anno sexto.

GREGORIUS PP. XVI.

De eadem re scribit ad Vicarium Capitularem Diaecesis Goanae.

Dilecto Filio Paulo Antonio Dias a Conceptione Vicario Capitulari Diaecesi Goanae.

G R E G O R I U S P A P A X V I .

Dilecte Fili Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Pietatem tuam, Dilecte Fili, et erga Apostolicam Sedem reverentiam satis compertam habemus, tum ex tuis ad Nos, et ad Congregationem de Propaganda Fide scriptis litteris, tum etiam ex fama hominum, et opinione. Credimus igitur, ea quae Nos circa Bengalensem Ecclesiam, Goanae Metropoli olim subjectam, gravissimis impulsu causis decrevimus, Te nedum non contempsisse et improbasse, sed aequo et obsequenti animo accepisse. Nam quae sit Sacerdotum anglice apud Vos loquentium penuria, quae spes catholicam fidem in latissimis circa Gangem provinciis augendi, quanta rerum publicarum sit facta conversio, ita ut instituta vetera recentibus commutare necesse fuerit, pro tua prudentia et judicio optime intelligis. Verum et illud conjicere et intelligere facile potes in quanto maerore versemur, quantisque in angustiis ob scandalosam quorundam contumaciam, qui coacto agmine seditionem pertentantes, schismatis vexillum, Duce Meliaporensi Vicario, contra auctoritatem Vicarii Apostolici a Nobis Calcuttae constituti, ideoque et contra ipsam S. hujus Sedis auctori-

tem deplorando consilio attollere non erubuerunt. Atque Tibi, Dilecte Fili, super hac re nonnulla ducimus communicanda. Jam probe nosti Constitutionem Nostram diei 4. Augusti 1835. cujus exemplar hisce adjunctum reperies, sicuti antecedentia ac subsequenta facta Te non ignorare arbitramur. Iis igitur praetermissis, de uno tantum hic loquimur nuperrimo factò, videlicet de litteris nonnullorum Religiosorum ex Augustiniana familia Calcuttae degentium ad Nos datis, et quas mense Decembri proxime elapso accepimus. Eamdem itaque cum Vicario Meliaporensi scandalosam ipsi causam agentes, acerbe in dictis litteris conqueruntur, reclamant ac protestantur contra institutionem a Nobis factam Vicarii Apostolici, atque horum alterutrum postulant, ut in illis Missionibus, vel sua Lusitanis Pastoribus servetur antiqua jurisdictionis, vel Lusitanus Episcopus eis praeficiatur.

Quamvis vero neutrum eisdem assentiri potuerimus, ac eo tendere cognoverimus hujusmodi postulata, ut quod constitutum a Nobis fuit Ecclesiasticum ibi regimen penitus subverteretur: tamen, quia ex officiosis quibus utuntur verbis Apostolicam Sedem adhuc revereri videntur ab eaque separare se nolle, ideo eis pacifice et amantissime Nos ipsi rescripsimus, futurum sperantes, ut mandatis ac monitionibus Nostris ut filii obedientes tandem acquiescant. Quae autem ipsis rescribentes expressimus sensa ex adnexo Nostrarum litterarum exemplari cognosces.

Haec tibi, Dilecte Fili, communicamus ut prudentia, zelo, ac pietate, qua praestas afflictissimae Matri Ecclesiae, maerentique communi Fidelium Patri, et instanti Religionis Catholicae istis in regionibus periculo opem ferre non desinas, curando quantum poteris, ne inobedientes jam inchoatum schisma pertinaciter compleant, utque Meliaporensis Vicarius a schismatis abyssu retrahatur; ut quicumque ipsius partes quoque modo sequuti sunt ad obedientiam redeant Apostolicae Sedis; ut ceteri denique, qui ab hujus obsequio non declinarunt, in eodem firmiter perseverent. Interim plurimum prudentiae tuae, pietati, ac religioni in gravissimo hoc negotio confidentes Tibi, Dilecte Fili, cunctoque Gregi tuae curae commisso Apostolicam Benedictionem ex intimo corde peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die 8. Januarii 1837. Pontificatus Nostris anno sexto.

GREGORIUS PP. XVI.

Vicariatum Apostolicum in Insula Iamaica erigit in Indiis Occidentalibus, cui Vicariatui tractum adjungit insularum quae Lucayae, et Bahamae dicuntur, una cum Anglicana colonia in peninsula Yucatan.

G R E G O R I U S P A P A X V I .

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex munere pastoralis ministerii superna Dei providentia humeris Nostris impositi non leve sane universi Dominici gregis onus ferentes illis praecipue ovibus, quae regiones ab hac Apostolica Sede longe distitas incolunt majori paterni animi Nostri sollicitudine et cura consulendum esse cognoscimus. Cum itaque ex gravissimis monumentis constiterit ad recte prospiciendum Religionis incrementum in vastissimo regionum tractu, quae hactenus Vicarii Apostolici in Insula SS^mae Trinitatis in Indiis Occidentalibus residentis jurisdictioni subjectae fuerunt, necesse omnino esse novam fieri regiminis Ecclesiastici partitionem in tanta locorum amplitudine, qua facta expeditior et commodior evadat Ecclesiae administratio, ac populorum cura, probe noscentes impossibile prorsus esse, ut ab uno tantum Vicario Apostolico licet zelo Religionis et Fidei propagandae studio praestanti ea procurari possint, quae Ecclesiae necessitas requirit in vastissimis et longe dissitis regionibus, quae illius Vicariatus limitibus continetur, de VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praeposit. consilio, atque de consensu Ven. Fratris Danielis Episcopi Olympensis, et Vicarii Apostolici, Insulam Jamaicam cum dependentiis suis ex eodem Vicariatu separandam, et una cum tractu Insularum, quae Lucayae, seu Bahamae dicuntur in peculiarem Vicariatum Apostolicum constituendam decrevimus, cujus jurisdictione comprehendatur etiam Anglicana Colonia, quae Honduras appellatur, quaeque in Peninsula Yucatan posita est. Motu igitur proprio, atque ex certa scientia, et matura deliberatione, deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum litterarum vi Insulam Jamaicam cum dependentiis suis, et una cum tractu Insularum quae Lucayae seu Bahamae dicuntur ab jurisdictione Vicarii Apostolici SS^mae Trinitatis subtrahentes in novam peculiarem Vicariatum Apostolicum erigimus, cujus jurisdictione comprehendatur etiam Anglicana Colonia quae Honduras appellatur, quaeque in Peninsula Yucatan posita est, atque in eo Vicariatu Vicarium Apostolicum constituimus. Ipsi autem Vicario ab hac Apostolica Sede delegando omnes et singulas facultates hujusmodi Vicariis Apostolicis concedi solitas eadem auctoritate Nostra concedimus et impertimur. Haec statuimus at-

que decernimus etc. contigerit attentari. Non obstan. etc. contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 10. Januarii 1837. Pontificatus Nostri anno sexto.

E. Card. De Gregorio.

Aegypti, et Arabiae Visitatorem Apostolicum constituit Episcopum Tipasitanum Angelum de Planella Ord. PP. Capucinorum, eo quod novus Vicariatus Apostolicus in iis regionibus esset erigendus.

Venerabili Fratri Josepho Angelo Fazio Episcopo Tipasitano.

G R E G O R I U S P A P A X V I.

Ven. Frater Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Universi Dominici Gregis ob pastorale ministerium superna Dei providentia Nobis impositum magnopere solliciti, iisque praecipue ovibus, quae Regiones ab hac S. Sede longe distantes incolunt pro viribus consulere cupientes, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio auctoritate Nostra Apostolica statuimus atque decrevimus a spiritali jurisdictione Vicarii Apostolici Hierapolitani Aegyptum et Arabiam sejungere, illisque in Regionibus alium Vicarium Apostolicum Episcopali caractere insignitum instituere, qui et Missionum ibi existentium curam gerat, et antiquas, quae jamdiu defecere, missiones excitare atque ad conterminas quoque, si fieri possit, Nubiam, et Abyssiniam extendere satagat. Ut autem hujusmodi gravis momenti providentia plenius ac facilius perfici possit, iisdem Cardinalibus in consilium adhibitis Tua prudentia, doctrina, integritate et Catholicae Religionis studio plurimum confisi hoc munus Tibi conferre censuimus atque decrevimus. Peculiari ergo benevolentiae Nostrae testimonio Te complecti volentes et a quiquisvis excommunicationis, suspensionis etc. si qua forte incurreris etc. absolutum etc. fore censentes, auctoritate Nostra Apostolica Te a munere Coadjutoris Vicarii Apostolici in Indostano solventes, in Visitatorem atque Administratorem Apostolicum praedicti novi Vicariatus ad Nostrum, et S. Sedis arbitrium deputamus. In hisce vero Partibus obeundis diligenter inspicias quod potissimum factu opus sit ad eundem Vicariatum Apostolicum rite constituendum; num, et qui sint in Missione superioris Aegypti cum FF. Ordinis Min. S. Francisci Reformatorum nuncupat. concredita abusus, eosdemque tollere

studebis, novasque regulas, quoties opus fuerit, propones a Missionis Praefecto, et Missionariis servandas, ut in excolenda ea vineae Domini parte illorum opera utilior evadat, quae quidem regulae plenarium habeant effectum donec ipsorum Venerabilium Fratrum Nostrorum Congregatio super his quid in posterum servandum sit judicaverit, ac propterea ad eandem Congregationem mittere omnino debebis Tuae Visitationis, et Administrationis acta, eamque de rebus omnibus diligentissime certiores facies. Haec volumus atque statuimus mandantes idcirco omnibus et singulis ad quos spectat ac spectabit in posterum ut Tibi in praemissis sponte pareant, et obediant, tuaque salubria monita etc. observari. Non obstantibus Apostolicis etc. contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 21. Februarii 1837. Pontificatus Nostri anno septimo.

E. Card. De Gregorio.

Gujanam Britannicam seu Demeraryam sejungit a Vicariatu Apostolico cujus Sedes est in Insula SSmae Trinitatis in Indiis Occidentalibus, atque in ea novum Vicariatum Apostolicum erigit.

G R E G O R I U S P A P A X V I.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex pastoralis ministerii munere Nobis divinitus concrediti non leve totius Dominici gregis onus ferentes, nullis neque curis, neque consiliis, neque laboribus Nobis parcendum esse cognoscimus, quo Christianorum bono atque utilitati, quibusque rebus pro viribus consulatur. Itaque cum ad prospiciendum Religionis Catholicae incolumitati, atque incremento in vastissimis, et longissime dissitis regionibus, quae Districtu Vicariatus Apostolici Insulae SSmae Trinitatis seu Indiarum Occidentalium continentur, necessarium prorsus esse noverimus novam Ecclesiastici regiminis in tanta locorum amplitudine partitionem fieri, qua facta expeditior, et commodior evadat Ecclesiae administratio, et populorum cura, de VV. FF. etc. consilio censuimus atque decrevimus Gujanam Britannicam, seu Demeraryam, quae hactenus Vicarii Apostolici Insulae SSmae Trinitatis jurisdictioni suberat, ab illius jurisdictione substractam in peculiarem ac distinctum Vicariatum Apostolicum esse erigendam. Motu igitur proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione, deque Apostolicae potestatis plenitudine harum litterarum vi,

Gujanam Britannicam, seu Demeraryam ab jurisdictione Vicarii Apostolici Insulae SS^mae Trinitatis subtrahentes, in peculiarem ac distinctum Vicariatum Apostolicum erigimus, atque in eo Vicarium Apostolicum constituimus. Ipsi autem Vicario ab hac Apostolica Sede adlegendi, omnes et singulas facultates hujusmodi Vicariis Apostolicis concedi solitas, eadem auctoritate Nostra concedimus et impertimur. Haec statuimus atque decernimus volentes has nostras litteras semper firmas validas et efficaces existere etc. contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 12. Aprilis 1837. Pontificatus Nostri anno septimo.

E. Card. De Gregorio.

Commendat Episcopo Montis Regii seu Marianopolis in Canada Inferiori domum Presbyterorum S. Sulpicii ibi existentem.

Ven. Fratri Joanni Jacobo Lartigue Episcopo Marianopolitano
in Canada Inferiori.

GREGORIUS PAPA XVI.

Ven. Frater Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Jucundae Nobis fuerunt Fraternalitatis Tuae litterae Marianopoli die 15. Novembris scriptae. Vidimus enim quam grato erga Nos animi Tui sensu institutum a Nobis Marianopolitanum Episcopatum, tuamque ad istam Sedem Episcopalem designationem prosequaris. Hanc vero Ecclesiae perutilem futuram esse in Domino vehementer confidimus. Certum praeterea habemus Te novum perspicuum benevolentiae Nostrae argumentum esse capturum ex Apostolicis Nostris Litteris, quas huic Epistolae adjectas mittimus. Nam expedire judicantes Te Coadjutore non carere, quo cum labores, curasque tuas partiri possis, precibus tuis annuimus, et id munus contulimus Sacerdoti Ignatio Bourget, eique, prout petebas, Episcopalem Thelmessensem titulum tribuimus. Magnam vero spem jure concepimus, Sacerdotem hunc qui tot annos in gerendis Ecclesiasticis istius regionis negotiis apud Te studiosam operam impendit, cum Religionis emolumento munere sibi commissum esse functurum.

Haec dum Tibi significanda esse duximus, opportunam Nobis oblatam esse occasionem censuimus, qua Tibi ac per Te Coadjutori Tuo mentem Nostram de re quae cordi Nobis magnopere est, luculenter aperiremus. Loquimur videlicet de isto S. Sulpitii Seminario, deque Sacerdotibus ad illud pertinentibus; et eam domum ac Sacerdotes ejus-

dem quanto possumus studio, Tibi et Successoribus Tuis commendamus. Nota Nobis, Vobisque sunt praedictae domus et Sacerdotum in ea degentium in propaganda isthuc religione praeclara merita. Scimus Fidei Catholicae in Regione Canadensi amplificationem, Sacerdotum Sulpicianorum laboribus multum esse tribuendam. Omnem igitur justae, rectaeque rationem postulare arbitramur, ut Sedes Apostolica domus ejus conservationem atque incolumitatem sedulo curare non omittat. Quare gratum Nobis semper futurum esse testamur, quidquid ad ejus utilitatem, prosperitatemque conducet; Te vero Coadjutoremque tuum commendationi Nostrae obsecundaturos esse certo scimus.

Interea Tibi et Thelmessensi Episcopo Apostolicam Benedictionem ex intimo cordis affectu impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die 13. Martii 1837. Pontificatus Nostrum anno septimo.

GREGORIUS PP. XVI.

Principem David Dyce Sombre de Aviae morte consolatur, et benevolas de ejusdem erga Religionem studio literas scribit.

Dilectissimo in Christo Filio Nostro Davidi Principi Ochlerlong Dyce Sombre.

G R E G O R I U S P A P A X V I .

Dilectissime Fili Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Singulari ut nosti Paternae voluntatis studio prosequeremur Dilectissimam in Christo Filiam Nostram Inclytam Principem Joannam Aviam Tuam, ac proinde acerbissimus cordi Nostro accidit ejusdem obitus, de quo tum ex aliis antea nunciis, tum nuper ex litteris cognovimus Nobilitatis Tuae datis ad Nos die 11. Julii anni proximi. Sed probe memores Religionis et effusae in Ecclesias ac pauperes liberalitatis suae consolamur una Tecum dolorem Nostrum firmissima spe, qua ipsius animam in locum salutis receptam confidimus. Nec vero intermittimus humilibus precibus et incruenti Sacrificii oblatione instare apud Deum, ut per misericordiam suam indulgeat quidquid ei humanae labis expiandum supersit. Ad Tabulam deinde quod attinet dedicationem referentem Sacrae Aedis Sirdhanensis sumptu ejusdem defunctae Principis magnifico opere esse constructa, jam quidem nunciatum Nobis est illam in via esse, ac multas Tibi gratias persolvimus qui hanc avitae munificentiae memoriam cito ad Nos mittendam cu-

rasti. Plurimum vero delectati sumus reliqua illarum litterarum Tuarum significatione, qua Dilectissime in Christo Fili Noster non fortunarum modo Aviae Tuae sed pietatis etiam haeredem Te ostendis. Nam et pecunias piis pluribus operibus a Defuncta assignatas fideliter erogasti; et de rebus Sirdhanensis Ecclesiae ita loqueris ut ipsam Te opem ferente in meliorem statum adduci a Nobis posse non ambigamus. Molestissimum interea Nobis fuit quod Venerabilis Frater Episcopus Amathuntinus quem in toto Sirdhanensi Principatu Vicarium Apostolicum constitueramus, Nobis inconsultis, Teque ipso aegre admodum ferente, ab India discesserit: et Eum quidem per litteras Nostrae Congregationis Propagandae Fidei Nostro nomine reprehendendum curavimus. Praeterea certiore Te facimus eandem Congregationem scripsisse etiam Venerabili Fratri Episcopo Esbonensi Vicario Apostolico Agrae constituto, ut ei mandatum Nostrum significaret de pecunia quam Tu eidem ex demortuae voluntate soluturus eras caute reservanda in pium usum, quem suo deinde tempore ex aliis litteris cognoscat. Enim verum de hac re tum de ceteris, quae ad juvandam inter vos religionis causam pertineant, statuemus consultius postquam Tecum, Dilectissime in Christo Fili Noster, loquuti fuerimus. Speramus enim Te, ut proposueras jam ex India profectum et Romam in futuri anni exordio adventurum. Vix autem explicare verbis possumus, quanto paterni animi affectu exoptemus, Nobilitatem Tuam alloqui praesentem atque complecti. Interea non desistimus Deum per merita Jesu Christi Filii ejus suppliciter obsecrare, ut Te in itinere custodiat, et ab omni malo defendat, atque incolumem ad Nos pervenire concedat. Denique praecipuae Nostrae benevolentiae, quam coram postea, dante Domino, confirmabimus, pignus nunc habere Te volumus Apostolicam benedictionem, quam ex intimo corde depromptam, et cum verae omnis prosperitatis voto conjunctam Tibi ipsi, Dilectissime in Christo Fili Noster, amantissime impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die 22. Aprilis anni 1837. Pontificatus Nostri anno septimo.

GREGORIUS PP. XVI.

*Ecclesiae Cathedralis Zacynthi Capitulo privilegia
nonnulla largitur.*

G R E G O R I U S P A P A X V I .

Ad perpetuam rei memoriam.

Romanorum indulgentia Pontificum peculiariora ornamenta aliquan-

do illis tribuit , qui Deo laudes conspicuis in templis persolvunt , ut externa decora adepti magis illi contenti internis virtutibus enitere , et ad S. Ministeria accurate implenda benignitatis etiam Apostolicae incitamento impellantur. Quapropter quum illustri profecto in templo cultui divino inserviant Dignitates , et Canonici Cathedralis Ecclesiae Zacynthien , quumque demissis precibus Ven. Fr. Aloysius Lastaria ejusdem Ecclesiae Episcopus a Nobis petierit , ut peculiaribus nonnullis insignibus eos auctoritate Nostra suprema exornemus , facile exorari Nos patimur , ac petitioni hujusmodi obsequimur. Omnes ergo et singulos , quibus hae litterae favent peculiari beneficentia prosequi volentes , et a quibusvis etc. fore censentes , Dignitatibus et Canonicis Cathedralis Ecclesiae Zacynthien , eorumque Successoribus auctoritate Nostra Apostolica concedimus et indulgemus , ut in Choro in sacris supplicationibus , in conventibus , seu ut dici solet Capitulis , deliberationis causa habendis , et in aliis quibuslibet publicis Canonicorum Collegii functionibus a celebritate omnium Sanctorum , usque ad Ascensionis Domini festum gestare libere et licite possint Cappam , ut loquuntur , coloris violacei albae murtellae pellibus superiori in parte de more exornatam , sarta tectaue venia pro reliquo anni tempore palliolum , seu mozzettam ferendi. Haec concedimus atque sancimus decernentes has praesentes etc. contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 30. Mar. 1837. Pontificatus Nostri anno septimo.

E. Card. De Gregorio.

In Promontorio Bonae Spei Vicariatum Apostolicum ab eo Insulae Maurittii distinctum constituit.

G R E G O R I U S P A P A X V I .

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex munere pastoralis ministerii superna Dei providentia humeris Nostris impositi non leve sane totius Dominici gregis onus ferentes , omni sane vigilantia , studio , consilio , industria eo potissimum spectemus oportet , ut catholica fides ubique vigeat , et floreat , et cunctis Christifidelibus quibusque rebus provide consulatur. Cum itaque perspicuis monumentis constiterit ad Religionis Catholicae bonum in promontorio Bonae Spei promovendum necesse prorsus esse , ut Ecclesiasticum illius promontorii regimen Vicario Apostolico committatur , qui in ipsa illa regione resideat , quo commodior ibi , et expeditior esse possit Ecclesiae administratio , et populorum cura de VV. FF. etc.

consilio censuimus, atque decrevimus Promontorium Bonae Spei in Vicariatum Apostolicum proprie dictum a Vicario Apostolico in Insula Mauritii commorante minime dependentem esse erigendum. Motu igitur proprio atque ex certa scientia, et matura deliberatione deque Apostolicae potestatis plenitudine harum litterarum vi, Promontorium Bonae Spei a Vicario Apostolico in Insula Mauritii omnino sejunctum, minimeque dependentem in proprium ac peculiarem Vicariatum Apostolicum erigimus, atque in eo Vicarium Apostolicum constituimus. Ipsi autem Vicario ab hac Apostolica Sede adlegendo omnes et singulas facultates hujusmodi Vicariis Apostolicis concedi solitas eadem auctoritate Nostra concedimus, et indulgemus. Haec statuimus atque decernimus, volentes etc. attentari. Non obstantibus etc. contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 6. Junii 1837. Pontificatus Nostri anno septimo.

E. Card. De Gregorio.

Episcopatum Natchetensem erigit cui universam subiicit Fluminis Mississippii in America Septemtrionali Provinciam.

G R E G O R I U S P A P A X V I .

Ad perpetuam rei memoriam.

Universi Dominici Gregis salus Nobis Divinitus concredita postulat atque efflagitat, ut summo studio, et vigilantia ea omnia peragenda curemus quae ad Catholicae Religionis bonum et Christifidelium utilitatem pertinere posse cognoscimus. Itaque cum Venerabiles Fratres Archiepiscopus Baltimoren., atque Episcopi Dioecesium confaederatarum Americae Septemtrionalis Provinciarum in Synodo Provinciali mense Aprili hujus vertentis anni 1837. habita congregati ad Nos supplicem miserint libellum, quo petebant ut ad praespiciendum Religionis Catholicae incremento, atque ad commodius et expeditius procurandam animarum salutem in Provincia Fluminis Mississippii in Civitate Natchetensi novam Episcopalem Sedem constituere velimus, cui tota Mississipiensis Provincia subjiciatur, quae hactenus Episcopi Novae Aureliae jurisdictioni suberat, Nos de Venerabilium Fratrum Nostrorum Cardinalium negotiis Prop. Fidei praepositorum sententia, ac ratione habita consensus ab eodem Episcopo Novae Aureliae exhibiti ejusmodi rem conficiendam censuimus. Itaque rebus omnibus maturo examine perpensis, motu proprio et ex certa scientia deque Nostrae Apostolicae potestatis plenitudine hisce litteris in Civitate Natchetensi novam Episco-

Tom. V.

X

palem Sedem erigimus, atque instituimus, cui totam Provinciam Mississipiensem subjicimus, quam Provinciam ex jurisdictione Episcopi Novae Aureliae omnino subtractam in proprium et peculiarem Episcopatum erigimus, atque in memorata civitate proprium Episcopum pariter constituimus. Ipsi autem Episcopo ab hac Sede adlegendo omnes, et singulas facultates solitas eadem auctoritate Nostra concedimus, atque impertimur. Haec volumus, atque decernimus derogantes iis, quae Apostolicis litteris diei XVIII. Junii 1834. incipientibus = Benedictus Deus = praescripta sunt de jurisdictione in Provinciam Mississipiensem Episcopo Novae Aureliae tribuenda, ac decernimus has praesentes litteras etc. attentari, non obstante etc. et quoties opus fuerit fel. rec. Benedicti XIV. Praedecessoris Nostri super divisione materiarum aliisque Constitutionibus etc. quibuscumque.

Datum Romae apud S. M. M. sub Annulo Piscatoris die 28. Julii 1837. Pontificatus Nostri anno septimo.

Pro Domino Cardinali De Gregorio

A. Picchioni Substitutus.

*Dubuquensem Episcopatum erigit in Territorio Visconsin
in America Septentrionali.*

G R E G O R I U S P A P A X V I.

Ad perpetuam rei memoriam.

Universi Domini Gregis salus Nobis Divinitus concredita postulat atque efflagitat, ut summo studio, et vigilantia ea omnia peragenda curemus quae ad Catholicae Religionis bonum et Christifidelium utilitatem pertinere posse cognoscimus. Itaque cum Venerabiles Fratres Archiepiscopus Baltimoren., atque Episcopi Diaecesium confaederatarum Americae Septentrionalis Provinciarum in Synodo Provinciali mense Aprili hujus vertentis anni 1837. habita congregati, ad Nos supplicem miserint Libellum, quo affirmabatur utile Religioni, et animarum saluti esse futurum si Sedes nova Episcopalis in Civitate Dubuquensi nuper quidem aedificata sed valde jam populosa in Territorio Visconsinino erigatur, cujus ejusdem territorii Occidentalis pars, quod ultra flumen Mississipi, citra flumen Missouri jacet, quae hactenus Episcopo Sancti Ludovici suberat, subjiciatur, Nos de VV. FF. etc. Apostolicae potestatis plenitudine in Civitate Dubuquensi in Territorio Visconsin novam Episcopalem Sedem erigimus atque instituimus, cui ejusdem Territorii Occidentalis partem, quod ultra flumen Mississipi, citra flumen Missouri jacet, subjicimus, quam quidem Territorii partem

ab jurisdictione Episcopi S. Ludovici omnino subtractam in proprium ac peculiarem Episcopatum erigimus, atque in commemorata Civitate proprium Episcopum constituimus. Ipsi autem Episcopo ab hac Sede adlegendo omnes, et singulas facultates solitas eadem auctoritate Nostra concedimus, atque impertimur. Haec volumus, atque decernimus derogantes iis, quae Apostolicis litteris diei XVIII. Junii 1834. incipientibus = Benedictus Deus = praescripta sunt de jurisdictione in Provinciam Mississipiensem Episcopo Novae Aureliae tribuenda; ac decernentes has praesentes litteras etc. attentari, non obstante etc. et quoties opus fuerit fel. rec. Benedicti XIV. Praedecessoris Nostri super divisione materiarum aliisque Constitutionibus etc. quibuscumque.

Datum Romae apud S. M. M. sub annulo Piscatoris die 28. Julii 1837. Pontificatus Nostri anno septimo.

Pro Domino Card. De Gregorio

A. Picchioni Substitutus.

Nashvillensem Episcopatum erigit in Comitatu Davidsoniensi in America Septentrionali.

G R E G O R I U S P A P A X V I.

Ad perpetuam rei memoriam.

U niversi Dominici Gregis salus Nobis Divinitus concredita postulat atque efflagitat, ut summo studio, et vigilantia ea omnia peragenda curemus quae ad Catholicae Religionis bonum et Christifidelium utilitatem pertinere posse cognoscimus. Itaque cum Venerabiles Fratres Archiepiscopus Balimoren., atque Episcopi Dioecesium confaederatarum Americae Septentrionalis Provinciarum in Synodo Provinciali mense Aprili hujus vertentis anni 1837. habita, congregati, ad Nos supplicem miserint libellum, quo affirmabatur utile Religioni, et animarum saluti esse futurum si in Provincia Tennessensi nova Sedes Episcopalis in Civitate Nashville in Comitatu Davidsoniensi, quae Civitas valde populosa est, erigatur, cui tota Provincia Tennessensis quae hactenus Episcopo Bardensi suberat, subjiciatur, Nos de VV. FF. etc. in Civitate Nashville in Comitatu Davidsoniensi novam Episcopalem Sedem erigimus, et constituimus, cui totam Provinciam Tennessensem subjicimus, quam Provinciam ab jurisdictione Episcopi Bardensis omnino subtractam in proprium ac peculiarem Episcopatum erigimus, atque in commemorata Civitate et Dioecesi proprium Episcopum pariter constituimus. Ipsi autem Episcopo ab hac Sede adlegendo omnes, et singulas facultates solitas eadem auctoritate Nostra concedimus, atque imperti-

mur. Haec volumus, atque decernimus derogantes iis, quae Apostolicis litteris diei 18. Junii 1834. incipientibus = Benedictus Deus = praescripta sunt de jurisdictione in Provinciam Mississipiensem Episcopo Novae Aureliae tribuenda, ac decernimus has praesentes litteras etc. attentari, non obstante etc. et quoties opus fuerit fel. rec. Benedicti XIV. Praedecessoris Nostri super divisione materiarum aliisque Constitutionibus etc. quibuscumque.

Datum Romae apud S. M. M. sub Annulo Piscatoris die 28. Julii 1837. Pontificatus Nostri anno septimo.

Pro Domino Cardinali De Gregorio

A. Picchioni Substitutus.

De Vicariatuum Apostolicorum in Indiis Orientalibus facta institutione, et de revocatis circa hoc ipsum Apostolicis aliis Constitutionibus multa declarat.

G R E G O R I U S P A P A X V I.

Ad perpetuam rei memoriam.

Multa praeclare Romani Pontifices Praedecessores Nostri, pro Apostolici muneris debito constituerunt, ut in vastissimis Orientalium Indiarum regionibus catholicae religionis incremento prospicerent. Cum enim ob summam earum regionum ab Apostolica Sede distantiam, ob itinerum longitudinem, locorumque difficultates, ardua valde esset tantae illius vineae Domini partis cultura, sollicitudinem suam impense Romani Pontifices demonstraverunt, ut quidquid pro diversa temporum ratione, religioni utile apud illas gentes futurum esse videretur, auctoritate sua sancirent, et studiose servandum esse juberent.

Omittimus illam curam commemorare ab Apostolica Sede nunquam neglectam, ut undique sacerdotes excitarentur ad sacri ministerii officia in iis regionibus obeunda; nihil de singulari dicimus adhibita a Praedecessoribus Nostri facilitate, ac benignitate; ut ad non retardandos iis in locis religionis catholicae progressus, innumera ferme concesserint, quibus passi sunt, cum iis gentibus remissius agi, quam ut canonum, et disciplinae severioris instituta requirebant. Eam tantum hic memorabimus grati animi significationem, quam pro dignitate sua, Romani Pontifices erga illos ostenderunt, quos constabat, opera sua religioni utiles, per ea loca fuisse.

Perspicuum hujus rei testimonium continet patronatus privilegium Fidelissimis Lusitaniae Regibus ab Apostolica Sede tributum, ut dioecesium nonnullarum in iis regionibus Episcopi, eorum nominatio-

ne eligerentur. Cum enim illorum Principum pietas, ac munificentia multum contulisset, ut in vastissimis illis regionibus Episcopatus nonnulli constitui possent, Praedecessores Nostri, grati animi testimonio eorum merita prosequi cupientes, largiti sunt ut earum dioecesium Episcopos Sedes Apostolica eligeret, quos idoneos illi nominassent. Hujus praeterea privilegii concessione, Apostolica Sedes prospexit, ut non diuturna esset sedium illarum Episcopatum vacatio, facilius Episcopos ea loca opportunos haberent, et praesulibus ipsis satis congrua praesto essent subsidia, quae eorundem dignitati convenirent. Factum est vero temporum vicissitudine, ut hoc, quod diu religioni utile in iis regionibus fuit, in eo statu manere non potuerit, quem Praedecessorum Nostrorum decreta, in adjunctis rerum longe diversis edita, servandum esse jusserant.

Pluries Nos, cum adhuc Consilio Christiano Nomini Propagando praessemus, perpendere rationum gravitatem debuimus, quae demonstrabant, regiones illas tam late patentes, quae permagnam vastissimae cis Gangem peninsulae partem constituunt, necessario requirere, ut Apostolica Sedes religioni in iis periclitanti succurreret, et ecclesiastici regiminis formam ea ratione moderaretur, quae obtinendae religionis incolumitati par esse posset. Notum Nobis erat, regiones illas dioecesium Cranganorensis, Coccinensis, et Meliaporensis seu S. Thomae limitibus comprehendi. Constabat vero Nobis, Praedecessores Nostros Fidelissimis Lusitaniae Regibus patronatum in illas Diaeceses, et Episcopos nominandi privilegium impertitos esse. Hoc enim continetur literis apostolicis fel. rec. Pauli IV. diei 4. Februarii anno 1557. quae incipiunt *Pro excellenti*, quibus dioecesim Coccinensem constituit; item Clementis VIII. diei 4. Augusti 1600. incipientibus *In supremo*, et Pauli V. diei 6. Februarii 1616. incipientibus *Alias postquam* de Cranganorensis Archiepiscopatus erectione; ac denique Apostolico decreto Pauli V. diei 9. Januarii 1606. quo Episcopatus Meliaporensis, seu S. Thomae constitutus est. Non omisimus vel ab eo tempore, ad bonum religionis promovendum illa omnia conari, quae temporum adjuncta patiebantur.

Postquam vero ad D. Petri cathedram licet immerentes eveci fuimus, multo frequentius, et omni gravitate praestantibus monumentis excitati sumus, ut religioni in permagno discrimine apud illas gentes versanti opem afferremus. Haec animo volventes, et Apostolicae sollicitudinis officia cogitantes, adducti idcirco sumus, ut literis apostolicis diei 18. Aprilis 1834. incipientibus *Latissimi terrarum tractus*, Vicarium Apostolicum a Sede Apostolica tantum dependentem constitueremus, qui populosam Calcuttae urbem, ejusque politicam praefecturam subjectam haberet. Quoniam vero reperti sunt, qui Vicarii Apostolici a Nobis instituti jurisdictioni resisterent, et Apostolicis No-

stris literis non obtemperandum esse contenderent, eo quod in illis, expressa mentione facta, derogatum non esset iis, quae Paulus V. die 9. Januarii 1606. de Episcopi Meliaporensis, seu S. Thomae jurisdictionis finibus decreverat, Nos alio Brevi Apostolico diei 4. Augusti 1835. cujus initium est *Commissi Nobis*, omnem hunc dissidii praetextum rejecimus, et plura declaravimus, quae ad stabilius firmandam Vicarii Apostolici Bengalensis auctoritatem poterant pertinere. Eadem de causa factum est, ut alium Vicarium Apostolicum Madraspatani, literis diei 25. Aprilis 1834. incipientibus *Ex debito Pustoralis* instituendum esse duxerimus. Haec quoque ratio fuit cur die 23. Decembris 1836. aliud Breve Apostolicum incipiens *Ex munere pastoralis* ediderimus, quo vastissimam insulam Ceylan Vicario Apostolico a Nobis instituto gubernandam commisimus. Hac denique ratione factum est, ut prospicere cupientes religionis necessitati apud illas gentes, quae peninsulae partem incolunt, quae ad Orientem montium Gates vergit, et a flumine Chovery ad promontorium usque Comorinum tenditur, universum illum regionum tractum, qui regna Madurae, Tanjorii, Moravae, et Misorii comprehendit, per nostram Congregationem de Propaganda Fide die 3. Junii 1837. Ven. Fratris Clementis Episcopi Drusiparensis, in Ora Coromandelica Vicarii Apostolici, provisorie ratione, et quoad aliter a S. Sede decretum fuerit, curae et jurisdictioni commiserimus.

Intelligimus per haec, quae hactenus a Nobis de ea Indiarum regione statuta sunt, in permagna peninsulae parte religionis utilitati consultum esse. Sed praeter illa loca, quae Vicariis Apostolicis gubernanda tradita fuerunt, non parvae adhuc supersunt ibi regiones, quarum bono spirituali prospicere tenemur, quaeque inter fines Dioecesium Granganorensis, Coccinensis, et Meliaporensis, vel S. Thomae positae sunt. Scimus, disciplinam ecclesiasticam, populi mores, fidem catholicam, iis in locis, quae jamdiu pastore carent, magnum detrimentum accepisse, notumque Nobis est, praetextu defendendi, ac conservandi jura Dioecesium illarum, plures abuti, ut Vicariis Apostolicis, quos Sedes Apostolica constituit, resistant, eorum auctoritatem oppugnent, et schisma perniciosum excitare conentur. Plane scimus, Nos, ex officio, quod Deus Nobis in D. Petri successione commisit, omnino teneri, ut Ecclesiae curam in dissita etiam qualibet orbis parte geramus, eaque decernamus, quae ad religionem ubique juvandam conducere posse videmus.

Communicato igitur consilio de tam gravi re cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Prepagandae Fidei praepositis, eorundem sententia probata, ac matura totius negotii consideratione a Nobis instituta, Apostolicae potestatis plenitudine, haec decernenda esse judicavimus.

Videlicet, provisoria ratione, et quoad Sedes Apostolica nihil aliud novi statuerit, decernimus, regiones eas omnes, quae Dioecesis Meliaporensis, seu S. Thomae limitibus continentur, quaeque hactenus nulli Vicario Apostolico commissae sunt, Vicariatus Apostolico Madraspatano uniendas esse, et jurisdictionem, atque auctoritatem totam ecclesiasticam, et spiritualem in eas regiones, ad Ven. Fr. Danielem Episcopum Salditanum, Vicarium Apostolicum Madraspatani, ejusque successores pertinere. De regionibus vero, quae limitibus dioecesis Cranganorensis, et Coccinensis continentur, et quae nulli Vicario Apostolico hactenus traditae sunt, eadem ratione jubemus, illas Vicariatus Apostolico in Malabarica regione instituto, cujus sedes in oppido Verapoli est, uniri debere, et jurisdictionem, atque auctoritatem totam ecclesiasticam, ac spiritualem in eas regiones ad Ven. Fr. Franciscum Xaverium Episcopum Amathensem, Vicarium Apostolicum Verapoli commorantem, ejusque successores spectare. Atque ut Malacensis quoque regio trans Gangem, Apostolicae Nostrae sollicitudinis fructus accipiat, et Religionis incolumitati aequo incremento in ea regione consulamus, universam regionem illam Ven. Fr. Friderici Cao Episcopi Zamensis, Vicarii Apostolici Avani, et Peguensis jurisdictioni, eadem provisoria ratione subjicimus.

Declaramus, in earum regionum ecclesiastico, ac spirituali regimine, Vicarios Apostolicos memoratos, a Nobis, et ab Apostolica tantum Sede immediate dependere, eos solos tamquam veros regionum illarum ordinarios ab omnibus habendos esse, eisque omnes obtemperare debere, et ab illis ecclesiasticam jurisdictionem, ac facultates accipere. Derogamus propterea literis Apostolicis superius recensitis Praedecessorum Nostrorum de Dioecesium Cranganorensis, Coccinensis, et Meliaporensis, seu S. Thomae erectione, atque limitibus, itemque illis a Paulo IV. editis die 4. Februarii 1557. incipientibus *Pro excellenti*, de Episcopatus Malacensis erectione, et praeterea derogamus etiam literis Apostolicis fel. rec. Praedecessoris Nostri Pauli IV. diei 4. Februarii 1557. incipientibus *Etsi Sancta*, de Archiepiscopatus Goani erectione, ita, ut nullam jurisdictionem, quocumque titulo, etiam speciali mentione digno, in regionibus, de quibus agitur, Archiepiscopus Goanus in posterum possit exercere.

His ista ratione statutis, videmur omnino Nobis, religionis opportuno regimini per eas regiones prospexisse, ac certo speramus futurum, ut, Deo Optimo Maximo consilium a Nobis initum benedicente, haec ad Ecclesiae incrementum magnopere conferant: confidimus etiam fore, ut decretis Nostris omnes ea obtemperent observantia, quae dignitati Nostrae debetur, cui in D. Petro, pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam a Deo potestas tradita est. Non dubitamus denique, eos, qui hactenus voluntati Nostrae restiterunt,

suscepturos esse saniora consilia , et a gravissimo schismatis malo , alienos ex animo esse futuros.

Praeter illud enim catholici cujuslibet proprium officium, ut D. Petro per os nostrum loquenti obtemperare teneatur, persuasum habemus, eos intellexisse , quae ad dissidii sui defensionem attulerunt , ipsorum repugnantiam excusare nulla ratione posse. Omnibus enim cognitum est , Apostolicam Sedem in patronatu illo Fidelissimis Lusitaniae Regibus concedendo, nunquam voluisse impedimentum sibi ipsi inducere, quominus religioni in regionibus illis provideret , et non posset ea statuere , quae pro temporum necessitate , populi christiani salus fuisset postulatura.

Putamus , eos quoque videre , quantopere diversis temporibus , et a praesenti rerum statu distinctis , privilegium illud concessum , servatumque fuerit: existimamus illos etiam sentire , regiones eas, ad quarum bonum procurandum mentem Nostram convertimus, non amplius veteri politico regimini subesse , quo Lusitanis Regibus facile erat in iis regionibus patronatum exercere, sed illas in potentissimi Regis ditionem devenisse , cujus gubernii forma, atque instituta, hoc minime passura esse , Nobis exploratum est.

Recordamur tandem , Romanos Pontifices Praedecessores Nostros, non obstante patronatus concessione ; ex Dioecibus eo privilegio comprehensis , provincias separandas aliquando , et Vicariatus Apostolicos provincias illas complectentes, constituendos esse pro religionis utilitate jure decrevisse : quare confidimus , eos , qui dissidere hactenus non dubitarunt , facile perspecturos , cavendum sibi esse , ne decreti Nostris in praesenti rerum conditione latis , patronatus praetextu repugnantes , aperte ostendant , se dissidii sui nullam , nisi inobedientis animi rationem afferre posse. Decernentes has praesentes literas firmas, validas , et efficaces existere , et fore , suosque plenarios , et integros effectus sortiri , et obtinere , ac iis , ad quos spectat et apectabit, hoc, futurisque temporibus plenissime suffragari. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 24 Aprilis 1838. Pontificatus Nostri anno octavo.

E. Card. De Gregorio.

*Restituit, ac denuo erigit Vicariatum Apostolicum
in Provincia Hu-quang.*

GREGORIUS PAPA XVI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex debito pastoralis officii superna Dei providentia humeris Nostris impositi, non leve sane totius Gregis Dominici onus ferentes, illius praecipue ovibus, quae regiones a Sede hac Apostolica, ubi Catholicae centrum est unitatis, longe dissitas incolunt, majori consulendum sedulitate censemus, ut in adventu Pastoris aeterni repertae, sicut oportet, per Apostolicam curam intra verum ovile, ad pascua caelestia possint vocari, feliciterque perducii. Hinc quum a Venerabili Fratre Joachimo Salvetti Episcopo Eariensi, et Vicario Apostolico Xansi, et Xensi in Sinis una cum ejus Coadjutore Venerabile Fratre Episcopo Cardicensi declaratum fuerit, se pastorali muneri exequendo in tot tantisque, ac tam amplis sibi creditis regionibus impares esse, ita ut commissam sibi ab an. 1762. latissimae alterius Provinciae, olim Vicariatibus Apostolicis Hu-quang administrationem gerere, ut par est, ac retinere diutius non possint, eamque dimittere postulaverint, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio utriusque sacrorum Antistitis votis annuentes censuimus atque decrevimus, ut memorata Provincia Hu-quang, cessante administratione Xansiensis Antistitis, in distinctum ut antea Vicariatibus Apostolicis erigatur ac restituatur, eique novus eligendus Episcopus Vicarius Apostolicus praeficiatur. Motu igitur proprio, atque ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum litterarum vi praecipimus atque jubemus, ut Xansiensis Antistes Provinciam Hu-quang administrare omnino desinat, eamque in distinctum Vicariatibus Apostolicis restituimus, vel denuo erigimus. Vicario autem Apostolico huic Provinciae ab hac S. Sede eligendo, ac praeficiendo omnes, et singulas facultates hujusmodi Vicariis Apostolicis concedi solitas dicta auctoritate Nostra concedimus, et impertimur. Haec statuimus, atque decrevimus etc. Non obstan. etc. contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. M. M. sub Annulo Piscatoris die 14. Augusti 1838. Pontificatus Nostri anno octavo.

E. Card. De Gregorio.

*Vicariatus Apostolicos in Provinciis Iche-Kiang
et Kiangs erigit.*

G R E G O R I U S P A P A X V I .

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex debito pastoralis officii superna Dei providentia humeris Nostris impositi non leve sane totius Gregis Domini onus ferentes, illis praecipue ovibus, quae regiones a Sede hac Apostolica, ubi Catholicae centrum est unitatis, longe dissitas incolunt, majore consulendum sedulitate censemus, ut in adventu Pastoris aeterni repertae, sicut oportet, per Apostolicam curam intra verum ovile ad pascua coelestia possint vocari, feliciterque perducii. Hinc quum Venerabilis Frater Rochus Josephus Carpena Episcopus Tebastianus, et Vicarius Apostolicus Fo-kiensis in Sinis notum fecerit, se tot ac tantis amplissimi sui Vicariatus distentum, ac distractum curis, commissam jam ab anno MDCCLVIII. Provinciarum Iche-Kiang, et Kiangsi administrationem, ut par esset, gerere diutius non posse, ac propterea sponte emissa ejusdem administrationis renunciatione enixe postulaverit, ut ab hac Apostolica Sede spirituali memoratarum Provinciarum regimini aliter prospiciatur, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, Fo-Kiensis Praesulis votis annuentes statuimus ex duabus antedictis Provinciis distinctum Vicariatum Apostolicum constituere, eique novum eligendum Vicarium Apostolicum praeficere. Motu igitur proprio, atque ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum litterarum vi tam in Provincia Iche-Kiang, quam in alia Kiangsi Vicariatum Apostolicum inter se distinctum erigimus, itemque praecipimus, ut Vicarius Apostolicus in utraque Provincia ab hac S. Sede adlegendus omnibus, et singulis polleat facultatibus, quae Vicariis Apostolicis in hujusmodi regionibus concedi solent. Haec statuimus, atque decernimus etc. contigerit attentari. Non obstan. etc. contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. M. M. sub Annulo Piscatoris die 14. Augusti 1838. Pontificatus Nostri anno octavo.

E. Card. De Gregorio.

Vicariatum Apostolicum erigit in Provincia Leao-tung.

G R E G O R I U S P A P A X V I .

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex debito pastoralis officii superna Dei providentia humeris Nostris impositi, non leve sane totius Gregis Dominici onus ferentes, illis praecipue ovibus, quae regiones a Sede hac Apostolica, ubi Catholicae centrum est unitatis, longe dissitas incolunt, majore consulendum sedulitate censemus, ut in adventu Pastoris aeterni repertae, sicut oportet, per Apostolicam curam intra verum ovile ad pascua caelestia possint vocari, feliciterque perducii. Hinc quum Nobis relatum fuerit, in quibusdam regionibus Imperii Sinarum Pekinensi Diaecesi subjectis, in amplissima praesertim Provincia Leao-tung nuncupata in Tartaria, rem christianam permagno in discrimine jamdiu versari, ac majus in dies imminere periculum, ne sublatis omnino Religionis adjumentis evangelicum semen ibi penitus depereat, neque Venerabilem Fratrem Pekinensem Antistitem hisce temporum adjunctis earumdem regionum curam, ut par est, gerere posse, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, peculiari, et provisorio aliqua ratione Religionis utilitati, et Catholicae Fidei incolumitati in praedictis Regionibus, pro Nostro munere, et universali animarum sollicitudine consulendum esse censuimus. Quare omnibus mature perpensis, motu proprio, atque ex certa scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine Constitutioni fel. rec. Innocentii XII. Praedecessoris Nostri diei 15. Octobris anni 1696. = E Sublimi = derogantes, qua limites Pekinensis Diaecesis traditi fuerant, memoratam Provinciam Leao-tung a Diaecesi Pekinensi distrahimus, vel dismembramus; itemque facultates delegatas in Episcopo Pekinensi anni 1702., quoad Tartariam, cessatas omnino esse declaramus. Eandem vero Provinciam Leao-tung in Vicariatum Apostolicum eadem auctoritate Nostra erigimus ab Episcopo Vicario Apostolico ab hac S. Sede eligendo, et deputando, et ab ipsa immediate dependente gubernandum cum omnibus, et singulis facultatibus, quae ceteris Vicariis Apostolicis in Sinis a Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris concessae fuerunt, addita insuper eidem Vicario Apostolico jurisdictione in eas omnes Tartariae, seu Mongoliae, et Manchuriae regiones, quae Pekinensi Episcopo huc usque subjectae, et nunc ab ejus auctoritate exemptae, nulli hactenus Vicario Apostolico traditae fuerant. Haec statuimus, atque decernimus etc. contigerit attentari. Non obstan. etc. contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. M. M. sub Annulo Piscatoris die 14. Augusti 1838. Pontificatus Nostri anno octavo.

E. Card. De Gregorio.

*Isaiam Jacobi Archiepiscopum Hadirbegan Coadjutorem
cum futura successione constituit Patriarchae
Babylonensis Chaldaeorum.*

Venerabili Fratri Nicolao Isaiæ Jacobi Archiepiscopo
Hadirbegan ritus Chaldaici.

G R E G O R I U S P A P A X V I .

Ven. Frater Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Cum Venerabilis Frater Joannes de Hormez Patriarcha Babylonensis Nationis Chaldaeorum ob ingravescentem aetatem aegre admodum valeat suo muneri satisfacere, Nos recto illius Nationis regimini consulere summopere cupientes, Coadjutorem cum jure successionis designandum censuimus, ut potissimum vitari queant incommoda, et damna, quae Patriarchali ea sede vacante contingere possent. Itaque de VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, ejusmodi munus Tibi Venerabilis Frater committendum existimavimus, qui singulari pietate, doctrina, prudentia, religione, ac rerum gerendarum peritia, aliisque egregiis animi, ingeniique dotibus praestas. Quamobrem peculiari Te beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis, quovis modo, vel quavis de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolvere, et absolutum fore censentes, Te Venerabilis Frater, qui in praesentia Archiepiscopus Hadirbegan ritus Chaldaici existis, hisce litteris auctoritate Nostra Apostolica in Coadjutorem commemorati Patriarchae Babylonensis Nationis Chaldaeorum cum jure futurae successionis elegimus, constituimus, et deputamus, ita tamen ut ipso Joanne de Hormez vivente in exercitio, et administratione hujusmodi Patriarchatus nonnisi quantum, et quatenus idem Joannes ordinaverit, Te ingerere possis, ea vero, quae ipse hac in re Tibi mandaverit omnino praestare, et adimplere teneris. Si autem idem Joannes ab humanis decedat, aut forsitan, quod absit, jam decesserit, seu praedictus ejus Patriarchatus alio quocumque modo ex ipsius persona vacaverit, Te ejus loco Patriarcham Babylonensem Nationis Chaldaeorum dimisso Archiepiscopatu Hadirbegan ritus Chaldaici quo ad

praesens potiris, cum omnibus, et singulis facultatibus, quae praedicto Joanni ratione Patriarchatus hujusmodi ab hac Apostolica Sede hactenus quomodolibet concessae, et attributae sunt, nunc pro tunc auctoritate, et tenore praedictis facimus, et institimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium. Mandamus propterea in virtute Sanctae Obedientiae omnibus, et singulis ad quos spectat, ac spectabit in posterum, ut Te ad officium Coadjutoris, et tempore suo ad illud Patriarchatus Babylonensis Nationis Chaldaeorum, ejusque liberum exercitium juxta earundem praesentium tenorem excipiant, admittant, Tibique in omnibus quae ad hujusmodi pertinent officium praesto sint, atque obediant, tuaque salubria monita, et mandata reverenter suscipiant, atque efficaciter adimpleant, alioquin sententiam, seu poenam, quam rite tuleris in rebelles, seu statueris, ratam habebimus, et faciemus auctorante Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus Constitutionibus, et sanctionibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. M. M. sub annulo Piscatoris die 25. Septembris 1838. Pontificatus Nostri anno octavo.

E. Card. De Gregorio.

*Vicarium Apostolicum dignitate Episcopali insignitum
Gibraltariae constituit.*

Dilecto Filio Henrico Hugues Provinciali Ministro Ord. Min.
Observ. S. Francisci in Hibernia.

G R E G O R I U S P A P A X V I.

Dilecte Fili Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

De universi Dominici Gregis salute vehementer solliciti, nihil inausum, nihilque inexpertum relinquere debemus, ut spiritualium Christianifidelium bono pro viribus consulamus. Itaque cum in praesentibus rerum ac temporum adjunctis Nobis relatum fuerit Religionis Catholicae bono plurimum expedire posse si in Calpensi Civitate vulgo Gibraltar, cujus regimen ecclesiasticum simplici hactenus Presbytero Vicarii Apostolici titulum habenti commissum fuit, Vic. Apostolicus Episcopali dignitate insignitus constituatur, qui ampliori auctoritate in illa regione Ecclesiae negotia gerat, Nos de VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, Dilecto Filio Presbytero Joanne Baptista Zino munus ac titulum Vicarii Aposto-

lici Calpensis dimittente, hujusmodi officium tibi committendum censuimus quamplurimum in Domino confisi, ut pro singulari tua pietate, doctrina, prudentia, integritate, et catholicae religionis zelo, eodem munere cumulate sis perfuncturus. Quamobrem Te quem per similes Apostolicas litteras hoc ipse die datas Episcopum Heliopolitanum in partibus infidelium renuntiavimus, hisce litteris auctoritate Nostra Apostolica in Vicarium Apostolicum Calpensem ad Nostrum et hujus Apostolicae Sedis arbitrium eligimus constituimus et deputamus etc. salva semper in praemissis auctoritate Congregationis eorundem Cardd. Mandamus propterea etc.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 15. Martii 1839. Pontificatus Nostri anno nono.

Pro Domino Cardinali De Gregorio.

A. Picchioni Substitutus.

Visitoris Apostolici munus pro Patriarchatu Chaldaeorum committi Archiepiscopo Philippensi R. P. D. Villardell Delegato Apostolico Alepi.

Ven. Fratri Francisco Villardell Archiepiscopo Philippensi
Vicario Apostolico Alepi.

G R E G O R I U S P A P A X V I.

*Venerabilis Frater Salutem, et Apostolicam
Benedictionem.*

Quam ad ecclesiastica negotia Patriarchatus Babylonensis rite componenda necesse prorsus noverimus, ut magis accurata notitia praesentis illius Ecclesiae status habeatur, ac certo constet quibus modis recto spirituali Nationis regimini prospici possit, de VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio Visitatorem Apostolicum totius Patriarchatus Chaldaeorum eligendum statuimus, atque hujusmodi munus Tibi committendum censuimus. Quocirca peculiari Te benevolentia prosequi volentes etc. Te hisce litteris auctoritate Nostra Apostolica ad Nostrum, atque hujus Apostolicae Sedis arbitrium in Visitatorem Apostolicum totius Patriarchatus Chaldaeorum cum omnibus, et singulis facultatibus, juribus, et privilegiis, quae ejusmodi propria sunt officii, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium eligimus, constituimus, et deputamus. Mandamus propterea etc. ceterisque contrariis quibuscumque.

175

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 28. Maii
1839. Pontificatus Nostri anno nono.

Pro Domino Card. De Gregorio

A. Picchioni Substitutus.

Vicariatum Apostolicum erigit in Aegypto et Arabia.

G R E G O R I U S P A P A X V I.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex munere pastoralis ministerii suprema Dei providentia Nobis impositi non leve sane totius Dominici gregis onus ferentes, illis potissimum ovibus, quae regiones ab hac Apostolica Sede longe dissitas incolunt majori studio, ac sedulitate consulendum censemus, ut in adventu Pastoris aeterni repertae, sicut oportet, per Apostolicam curam intra verum ovile, ad pascua caelestia vocari possint, faciliterque perducantur. Hinc quum fovendo Religionis studio in Catholicis fidelibus qui ad Aegyptum quotidie majori numero profluunt, atque in ea finitimisque Regionibus fidei catholicae propagandae valde expedire visum fuerit novum iis in locis Vicarium Apostolicum Latini ritus Episcopali dignitate insignitum, de VV. FF. NN. S. R. E. Card. negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, censuimus, atque decrevimus praevia dismembratione Missionis inferioris Aegypti a custodia Terrae Sanctae, et Missionis Superioris Aegypti, atque Arabiae, a Vicariatu Apostolico Alepii, peculiarem ex universa illa regione Vicariatum Apostolicum esse erigendum, qui juxta instructiones a commemorata Congregatione tradendas erit administrandus. Motu igitur proprio, certa scientia et matura deliberatione, deque Apostolicae potestatis plenitudine harum litterarum vi, Missionem inferioris Aegypti a custodia Terrae Sanctae, ac Missionem Superioris Aegypti, et Arabiae a Vicariatu Apostolico Alepii subtrahentes, peculiarem in illis regionibus Vicariatum Apostolicum Latini Ritus erigimus, atque ibi Vicarium Apostolicum Episcopali dignitate insignitum constituimus. Ipsi autem Vicario ab hac Apostolica Sede eligendo omnes, et singulas facultates hujusmodi Vicariis Apostolicis concedi solitas eadem auctoritate Nostra concedimus, atque impertimur. Haec statuimus etc.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 18. Maii
1839. Pontificatus Nostri anno nono.

Pro Domino Cardinali De Gregorio

A. Picchioni Substitutus.

Nuntium Apostolicum in Helvetia, Visitatorem Apostolicum designat Missionum Rhetiae, Mesoleinae, et Calancae.

Venerabili Fratri Paschali Gizzi Archiepiscopo Tebano
Nuntio Apostolico in Helvetia.

G R E G O R I U S P A P A X V I .

Ven. Frater Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Pastorale munus etc. Itaque cum ad jurgia sedanda, ac negotia componenda in Missionibus, quas tum in Rhetia, cum in Mesolcinae, Calacinaeque Vallibus obtinent Fratres Minores Ordinis S. Francisci vulgo *Cappuccini* necesse prorsus existimaverimus Apostolicum Visitatorem per ea loca statuere, Nos probe noscentes egregias tui animi ingenique dotes, atque eximiam tuam integritatem, doctrinam, prudentiam, et rerum gerendarum peritiam, gravissimum hujusmodi munus de VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium etc. Tibi committendum censuimus. Quo circa Te etc. hujus Apostolicae Sedis arbitrium Visitatorem Apostolicum in Missionibus, quas tum in Rhetia, cum in Mesolcinae, Calacinaeque Vallibus obtinent Fratres Minores Ordinis S. Francisci vulgo *Cappuccini* eligimus, statuimus, et deputamus etc. Mandamus etc.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 14. Junii 1839. Pontificatus Nostri anno nono.

E. Card. De Gregorio.

Plura constituit ad succurrendum Religioni in Tunquino Orientali ab Infidelibus vexatae.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Manilen., ac Dilecto Filio Provinciali Ord. Praedicatorum Provinciae SS^mi Rosarii in Insulis Philippinis.

G R E G O R I U S P A P A X V I .

Ven. Frater Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Cum Nobis innotuerit in Tunquino Orientali ad Sinas immani contra Fideles fervente Ethnicorum persecutione, probatissimos duos Antistites Ignatium Delgado Episcopum Mellipotamensem Vicarium

Apostolicum, et Dominicum Henares Episcopum Fosseitensem illius Coadjutorem in praeclara Fidei confessione uba cum aliis evangelicis Operariis occubuisse: ideoque Vicariatum illum pastorali regimine, ac solatio destitutum remansisse, re mature perpensa, de consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum statuimus viduati gregis incolumitati pro viribus, et quam citissime consulere. Quapropter de eorundem Cardinalium consilio, auctoritate Nostra Apostolica per hasce litteras, Vobis, Venerabilis Frater, ac Dilecte Fili, quibus Vicariatus Tunquini orientalis ad Sinas administratio concedita est, committimus, et mandamus, ut collatis consiliis ex illa regulari familia quosdam alios ad munus evangelicū in Tunquino exercendum idoneos viros adlegatis, atque mittatis, et inter digniores alterum in Apostolicum Vicarium, alterum in Coadjutorem cum jure futurae successionis designetis, ac statuat; quod si uterque vestrum quavis de causa praepeditus rem peragere nequeat, alterutri ex vobis totum negotium committendum, et in Domino commendandum esse volumus. Itaque Vicario Apostolico sic adlecto singulas quasque facultates Vicariis Apostolicis in regionibus Sinarum, vel Sinis adjacentibus concedi solitas dicta auctoritate Nostra concedimus, et impertimur; a Coadjutore vero, ut praefertur, aequae adlecto ea tantum quae Vicarius Apostolicus illi demandabit omnino praestari teneatur, et quum hujusmodi manus quomodolibet vacaverit, eundem Coadjutorem auctoritate Nostra renunciatum illius loco Vicarium Apostolicum in Tunquino Orientali cum omnibus, et singulis facultatibus, quae illi ratione hujus officii a Sede hac Apostolica hactenus quomodolibet concessae sunt jam nunc auctoritate, et tenore praesentis facimus, et constituimus, salva semper in praemissis tum pro Vicario Apostolico, tum pro ejus Coadjutore Cardinalium ejusdem Congregationis auctoritate. Praeterea, ut uterque character, ac titulo Episcopali sit insignitus, alterum, scilicet Vicarium Apostolicum, in Ecclesiae Miletopolitan., quae sub Archiepiscopo Cyziano, alterum, seu Coadjutorem, in Ecclesiae Ruspens. Episcopum, quae sub Archiepiscopo Carthagenens. in partibus infidelium posita, per obitum eorum Episcoporum vacant, eadem auctoritate Nostra Apostolica eligimus, et declaramus, iisque ut ad Ecclesias praedictas, quamdiu ab infidelibus detineantur, accedere, et apud eas personaliter residere minime teneantur, dicta auctoritate Nostra concedimus, et indulgemus. Cuicumque autem Catholico Antistiti gratiam, et communionem cum hac Apostolica Sede habente, postquam ab illis professionem Catholicae Fidei juxta articulos a Sede Nostra propositos, ac Nostro, et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae solitum juramentum acceperit, munus Consecrationis auctoritate Nostra Apostolica illis impendere libere, et licite valeat, accitis adstantibusque duobus

loco Episcoporum Presbyteris Saecularibus, seu cujusvis Ordinis, Congregationis, et Instituti Regularibus, praedictae hujus Sedis gratiam, et communionem pariter habentibus, dicta auctoritate plenam, et liberam tribuimus facultatem. Volumus tamen, eademque auctoritate praecipimus, atque decernimus, ut nisi emissis a recens adlectis in ejus manibus juramento, et professione Fidei hujusmodi, ipse, ut praefertur, Episcopus Consecrationis munus illis impendere, ac recens adlecti illud suscipere praesumpserint, idem Antistes a Pontificalis officii exercitio, utriusque vero a regimine, et administratione earum Ecclesiarum suspensi sint eo ipso. Mandamus propterea in virtute sanctae obedientiae omnibus, et singulis ad quos spectat, ac spectabit pro tempore, ut Vicarium Apostolicum, et Coadjutorem ut supra a vobis adlectos ad liberum ejusdem muneris exercitium juxta praesentium tenorem recipiant, et admittant, et eorum unicuique in omnibus, quae ad hoc munus pertinent, praesto sint, atque obediant, ipsorumque salubria monita, et mandata reverenter suscipiant, et efficaciter adimpleant, alioquin sententiam, sive poenam, quam rite tulerint in rebelles, seu statuerint, ratam habebimus, et faciemus, auctorante Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari; non obstant. constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis; privilegiis quoque, indultis, et Litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis, quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentis ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. M. M. sub Annulo Piscatoris die 2. Augusti 1839. Pontificatus Nostri anno nono.

E. Card. De Gregorio.

Ob gravissima in Tunquino Occidentali ferventem persecutionem, Moderatoribus Seminarii Parisiensis Missionum ad externos committit ut ex alumnis suis aliquem Coadjutorem Vicarii Apostolici eligunt.

Dilectis Filiis Moderatoribus Seminarii Parisiensis Missionum
ad externos.

G R E G O R I U S P A P A X V I.

Dilecti Filii Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Cum per obitum Josephi Mariae Havard Episcopi Castoriensis, et

Vicarii Apostolici in Tunquino Occidentali ad Sinas Venerabilis Frater Clemens Macon Episcopus Acanthensis illius Coadjutor per similes Apostolicas litteras jam constitutus in Vicariatus manere eidem successerit, ut ipsi Antistiti Clementi adjutor, et levamen afferretur, nec non Pastorum in eo Vicariatui perennitati consuleretur, attentis praecipue regionum illarum circumstantiis, distantia, ac persecutionis ferventis periculis, de consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum opportunum existimavimus illi Coadjutorem designare cum jure futurae successionis, atque Episcopali characterе insignitum. Quapropter de eorundem Cardinalium consilio auctoritate Nostra Apostolica per hasce litteras Vobis dilectis Filiis Moderatoribus Seminarii Parisiensis Missionum ad externos, cui Vicariatus Apostolici in Tunquino Occidentali ad Sinas administratio tradita est, committimus, et mandamus, ut ex vestri Seminarii alumnis adlegatis quem Coadjutoris partibus sustinendis digniorem in Domino judicaveritis, ita tamen ut ab ipso sic adlecto ea tantum quae Vicarius Apostolicus illi demandabit omnino praestare teneatur, et quum hujusmodi munus quomodolibet vacaverit, eundem Coadjutorem auctoritate Nostra renunciatum illius loco Vicarium Apostolicam in Tunquino Occidentali cum omnibus, et singulis facultatibus, quae illi ratione hujus officii a Sede hac Apostolica hactenus quomodolibet concessae sunt jam nunc auctoritate, et tenore praesentis facimus, et constituimus, salva semper in praemissis Cardinalium ejusdem Congregationis auctoritate. Praeterea ut characterе, et titulo Episcopali insignitus Coadjuto suo operam daturus Tunquinum se conferat, eum in Episcopum Ecclesiae Emansen., quae sub Archiepiscopo Caesariensi consistit, ac nunc per obitum ultimi illius Episcopi vacat, eadem auctoritate Nostra Apostolica eligimus, ac declaramus, eique ut ad Ecclesiam praedictam quamdiu ab infidelibus detinebitur, accedere, et apud eam personaliter residere minime teneatur, dicta auctoritate Nostra concedimus, et indulgemus. Quicumque autem Catholico Antistiti gratiam, et communionem cum hac Apostolica Sede habente, postquam ab eo professionem Catholicae Fidei juxta articulos a Sede Nostra propositos, ac Nostro, et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae solitum juramentum acceperit, munus Consecrationis auctoritate Nostra Apostolica illi impendere libere, et licite valeant, accitis adstantibusque duobus loco Episcoporum Presbyteris Saecularibus, seu cujusvis Ordinis, Congregationis, et Instituti Regularibus praedictae hujus Sedis gratiam, et communionem pariter habentibus, dicta auctoritate plenam, et liberam tribuimus facultatem. Volumus tamen eademque auctoritate praecipimus, atque decernimus, ut nisi omisso a recens adlecto in ejus manibus juramento, et professione fidei hujusmodi, ipse, ut praefertur, Episcopus, consecrationis munus ei impen-

dere, ac recens adlectus illud suscipere praesumpserint, idem Antistes a Pontificalis officii exercitio, uterque vero a regimine, et administratione earum Ecclesiarum suspensi sint eo ipso. Mandamus propterea in virtute sanctae obedientiae omnibus, et singulis ad quos spectat, ac spectabit pro tempore, ut Goadjutorem ut supra a vobis adlectum, ad liberum ejusdem muneris exercitium juxta praesentiam tenorem accipiant, et admittant, illique in omnibus, quae ad hoc munus pertinent, praesto sint atque obediant, ejusque salubria monita, et mandata reverenter suscipiant, et efficaciter adimpleant, alioquin sententiam, sive poenam, quam rite tulerit in rebelles, seu statuerit, ratam habebimus, et faciemus, auctorante Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari, non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque, indultis, et litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis, quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam M. M. sub Annulo Piscatoris die 2. Augusti 1839. Pontificatus Nostri anno nono.

E. Card. De Gregorio.

Praefectum Apostolicum Missionum, et Collegiorum de Propaganda Fide in America Meridionali constituit Augustinum Fernandez de Corduba Archiepiscopum Attaliensem cui facultates tribuit Commissario Generali Indiarum concedi solitas.

Dilecto Filio Presbytero Augustino Fernandez de Corduba
Decano Ecclesiae Metropolitanae de Plata.

G R E G O R I U S P A P A X V I .

Dilecte Fili Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Universi Dominici Gregis salus Nobis ab ipso Pastore Principe, et Episcopo animarum Divinitus commissa postulat atque efflagitat, ut nihil unquam inausum, nihilque inexpertum relinquamus, quo summa cum contentione omnium Christifidelium bono, atque utilitati quibusque rebus consulamus. Hinc paterni animi Nostri sollicitudine spirituali eorum potissimum Christifidelium bono prospicere summopere studemus, qui in remotissimis ab hac Apostolica Sede Regionibus

morantur, ut omni ope, et opera ad aeternam, assequendam salutem joyentur, atque excitentur. Itaque cum ob mortem Andreae Herrero Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, quem Nos Praefectum Apostolicum Missionum, et Collegiorum Congregationis de Propaganda Fide in America Meridionali existentium statueramus, cuique omnes, et singulas facultates concesseramus, quas Romani Pontifices Praedecessores Nostri Commissario Generali Indiarum ejusdem Ordinis tribuendas existimarunt, commemoratae Missiones, et Collegia praecipuo suo Moderatore, seu superiore destituta remanserint, Nos vel maxime cupientes Christianam Religionem in iis Regionibus latius propagari, ac magis in dies, Domino benedicente, stabiliri, de Venerabilium FF. Nostrorum S. R. Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, hujusmodi munus Tibi committendum censuimus, ea profecto spe freti fore ut divina adspirante gratia, et tua pietate, doctrina, ac rerum gerendarum peritia, Catholica Religio incrementa suscipiat. Quamobrem Te, quem per similes Apostolicas literas hoc ipso die datas Archiepiscopum Attalien. renunciavimus, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, quovis modo, ac quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutam fore censentes, hisce litteris auctoritate Nostra Apostolica, ad Nostrum, et hujus Apostolicae Sedis arbitrium in Praefectum Apostolicum Missionum, et Collegiorum de Propaganda Fide, in America Meridionali existentium, eligimus, constituimus, et deputamus cum iisdem omnibus facultatibus, quas defuncto Andreae Herrero tribuimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Mandamus etc.

Datum Romae apud S. M. M. sub Annulo Piscatoris die 23. Julii 1839. Pont. Nostri anno nono.

E. Card. De Gregorio.

Erigit Vicariatum Apostolicum in Provincia Chan-tong.

G R E G O R I U S P A P A X V I.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex pastoralis ministerii munere superna Dei providentia humeris Nostris impositi, non leve sane totius Dominici gregis onus ferentes, illis praecipue ovibus, quae regiones a Sede hac Apostolica, ubi ca-

tholicae centrum est unitatis, longe dissitas incolunt, majori consulendum sedulitate censemus, ut in adventu Pastoris aeterni repertae, sicut oportet, per Apostolicam curam intra verum ovile ad pascua caelestia vocari valeant, feliciterque perducantur. Hinc quum Nobis innotuerit, in quibusdam regionibus Diaecesis Pekinensis Imperii Sinarum rem christianam permagno in discrimine versari, ac praesertim vita functo commemoratae Dioecesis Administratore Episcopo Nakinensi, majus in dies imminere periculum, ne sublatis religionis adjumentis evangelicum semen ibi penitus depereat, neque hisce temporum adjunctis per Vicarium Generalem, qui illam regit Ecclesiam omnibus amplissimisque sibi subjectis Provinciis, ut par esset, occurrere posse, de VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, peculiari et provisorio modo, constituto jam in Provincia Leotong nuncupata Apostolico Vicariatu per similes litteras diei 14. Augusti superioris anni, in altera quoque Provincia Chan-tong appellata religionis utilitati, et Catholicae Fidei incolumitati pro Nostro munere, et universali animarum sollicitudine consulendum esse censuimus. Quare omnibus mature perpensis, motu proprio, atque ex certa scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum litterarum vi eandem Provinciam Chan-tong a Dioecesi Pekinensi distrahimus; derogantes hac super re Constitutioni Innocentii XII. diei 15. Octobris an. 1696. quae incipit = *E sublimi* = qua Dioecesis ejusdem limites designantur, eamque Provinciam in Vicariatum Apostolicum erigimus ab Apostolico Vicario Episcopo a Nobis, et ab hac S. Sede eligendo, et deputando, et ab illa immediate dependente gubernandum cum omnibus, et singulis facultatibus, quae ceteris Vicariis Apostolicis in Sinis a Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris concessae fuere. Decernentes has praesentes litteras firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat et in posterum spectabit, in futurum plenissime suffragari, ac inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praedicta Innocentii XII. Constitutione, ac Nostra, et Cancellariae Apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus, et sanctionibus Apostolicis, ceterisque etiam speciali et expressa mentione, et derogatione dignis contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. M. M. sub Annulo Piscatoris die 3. Septemb. 1839. Pontificatus Nostri anno nono.

E. Card. De Gregorio.

*Vicarium Apostolicum Missionum Septentrionalium Inferioris
Germaniae Hamburgi residere debere constituit.*

G R E G O R I U S P A P A X V I .

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex pastoralis ministerii munere superna Dei providentia humeris Nostris impositi, non leve sane totius gregis Dominici onus ferentes, illis praecipue ovibus, quae regiones ab Catholica Ecclesia dissidentium erroribus infectas incolunt majori consulendum sedalitate censemus, ut in adventu Pastoris aeterni repertae, sicut oportet, per Apostolicam curam intra verum ovile, ad pascua caelestia vocari valeant, feliciterque perducantur. Hinc quum Nobis visum sit ad Missionum Germaniae Septentrionalium, et Daniae bonum majorem in modum conferre si Vicariatus Apostolicus pro iisdem Missionibus, qui huc usque Venerabili Fratri Episcopo Paderbonensi demandatus erat, alii ecclesiastico viro committeretur, qui praeter Vicariatus Apostolici sollicitudinem aliis curis praesertim peculiaris alterius Diaecesis minime distentus in id officii incumberet, ac praeterea cum prae ceteris Germaniae urbibus florentissima Hamburgi civitas pro nova Vicarii Apostolici Sede peropportuna reperta sit, idcirco hujusmodi Nostrum consilium ad exitum perducere constituimus. Motu igitur proprio, atque ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, habita jam Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium sententia, harum litterarum vi Vicarium Apostolicum pro Missionibus Germaniae Septentrionalibus, et Daniae ab Episcopo Paderbonensi distrahentes alii ecclesiastico viro ab hac S. Sede adlegendum omnino confidimus, ac demandamus, eique sic a Nobis adlecto omnes et singulas facultates ipsi Episcopo Paderbonensi uti Vicario Apostolico iis in regionibus jam concessas dicta auctoritate Nostra conferimus, et impertimur, itemque praecipimus ut in posterum in Hamburgi civitate resideat. Decernentes etc.

Datum Romae apud S. M. M. sub Annulo Piscatoris die 17. Septembris 1839. Pontificatus Nostri anno nono.

E. Card. De Gregorio.

Ecclesiam Bñae Virginis in Monte Carmelo Basilicam Minorem declarat. Ea Basilica deinde Filialis Capituli Lateranensis facta est.

G R E G O R I U S P A P A X V I .

Ad perpetuam rei memoriam.

In Apostolicae Sedis fastigio collocati illustrium praesertim Ecclesiarum honori, atque splendori libenter profecto prospicimus. Quum itaque in eo Carmeli Montis loco ubi ad evangelicam Apostolorum praedicationem viri plurimi Sanctorum prophetarum Eliae, et Elisaei vestigiis inhaerentes, et Baptistae praeconio ad Christi adventum comparati rerum veritate perspecta, susceptaque catholica fide omnium primi Sacellum Deiparae Virgini sacrum construxerunt, in praesentia nova erecta reperiatur Ecclesia curae commissa Ordinis Carmelitarum exalceatorum Congregationis Italiae, atque hodiernus Generalis Procurator Congregationis ipsius a Nobis efflagitaverit, ut Ecclesiam eandem Basilicae titulo, ac juribus decorare velimus, Nos, de VV. FF. NN. S. R. E. Card. sacris Ritibus praepositorum consilio, ejusdem Procuratoris, et Congregationis desideriis quam libentissime annuendum censuimus. Quamobrem omnes, et singulos, quibus hae litterae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte occurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hisce litteris auctoritate Nostra Apostolica commemoratam Ecclesiam in Basilicam Minorem cum omnibus, et singulis privilegiis, gratiis, praeminentiis, exemptionibus, et indultis, quibus aliae Ecclesiae Basilicae Minores hujusmodi quomodolibet utuntur, fruuntur, et gaudent, atque uti, frui, et gaudere possunt et poterunt, erigimus, ac talem hoc futurisque temporibus esse, et fore statuimus, eandemque Ecclesiam Basilicam nuncupari, et haberi volumus. Decernentes ipsas praesentes litteras firmas, validas, et efficaces existere, et fore, dictaeque Ecclesiae plenissime suffragari, atque ab omnibus ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, Sedis Apostolicae Nuncios, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere legatos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstan. quoties opus fuerit fel. rec. Benedicti XIV.

Praedecessoris Nostri super Div. Mat. aliisque Apostolicis, atque in universalibus, provincialibusque, et synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et ordinationibus, quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. M. M. sub annulo Piscatoris die 26. Novembris 1839. Pontificatus Nostri anno nono.

A. Card. Lambruschini.

*Ad Religionis bonum in Tunquino Occidentali procurandum
in gravissimae persecutionis discrimine, Vicarii
Apostolici electioni, et successioni prospicit.*

G R E G O R I U S P A P A X V I.

Ad perpetuam rei memoriam.

Apostolatus officium Nobis divinitus concreditum postulat, ut Christifidelium necessitatibus maxima vigilantia consulamus. Itaque cum magno paterni animi Nostri dolore noverimus in Apostolico Tunquini Occidentalis Vicariatu cruentam adhuc contra Christifideles, ac praesertim Operarios Evangelicos Ethnicorum persecutionem fervere, magnoque propterea in discrimine versari illorum Antistites nempe Vicarium, ejusque Coadjutorem, ac valde timendum, ne iis in manus persecutorum incidentibus, grex ille pastore suo diu orbatus remaneat, Nos de VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae praepositis facultatem memoratis Praesulibus dandam esse censuimus, ut altero eorum obeunte, superstes alter ex probatis Vicariatus Missionariis eum in Coadjutorem sibi adlegere, ac deputare valeat, quem in Domino digniorem judicaverit cum jure successionis, et caractere Episcopali, eodemque titulo Ecclesiae in partibus Infidelium quo defunctus Praesul praeditus fuerat. Quamobrem hisce litteris auctoritate Nostra Apostolica tam commemorato Vicario, quam illius Coadjutori necessarias atque opportunas facultates tribuimus, atque concedimus, ut cum alter eorum obeat, qui superstes ex ipsis fuerit, eum ex probatis Vicariatus Missionariis, quem digniorem, ac magis huic muneri idoneum in Domino existimaverit, sibi in Coadjutorem eligere possit, ita tamen ut Coadjutor ita electus nonnisi ea, quae hac in re illi ab electore demandata fuerint, omnino praestare teneatur, quando autem

munus hujusmodi quomodolibet vacaverit, Coadjutorem ut supra eligendum Vicarium Apostolicum Tunquini Occidentalis cum omnibus, et singulis facultatibus, quae ratione officii hujusmodi ab hac Apostolica Sede quomodolibet concessae sunt, ex nunc pro tunc auctoritate, et tenore praedictis facimus, et constituimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium. Praeterea ut idem Coadjutor ita eligendus caractere, et titulo Episcopali insignitus evadat, eidem electori facultatem facimus, qua eadem auctoritate Nostra Apostolica Coadjutorem eligendum illius Ecclesiae Episcopum eligat, atque declaret, quae in partibus Infidelium ex defuncti Praesulis morte vacaverit, illique ut ad Ecclesiam eandem, quamdiu ab Infidelibus detinebitur, accedere, et apud eam personaliter residere minime teneatur, dicta auctoritate Nostra concedat, indulgeat, atque ipsi electori vel alii Catholico Antistiti gratiam, et communionem cum hac Sede Apostolica habenti, ut unus ex ipsis eidem Coadjutori ut supra eligendo, ac postea in Episcopum renuntiando, postquam ab eo Professionem Catholicae fidei juxta articulos a Sede Nostra propositos, ac Nostro, et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae solitum juramentum receperit, munus Consecrationis auctoritate Nostra Apostolica impendere licite valeat, accitis, et in hoc ei assistentibus duobus, loco Episcoporum, Presbyteris saecularibus, seu cujuscumque Ordinis, Congregationis, et Instituti Regularibus praedictae hujus Sedis gratiam, et communionem habentibus, dicta auctoritate plenam, et liberam tribuimus facultatem. Volumus tamen eademque auctoritate praecipimus, atque decernimus, ut nisi receptis ab illo per ipsum Consecrantem juramento, et professione Fidei hujusmodi ipse consecrationis munus impendere, et Coadjutor dictum munus suscipere praesumpserint, Consecrator Episcopus a Pontificalis officii exercitio, et tam ipse, quam Coadjutor a regimine atque administratione Ecclesiarum suarum suspensi sint eo ipso. Mandamus propterea in virtute sanctae obedientiae omnibus, et singulis ad quos spectat, ac spectabit in tempore, ut hujusmodi Coadjutorem ita eligendum ad liberum ejusdem muneris exercitium juxta praesentium tenorem recipiant, admittant, illique in omnibus, quae ad officium hujusmodi pertinent, praesto sint, atque obediant, suaeque salubria monita, et mandata reverenter suscipiant, et efficaciter adimpleant, alioquin sententiam seu poenam, quam rite tulerit in rebelles, seu statuerit, ratam habebimus, et faciemus Deo auctorante usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis, quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad

praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. M. M. sub Annulo Piscatoris die 10. Decembris 1839. Pontificatus Nostri anno nono.

A. Card. Lambruschini.

Ob ferventem in Cochinchina contra Christianos vexationem, ea statuit, quae Vicarii Apostolici electioni et successioni provideant.

GREGORIUS PAPA XVI.

Ad futuram rei memoriam.

Apostolatus officium Nobis divinitus concreditum postulat ut Christifidelium necessitatibus maxima vigilantia consulamus. Itaque cum magno paterni animi Nostri dolore Nobis innotuerit in Apostolico Conchinchinae Vicariatu cruentam adhuc contra Christifideles, ac praecipue Operarios Evangelicos Ethnicorum persecutionem fervere, magnoque propterea in discrimine versari illorum Praesulem Venerabilem Fratrem Metellopolitanum Episcopum Vicarii Apostolici Coadjutorem, ac tum ob Vicarii ipsius absentiam, tum ob persecutorum insidias valde timendum, ne memorato Praesule in manus persecutorum incidente grex ille diu maneat pastore destitutus, Nos de VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, tam Vicario Apostolico, quam supradicto Coadjutori facultatem tribuendam censuimus, ut altero eorum obeunte, superstes alter ex probatis Vicariatus Missionariis eum in Coadjutorem sibi adlegere, ac deputare valeat, quem in Domino digniorem judicaverit, cum jure successionis, et characterem episcopali, eodemque titulo Ecclesiae in partibus infidelium, quo defunctus Praesul praeditus fuerat. Quamobrem hisce litteris, auctoritate nostra Apostolica, tam Apostolico Vicario, quam commemorato Coadjutori necessarias, atque opportunas facultates tribuimus, atque concedimus, ut cum alter eorum obeat, qui superstes ex ipsis fuerit, eum ex probatis Vicariatus Missionariis, quem digniorem, ac magis huic muneri idoneum in Domino existimaverit, sibi in Coadjutorem eligere possit, ita tamen ut Coadjutor ita electus non nisi ea, quae hac in re illi ab electore demandata fuerint, omnino praestare teneatur; quando autem munus hujusmodi quomodolibet vacaverit, Coadjutorem ut supra eligendum Vicarium Apostolicum Conchinchinae cum omnibus et singulis facultatibus, quae ratione officii hujusmodi ab hac Apostolica Sede quomodolibet concessae sunt, ex nunc pro-

tunc auctoritate, et tenore praedictis facimus, et constituimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium. Praeterea, ut idem Coadjutor ita eligendus characterem, et titulo Episcopali insignitus evadat, eidem electori facultatem facimus, qua eadem auctoritate Nostra Apostolica Coadjutorem eligendum illius Ecclesiae Episcopum eligat, atque declaret, quae in partibus infidelium ex defuncti Praesulis morte vacaverit, illique ut ad Ecclesiam eandem, quamdiu ab Infidelibus detinebitur, accedere, et apud eam personaliter residere minime teneatur dicta auctoritate Nostra concedat, indulgeat, atque ipsi electori vel alii Catholico Antistiti gratiam, et communionem cum hac Sede Apostolica habenti, ut unus ex ipsis eidem Coadjutori ut supra eligendo, ac postea in Episcopum renuntiando, postquam ab eo Professionem Catholicae Fidei juxta articulos a Sede Nostra propositos, ac Nostro, et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae solitum juramentum receperit, munus Consecrationis auctoritate Nostra Apostolica impendere licite valeat, accitis, et in hoc ei assistentibus, duobus loco Episcoporum Presbyteris saecularibus, seu cujuscumque Ordinis, Congregationis, et Instituti Regularibus praedictae hujus Sedis gratiam, et communionem habentibus dicta auctoritate plenam, et liberam tribuimus facultatem. Volumus tamen, eademque auctoritate praecipimus, atque decernimus, ut nisi receptis ab illo per ipsum Consecrantem juramento, et professione Fidei hujusmodi, ipse Consecrationis munus impendere, et Coadjutor dictum munus suscipere praesumpserint, Consecrator Episcopus a Pontificali officii exercitio, et tam ipse, quam Coadjutor a regimine atque administratione Ecclesiarum suarum suspensi sint eo ipso. Mandamus propterea in virtute sanctae obedientiae omnibus, et singulis ad quos spectat, ac spectabit in tempore, ut hujusmodi Coadjutorem ita eligendum ad liberum ejusdem muneris exercitium juxta praesentium tenorem recipiant, admittant, illique in omnibus, quae ad officium hujusmodi pertinent, praesto sint, atque obediant, suaque salubria monita, et mandata reverenter suscipiant, et efficaciter adimpleant, alioquin sententiam seu poenam, quam rite tulerit in rebelles, seu statuerit, ratam habebimus, et faciemus Deo auctorante usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis, quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus, pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. M. M. sub Annulo Piscatoris die 10. Decembris 1839. Pontificatus Nostri anno nono.

A. Card. Lambruschini.

Vicarium Apostolicum eligit pro Insula Mauriti, quae diu fuerat a Visitatore Apostolico gubernata.

Dilecto Filio Bernardo Collier Presbytero Congregationis Anglo-Benedictinae.

G R E G O R I U S P A P A X V I.

Dilecte Fili Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Pastorale officium Nobis ex alto commissum nihil Nos magis etc. Cum itaque ex gravissimis testimoniis acceperimus talem nunc esse catholicae Religionis statum in Insula Oceani Indici, quae Mauritia dicitur, ut Fides Catholica ibi in permagnum discrimen adducatur, nisi haec Apostolica Sedes opportunum et efficax remedium afferat, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, Te pietatis, doctrinae, morum integritatis, ac prudentiae laude praestantem, et rerum ad illam Insulam spectantium peritia praeditum in Vicarium Apostolicum commemoratae Insulae eligendum esse duximus quamplurimum in Domino confisi, quod ea quae Tibi committenda censuerimus cumulate sis expleturus. Quocirca Te, quem per similes Apostolicas litteras hoc ipso die editas Episcopum Milevitan. sub Archiepiscopo Carthagenen. designavimus in Vicarium Apostolicum ejusdem Insulae Oceani Indici, quae Mauritia dicitur, ad Nostrum, et Sedis Apostolicae beneplacitum hisce litteris auctoritate Nostra Apostolica eligimus, constituimus et deputamus cum omnibus, et singulis facultatibus, quae hujus propriae sunt muneris, salva tamen semper in praemissis ipsius Congregationis auctoritate. Mandamus etc.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 14. Februarii 1840. Pontificatus Nostri anno decimo.

A. Card. Lambruschini.

Gratulatur de Instituto Catholico in Anglia erecto.

Dilecto Filio Comiti Joanni de Shrewsbury Praesidi Instituti
Catholici Magnae Britanniae.

G R E G O R I U S P A P A X V I .

Dilecte Fili Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Quum amaritudine repleremur ob mala quotidie magis, magisque in Christi Ecclesiam ingruentia, ea sane, Dilecte Fili, laetitiae causa permoti sumus ut moerore illo quo conficiebamur non parum levati, abundantiore animo jucunditatem perceperimus. Accepimus enim Te, aliisque praeclaris, piisque viris curantibus Catholicum Institutum duobus ab hinc annis inductum in Anglia fuisse eo praesertim consilio ut Divinae Nostrae Fidei asseclae sarti tectique serventur; atque Immaculati Agni Sponsa ab heterodoxorum calumniis per libros in lucem editos vindicetur. Quae quidem cum in maximum cedant Anglorum emolumentum, facile perspicias, Dilecte Fili, cur eo inde Nos gaudio perfusi simus, Haeredes divinitus constituti; et nominis, et Cathedrae illius Magni, qui Britanniam primus idololatriae tenebris involutam, Catholicae Fidei face illustravit, scilicet in spem erigimur per jucundam, futurum ut Divinae lumen veritatis, eadem denuo qua olim claritate, Britannorum montibus affulgeat. Nihil porro vehementius exoptamus quam ut Anglorum Gentem, tot tantisque dotibus exornatam, paterna iterum exultatione complectamur, deperditasque jamdiu oves in electum Christi Gregem recipiamus. Quamobrem, Dilecte Fili, non possumus quin Te, universosque quorum Piae Societati praefectus es, vehementer excitemus ad fervidas Nobiscum preces misericordiarum Patri offerendas, ut caliginem illam teterrimam quae tot infeliciam in errore versantium adhuc occupat mentes, propitius depellat, filiosque Ecclesiae ab eadem longe aberrantes ad desertae Matris sinum clementer reducat. Interea tibi, tuisque omnibus ad Catholicum Institutum quomodocumque pertinentibus, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 19. Februarii 1840. Pontificatus Nostri anno decimo.

A. Card. Lambruschini.

*Vicarium Apostolicum Verapolitanum ad Archiepiscopalis tituli
in part. Sedem promovet , quia Syro-Catholici antea Archiepisco-
po Granganorensi subjecti id plurimum optabant.*

Venerabili Fratri Francisco Xaverio a S. Anna Episcopo
Amatensis Vicario Apostolico Provinciae Terrae
Malabaric.

G R E G O R I U S P A P A X V I .

*Venerabilis Frater Salutem , et Apostolicam
Benedictionem.*

Apostolatus officium , meritis etc. attentari etc. Cum igitur Tu Venerabilis Frater Nobis exponendum curaveris complura Siro-Catholicorum millia spirituali Tuae jurisdictioni nunc subiacere , qui antea temporibus Cranganorensi Archiepiscopo suberant , eosque magis , magisque in Catholicae Fidei unitate firmari , aliosque adhuc haeretica pravitate detentos ad Christi ovile posse perducere , si quod summopere exoptant , scilicet a Praesule Archiepiscopali titulo insignito , ut antea gubernari assequantur , Nos de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negociis Propagandae Fidei praepositorum consilio , Te ad Archiepiscopalem Sedem transferendum esse decrevimus. Et quoniam Ecclesia Archiepiscopalis Sardian., quae in partibus Infidelium existit , solatio pastoris fuerit destituta , Nos ad ejusdem Ecclesiae , de cujus vacatione relatus fide digni fecerunt Nos certiores , provisionem celerem , atque felicem , in qua nullus praeter Nos se potest intromittere , reservatione , et decreto obsisten. supra dictis , paterno , ac sollicito studio intendentes , post deliberationem , quam de praeficiendo eidem Ecclesiae personam utilem , et fructuosam cum iisdem Venerabilibus Fratribus , ad Te , qui nunc Episcopus Amatensis in partibus Infidelium existis , et hactenus summa cum laude Vicarii Apostolici munere Provinciae Terrae Malabarum es functus , quique in illis regionibus de Catholica religione optime meritus es , oculos mentis Nostrae direximus , quibus omnibus debita ratione perpensis , ac eandem Archiepiscopalem Ecclesiam Sardian. de persona Tua Nobis , et memoratis Cardinalibus ob Tuorum meritorum praestantiam accepta de eorum Venerabilium Fratrum sententia providere volentes , Teque a quibusvis excommunicationis , suspensionis , et interdicti , aliisque Ecclesiasticis censuris , sententiis et poenis quovis modo , et quacumque de causa latis , si quas forte incurristi , hujus tantum rei gratia absolventes , et absolutum fore censentes , hisce litteris auctoritate Nostra Apostolica Te ab Episcopatu Amatensi in partibus Infidelium in illam transferi-

mus, Teque dimisso titulo Episcopali Amatensi, Archiepiscopali Sardian. Ecclesiae pariter in partibus infidelium in Archiepiscopum praeficimus, atque pastorem, curam, regimen, et administrationem illius Tibi plenarie committendo in spiritualibus, et temporalibus, in illo, qui dat gratiam, et largitur dona confisi, quod dirigente Domino actus Tuos, praedicta Ecclesia Sardian. tua industria, et studio utiliter, et prospere dirigatur, grataque in spiritualibus, et temporalibus incrementa suscipiat. Jugum igitur etc.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 10. Aprilis 1840. Pontificatus Nostri anno decimo.

Pro Domino Cardinali Lambruschini

A. Picchioni Substitutus.

Nonnulla Diaecesium Leodiensis, et Namurcensis loca ex Diaecibus illis disjungit, et ex iis aliqua tribuit Luxemburgensi Vicariatu Apostolico, ex aliis vero Limburgensem Vicariatum Apostolicum constituit.

G R E G O R I U S P A P A X V I.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ubi universalis Ecclesiae procurationem Nobis divinitus demandatam intelleximus, nulli curarum ac laboris generi parcendum duximus, ut Christifidelibus totius salutis via muniri possit. Cui rei assequendae illuc etiam cogitationes Nostras convertimus, ut immutatis temporum ac locorum circumstantiis nova interdum Dioecesium circumscriptio fieret quoties Ecclesiae utilitas id ipsum postulare videbatur. Nuper itaque preces Nobis oblatae sunt, ut a Dioecibus Leodiensi, et Namurcensi in Regno Belgarum positae, eas magni Ducatus Luxemburgensis, et Provinciae Dimburgensis Civitates, Terras, et Oppida quae ex nuperrima conventionione a Belgarum Regno sejuncta, Serenissimi Belgii, vulgo *de'Paesi Bassi*, Regis, ac magni Luxemburgi, et Limburgi Ducis Ditioni et auctoritati restitutae sunt, divideremus, ac sejungeremus, eaque ab spirituali Leodiensis, et Namurcensis Episcoporum pro tempore existentium jurisdictione sic avulsa, ac subtracta regimini, ac potestati spirituali Vicariorum Apostolicorum in memorato Belgii Regno ac Luxemburgensi Ducatu existentium subjiceremus, atque supponeremus. Nos vero inspecta majori Christifidelium in locis disjungendis commorantium commoditate, ac utilitate, et probe instructi hodiernos Leodiensem et Namurcensem Antistites ejusmodi dismembrationi libenter jam praestitisse assensum, porrectis postulationibus

annuentes, ex certa scientia, ac etiam motu proprio, deque Apostolicae potestatis plenitudine mandamus perpetuum in modum a Dioecesi-
 bus Leodiensi, et Namurcensi eas magni Ducatus Luxemburgensis Ci-
 vitates, Terras, Oppida, Loca, Paraecias, quae in Serenissimi ut
 supra Belgii Regis ditione nunc existunt, vel ex nova Territorii de-
 scriptione inter Serenissimos Belgii, ac Belgarum Reges quamprimum
 explenda essent, sejungi, dividi, ac divelli, atque etiam inibi exi-
 stentes, et existantia Ecclesias, Monasteria, Beneficia tam saecularia,
 quam regularia, nec non Clerum, Populum, ac utriusque sexus
 personas, habitatores, et incolas tam laicos, quam clericos cujusque
 gradus, ordinis, et conditionis ab ordinaria jurisdictione, potestate,
 ac superioritate Episcoporum Leodiensis, et Namurcensis pro tempore
 existentium similiter eximi ac liberari. Hinc Civitates, Oppida, aliaque
 loca ut supra Provinciae Limburgensis a Dioecesi Leodiensi sic dis-
 membrata, et avulsa una cum Ecclesiis, Paraeciis, Monasteriis, Be-
 neficiis, Clero, Populo, aliisque personis inibi existentibus non tamen
 exemptis, nec non Paraecias, et alia loca Limburgensis ejusdem Pro-
 vinciae nempe de Horst, de Sittard, de Arcem, Herkenbosh, Melich,
 Fegelen, Velden, et Well, quae hactenus vi litterarum Apostolica-
 rum in forma Brevis diei 24. Decembris 1821., et 30. Julii 1822.
 Episcopi Leodiensis curae commissa fuerant tamquam Apostolici Ad-
 ministratoris, quem propterea eadem administratione exoneramus. Pa-
 raecias item, et adnexa loca supradictae Limburgensis Provinciae
 nempe de Afferden, Bergen, Gennep, Heyen, Middelaer, Mook, et
 Ottersum, quae Dilecti Filii Joannis Hermans administrationi huc us-
 que tradita fuerunt, quem similiter attenda gravi aetate, et infirma
 valetudine, ab omni administrationis onere solvimus, ac liberamus.
 Has omnes Civitates, Terras, Oppida, Loca, et Paraecias in unum
 conjungentes, Vicariatum Apostolicum constituimus, Limburgensem
 in posterum nuncupandum, et ad beneplacitum Apostolicae Sedis
 curae, et administrationi Vicarii Apostolici a Nobis eligendi, ac de-
 putandi committendum, et commendandum. Ceteras autem Paraecias,
 et adnexa loca ad Vicariatum supradicti Joannis Hermans administra-
 tioni creditum pertinentia, una et Vicariatu Apostolico, olim Dioece-
 si, Buscoducensi adjungimus, atque subjicimus. Ut vero satius hujus-
 ce Vicariatus circumscriptioni, limitibusque rite prospiciamus, perspe-
 cta Districtuum Ravenstein ac Megen positione, hos quoque Districtus,
 quorum pro interim Dilectus Filius Henricus Vander Velden a Nobis
 mandatam curam gessit, regimini, ac spirituali ejusdem Vicariatus
 Buscoducensis Administratoris jurisdictioni adjicimus, atque committi-
 mus. Ecclesiam item succursalem ac Terram respective de Luiks-gestel
 cum suis adnexis intra limites Brabantis Septemtrionalis Provinciae
 positam, iisdem de causis, ac motu a Dioecesi Leodiensi divellimus,

atque sejungimus, eamque intra Vicariatus Apostolici Buscoducensis limites inclusam, ejusdem Administratoris curae traditam, ac subjectam esse declaramus. E contra a dicto Vicariatu Apostolico dismembratum, sejunctumque Oppidum seu Communitatem de Lommel in ea Provinciae Limburgensis parte, quae Serenissimi Belgarum Regis auctoritati subest Leodiensi Dioecesi, ejusque Episcopo pro tempore existenti adjicimus et tradimus. Quoad Civitates vero, Oppida, Terras, aliaque loca Provinciae Luxemburgensis una cum omnibus et singulis eorum adnexis, cunctisque personis ibidem commorantibus a Dioecesi Namurcensi, ut supra divisa, avulsa et subtracta uniri, atque adnequi ad beneplacitum tantum Nostrum, et Apostolicae Sedis Vicariatus Apostolici Luxemburgensi ad interim constituto anno 1833., adeo ut eadem loca, et personae non vero exemptae spirituali Vicarii Apostolici Luxemburgensis in tempore existentis, ut supra, administrationi, quamdiu Apostolicae Sedi placuerit, omnino subsint. Tandem ut omnia, et singula superius sancita suum sortiantur effectum in Exequutorem Apostolicarum litterarum deputamus Dilectum Filium Antonium Antonucci Gestorem Negotiorum Sanctae Sedis apud memoratum Serenissimum Belgii vulgo *de'Paesi Bassi*, Regem, ac Vice-Superiorem illius Regni Missionum cum facultatibus necessariis et opportunis, ut per se ipsum, vel per aliam personam in Ecclesiastica dignitate constitutam ab ipso subdelegandam omnia statuere, ac decernere valeat, ut quae superius decreta sunt, ad exitum cumulate perducantur, atque etiam cum facultate eidem Exequutori, seu ejus Subdelegato definitive pronunciandi super quacumque oppositione adversus praedicta quomodolibet oritura. Eidem insuper Exequutori obligationem imponimus distincte ac singillatim describendi in Decreto executoriali ab ipso exarando omnia Oppida, Terras, Civitates, Paraecias, aliaque loca Magni Ducatus Luxemburgensis ac Provinciae Limburgensis a Dioecibus Leodiensi et Namurcensi, ut supra, perpetuum in modum dismembranda, et avellenda atque Vicariatus Luxemburgensi, et Limburgensi ut supra constituto unienda, et conjungenda ad beneplacitum Nostrum, et Sedis Apostolicae, nec non diligenter mittendi ad Congregationem de Propaganda Fide quamprimum exemplar authentica forma exscriptum decretorum omnium, quae in praefatarum Litterarum executionem emittet, ut in praedictae Congregationis tabulario de more asservari possit. Eidem pariter Negotiorum Nostrorum gestori ac praesentium Exequutori potestatem tribuimus Vicariatus Limburgensi interim, et provisoria ratione, donec a Nobis Vicarius Apostolicus electus, ac nominatus fuerit, aliquem sibi benevisum ac probatum, dignumque Presbyterum praeficiendi cum titulo Pro-Vicarii, et cum facultatibus necessariis et opportunis. Praesentes quoque litteras, et in eis contenta quaecumque etiam ex eo quod ii, quorum interest, aut

interesse posset in futurum, vocati, et auditi non fuerint, aut praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae defectu notari, impugnari, vel in controversiam vocari posse, sed perpetuo validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, sicque et non alias per quoscumque Jūdices ordinarios, vel delegatos quacumque auctoritate fungentes etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, et Sedis Apostolicae Nuntios, sublata eis, et eorum cuilibet aliter judicandi, ac interpretandi facultate, judicari, atque definiri, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate contigerit attentari, irritum, ac inane decernimus, et declaramus. Non obstantibus Nostris, et Cancellariae Apostolicae regulis de jure quaesito non tollendo, et de unionibus committendis ad partes vocatis, quorum interest, nec non Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuas nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentes, aliisque Apostolicis, ac in generalibus, provincialibus, et synodalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, et Ordinationibus etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, ac quibuscumque concordiiis, et conventionibus forsitan initis roboratis, confirmatis, et approbatis, privilegiis quoque indultis, et litteris Apostolicis illis alias in suo robore permanentibus ad effectum praesentium, et validitatis omnium, et singulorum praemissorum hac vice dumtaxat harum serie specialiter, et expresse derogamus, et derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque. Hujusmodi yero litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis eandem ubique locorum in judicio, et extra fidem haberi volumus, quae ipsis praesentibus haberentur, si originaliter fuissent exhibitae, vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae voluntatis, dismembrationis, divisionis, exemptionis, unionis, subjectionis, commissiois, deputationis, mandati, decreti, ac derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 2. Junii 1840. Pontificatus Nostri anno decimo.

E. Card. Lambruschini.

B b 2

*Abbatiae S. Mauritii in Valesia honorem tribuit , ut ejusdem
Abbas perpetuo sit Episcopus Bethleem
in partibus.*

G R E G O R I U S P A P A X V I .

Ad perpetuam rei memoriam.

In amplissimo Apostolicae Dignitatis atque auctoritatis gradu , nullis certe Nostris pro meritis sed ineffabili Divinae Providentiae consilio collocati , ac propterea de universo Dominico Grege , quem Pastor aeternus Nobis pascendum commisit , vehementer solliciti ea profecto omnia libenter agere solemus , quae ad Majorem Dei Gloriam promovendam , ac spiritualem animarum salutem procurandam pertinere posse videntur. Itaque sedulo , diligenterque inspicientes quid Ecclesiarum omnium decori , atque utilitati conveniat , Decessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes , amplis honoribus abbatiales interdum Ecclesias decorare opportunum ducimus , ut Divini Cultus splendor magis eniteat , atque uberius inde Dominici Gregis fructus existat. Equidem Nos minime latet insignem Abbatialem , et Regalem Ecclesiam S. Mauritii penes Helvetios inferiore in Valesia sitam cum proprio territorio originis vetustate , territorii ejusdem amplitudine , populi frequentia , Cleri numero , et Canoniorum Collegio summo opere praestare , ac plura regularia et saecularia beneficia habere. Ipsius autem Abbas qui Canoniorum Collegii princeps ac Primicerii dignitate ornatus , Infulae , ac Pedi , seu Pastoralis honore insignitus in pluribus illius Districtus Paraeciis jurisdictionem quasi Episcopalem exercet , atque huic Apostolicae Sedi una cum Canoniorum Collegio , totaque Abbatia immediate subjectus , Sardiniae Comitibus titulo , et magna Cruce Regii , ac militaris Ordinis Sanctorum Mauritii , et Lazari semper decoratur. Canoniorum vero Collegium ex pluribus viris conflatum , quorum alii spiritualia Paraeciis praebent subsidia , alii divinas in Choro laudes concelebrant , alii communem agunt vitam ex regula a fel. mem. Pio VII. Praedecessore Nostro approbata. Quod quidem Canoniorum Collegium eo in Districtu studiorum curam agens omni diligentia , et industria prospicit , ut juventus in binis praesertim Gymnasiis ad pietatem , omnemque virtutem mature fingatur , atque amoenioribus litteris , severioribusque disciplinis rite imbuatur. Accedit etiam , quod maxime interest , ut idem Canoniorum Collegium Catholicae Religionis propagandae studio vehementer incensum , nullis neque curis , neque laboribus , neque impensis sibi parcendum ducat , quo illis in regionibus majora in dies ipsa Religio incrementa suscipiat , atque homines e caecis errorum fluctibus emersi ad Catholicae Ecclesiae gremium redeant.

Jam vero cum Nobis. expositum fuerit rei Catholicae ac spiritualis animarum salutis bono. utile omnino esse, si illius Abbatiae in tempore Abbas Episcopali titulo in partibus Infidelium honestetur; Nos, quibus nihil potius esse potest, quam omni cura, vigilantia, contentione, in Dei Optimi Maximi gloriam amplificandam, ac sempiternam hominum salutem quibusque rebus procurandam incumbere, de VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, Abbatiam ipsam hujusmodi dignitate, atque honore decorandam, eique Episcopalem titulum de Bethleem in Syria in partibus Infidelium perpetuo adsignandum existimavimus. Quamobrem ejusdem Abbatiae, et Canonorum Collegii meritorum ratione habita firmis tamen semper in ea Abbatia manentibus, ibique vigentibus omni statu, qualitate, denominatione, motu proprio, certa scientia, matura deliberatione, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine hisce litteris Abbatiae S. Mauritii penes Helvetios in Valesia inferiori Episcopalem titulum de Bethleem in partibus infidelium perpetuum in modum adsignamus, atque attribuimus, atque illius in tempore Abbatem Episcopum de Bethleem in Syria constituimus, et declaramus, eumque nomine, titulo, et honore Episcopali perpetuo decoramus; ac volumus, ut Abbas S. Mauritii, et Episcopus de Bethleem appelletur cum omnibus, et singulis juribus, privilegiis, honoribus, insignibus, praerogativis, quibus Episcopi in partibus Infidelium utuntur, fruuntur, vel uti, ac frui possunt, et poterunt, atque id ita concessum volumus, ut sequuta ejusdem Abbatis canonica electione, etiam Episcopus de Bethleem in partibus Infidelium electus maneat, utque electionis confirmationem una cum Ecclesiae Episcopalis provisione ab hac Apostolica Sede litteris Apostolicis sub Annulo Piscatoris semper obtinere debeat, et teneatur. Haec concedimus, atque indulgemus, statuimus, et mandamus, decernentes has praesentes litteras firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis in omnibus et per omnia plenissime suffragari. Sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, et S. R. E. Cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiendi debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstant. quoties opus fuerit fel. rec. Benedicti XIV. Praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque Apostolicis, atque in Universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non ejusdem Abbatiae, et Canonorum Collegii etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indulgiis, et

Litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis, quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanens ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, aliisque omnibus etiam speciali, et individua mentione, et derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. M. M. sub Annulo Piscatoris die 3. Julii 1840. Pontificatus Nostri anno decimo.

A. Card. Lambruschini.

Ex quatuor Vicariatibus Apostolicis Angliae Regnum complectentibus octo constituit, et novam Ecclesiasticae totius Regni jurisdictionis distributionem facit.

G R E G O R I U S P A P A X V I .

Ad futuram rei memoriam.

Muneris Apostolici ratio, quod occulto Dei consilio ad supremam hanc Cathedram evecti meritis licet imparibus sustinemus, eo Nos esse intentos expostulat, ut Catholicae Religioni, ad Divini nominis gloriam, animarumque salutem tuendae, et quaquaversus amplificandae auctoritatem, studium, operamque Nostram non intermissa sollicitudine impendamus. Inter alia vero, in quibus Nostra quotidiana instantia versatur, animum curasque Nostras, ut par est, intendimus ad inclytam illam Catholici gregis partem, quae in florentissimo Angliae Regno magnis nuper per Dei gratiam auctibus crevit. Quo sane tam prospero eventu laetantes, et exultantes in Domino, jamdudum cogitabamus de Antistitum numero illic augendo, quandoquidem Vicariis Apostolicis numero quatuor, inibi calamitoso alio tempore a Sancta hac Sede constitutus, hodie quidem operosum nimis, et arduum est advigilare ad custodiam, atque ad culturam ejus vineae, quae tanta undique novorum palmitum fecunditate succrescit. In eandem vero sententiam plures advenerunt Catholicorum petitiones, quas sive ex Anglia per litteras, sive coram hic Nobis oblatas benevolentissimo equidem animo accepimus. Verum ut de negotio hujusmodi, ea, qua oportet, maturitate statueremus, primum quidem Deo Optimo Maximo pro tot tantisque suis erga Catholicum in Anglia gregem beneficiis humillimas iterum atque iterum egimus gratias, et Bñae Mariae Virg., ac Sanctorum, qui in Regione illa floruerunt, deprecatione implorata, Eidem

Clementissimo Domino per Unigenitum suum Jesum Christum enixe supplicavimus, ut Nostra pro illius bono consilio dirigeret, atque ad felicem exitum adduceret: deinde vero totam rei causam considerandam commisimus Congregationi VV. FF. NN. Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, qui Propagandae Fidei negotiis praepositi sunt. Atque hi post sedulam accuratamque habitam deliberationem, unanimi suffragio censuerunt, esse omnino e re Catholica ut ex quatuor Vicariatus Apostolicis, qui hactenus in Anglia fuerunt, congrua divisione facta, octo constituentur. Communicaverat antea non semel de hoc negotio Nostra eadem Congregatio cum quatuor Venerabilibus Fratribus antiquos illos Vicariatus obtinentibus; gratumque fuit perspicere ex acceptis responsis, ipsos omnes ejus, de qua agitur, Vicariatuum eorundem divisionis, novaeque circumspectionis utilitatem agnoscere. Nos quoque ipsi rem universam diligenter perpendimus, ac probato tandem praedictorum Cardinalium consilio, eandem illam Apostolicorum Vicariatuum divisionem, novamque constitutionem Apostolicis hisce litteris perficere proposuimus. Itaque motu proprio, ex certa scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine cunctas regiones, seu provincias, ex quibus constabant Vicariatus Apostolici Londinensis, Occidentalis, Medius, et Septentrionalis, ita post hac divisos edicimus, ut octo Vicariatus Apostolici efformentur Londinensis, Occidentalis, Orientalis, Centralis, seu Medius, Walliensis, Lancastriensis, Eboracensis, et Septentrionalis. Insuper singulis horum octo Vicariatuum pro cujusque circuitu, ac finibus Apostolica eadem auctoritate loca, seu regiones mox describendas tribuimus, et assignamus. Scilicet Londinensis Vicariatus comprehendet Provincias, sive Comitatus Middlesexiensem, Hertfordiensem, Esexiensem, Bercheriensem, Suth-Hantoniensem, Surreiensem, Sussexiensem, Kantiensem, cum Insulis Vecta, Gerseja, Guernseia. Occidentalis autem Vicariatus continebit Provincias, seu Comitatus Glocestriensem, Wiltoniensem, Somersettensem, Dorcestriensem, Divoniensem, Cornubiensem, una cum Insulis, quae Scilly vocantur. Praeterea Orientalis Vicariatus habebit Provincias seu Comitatus Lincolniensem, Rutlandiensem, Huntingdoniensem, Northantoniensem, Cantabrigiensem, Norfolciensem, Suffolciensem, Bedfordiensem, Buckinghamiensem. Centralis deinde, seu Medius Vicariatus complectetur Provincias, seu Comitatus Derbiensem, Nottinghamiensem, Staffordiensem, Leicestriensem, Worviciensem, Wigorniensem, Oroniensem, Salopiensem. Vicariatus Walliensis habebit Provincias, seu Comitatus illos duodecim, qui in Principatu Walliensi continentur, Brechiniensem scilicet, Maridunensem, Cereticensem, Denbighensem, Flintensem, Glamorganiensem, Merviniensem, Montgomeriensem, Penbrokiensem, Radnoriensem, et Angleseiam Insulam, una cum Comitatus Herefordiensi, et Monumethensi in Anglia. Lacastriensis

Vicariatus continebit Provincias seu Comitatus Lancastriensem, Cestriensem, et Insulam Monam. Eboracensis Vicariatus Provinciam seu Comitatum omnem Eboracensem complectetur. Denique ad Septentrionalem Vicariatum pertinebunt Provinciae seu Comitatus Northumbriensis, Westmorlandiensis, Cumbriensis, et Dunelmensis. Haec igitur loca sunt unicuique Vicariatus attributa, intra quorum fines Ecclesiasticam jurisdictionem suam Vicarius quisque Apostolicus exercebit. Jam vero ut providentia haec Nostra Catholicae in Anglia rei sine mora proficiat, delegimus jam Ecclesiasticos viros, virtute praestantes, quorum scilicet praeclara merita supradictae Nostrae Congregationi Propagandae Fidei, Nobisque ipsis probata sunt; eosque aliis Nostris Apostolicis litteris hac item die sub Piscatoris Annulo datis in novis illis Vicariatus Apostolicis constituimus. Postremo temperare Nobis non possumus quin Dilectos Filios tum e Saeculari tum e Regulari Clero, qui sacris Ministeriis in Anglia funguntur, maxime autem Venerabiles Fratres veterum quatuor Vicariatus Apostolicorum Antistites, ob exantlatos ab ipsis labores, debitis laudum praeconiis prosequamur; eosdemque uti et alios quatuor Apostolicos Vicarios non institutos adhortemur in Domino vehementer, ut mysticum illum agrum tanta recentis messis ubertate commendatum excolere sedulo, et alacriter studeant. Nos interim, animo cum ipsis in Christi charitate conjuncto, Divinum eundem Pastorum Principem in omni oratione, et obsecratione cum gratiarum actione precamur, ut super Ministros suos in sola ejus auxilii spe innixos dona multiplicet gratiae suae, atque omnibus, quae dante ipso plantaverint, et rigaverint, incrementum tribuat. Decernentes has praesentes litteras firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac iis ad quos spectat et spectabit, hoc, futurisque temporibus plenissime suffragari. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. M. M. sub Annulo Piscatoris die 3. Julii 1840. Pontificatus Nostri anno decimo.

A. Card. Lambruschini.

*Regi Birmanorum Vicarium Apostolicum Avanum,
et Peguensem commendat, eique nonnulla
dona tribuit.*

Potentissimo et Augustissimo Birmanorum Regi.

G R E G O R I U S P A P A X V I .

Potentissime et Augustissime Rex Salutem.

Certiores facti a Ven. in Christo Fratre Friderico Episcopo Zamensi pro Christianis omnibus Tuæ subditis Majestati vices Nostras gerentes, Te peculiari benevolentia Catholicos Missionarios, et ipsum excepisse, muneri Nostri deesse arbitrarentur, si redeunti in Imperium Tuum Ven. Fratri non committeremus, ut grati animi significationem Tibi Nostro nomine exhiberet. Pauca itaque Nostratum artium specimina habeto, ut in iis gratum erga Te animum Nostrum deprehendas. Nobis vero nil superest aliud quam ut Catholicos omnes imperii Tui quos fidelissimos semper Tuique amantissimos experieris, Majestati Tuæ etiam atque etiam commendemus, rogemusque praesertim, ut redeuntem Apostolicum Vicarium una cum ejus Missionariis benigne suscipias, ac patrocinio tuo validissimo tuearis. Hi quidem quo latius istius imperii populos perlustrabunt, eo vividiores in animis excitabunt eos obedientiae atque amoris erga Principem sensus, quos SSma Christi Religio Catholicis omnibus apprimè præcipit. Interea illud pro comperto habeat Majestas Tua, omnes ad unam Fideles Catholicos Nobis animo ac charitate conjunctos fervidas Nobiscum assiduasque obluros esse preces Aeterno, atque Uni Deo, qui rerum omnium Dominator existit ac Regum Rex, ut Majestati Tuæ diuturnam felicemque vitam largiatur, ac Tibi illud securumque iter ostendat, quod ad veram atque indeficientem beatitatem perducit.

Datum Romæ in Palatio Apostolico Quirinali die 15. Julii 1840. Pontificatus Nostri anno decimo.

GREGORIUS PP. XVI.

*Committit Abyssiniae Visitoris Apostolici munus, Copticae
Nationis Vicario Apostolico.*

Venerabili Fratri Theodoro Abukarim Episcopo Italiensi
Ritus Cophti.

G R E G O R I U S P A P A X V I .

Ven. Frater Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Pastorale officium etc. Itaque cum ad Abyssinorum gentem in communionem Ecclesiae Romanae iterum adducendam, Catholicamque Fidem in illis regionibus latius propagandam valde opportunum Nobis visum fuerit, ut illuc mittatur Episcopus Ritus Cophti, quem Ritus ferme sequuntur Abyssini, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, hujusmodi munus Tibi, Venerabilis Frater, committendum censuimus, qui Religionis zelo, prudentia, scientia, integritate summopere praestas, quique Catholicorum Cophtorum in Aegypto curam jamdiu demandatam sustines. Quamobrem peculiari Te benevolentia prosequentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, hisce litteris auctoritate Nostra Apostolica ad Nostrum, et hujus Apostolicae Sedis arbitrium in Delegatum, ac Visitatorem Apostolicum ad Abyssinorum gentem eligimus, constituimus, et deputamus cum omnibus, et singulis facultatibus, juribus, quae hujusmodi propria sunt muneris, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium. Mandamus etc.

Datum ab Arce Gandulphi sub Annulo Piscatoris die 24. Julii 1840.
Pont. Nostri anno decimo.

A. Card. Lambruschini.

*Abbatiae S. Mauritii in Valesia plura confert perpetua
privilegia, et honorificentiae significationes.*

G R E G O R I U S P A P A X V I .

Ad perpetuam rei memoriam.

Ea est dignitas ac splendor Canonorum Collegii Regiae Abbatiae

S. Mauritii in Valesia inferiori apud Helvetios, tanto hic amplissimus Ordo erga Catholicam Religionem studio, tanto erga Apostolicam Sedem, cui immediate subjectus, flagrat obsequio, ut Nos ex arcano Divinae Providentiae consilio in Petri Cathedra collocati alacri libentique animo illum peculiaris beneficentiae Nostrae testimoniis complecti existimaverimus. Quapropter per similes Nostras Apostolicas litteras die tertia superioris mensis editas principem illius dignitatem, quae Primitivii nomine fruitur, atque Abbas extat, aliisque honorificentissimis insignibus decoratur, Episcopali titulo de Bethleem in partibus infidelium perpetuo ornandam esse decrevimus, iisque privilegiis ac juribus, quae hujusmodi Episcoporum propria sunt, augendam esse mandavimus. Nunc vero quum ejusdem Collegii Canonicis de christiana, et civili republica optime meritis propensam Nostram voluntatem magis, magisque confirmare, et majori praemio eorum curas in recta juventutis institutione, in multiformis gratiae Dei dispensatione positas rependere exoptemus, eorum preces benigne excepimus, dum a Nobis postularunt, ut ipsum Episcopum Abbatem Antistitis seu Praelati Nostrae domestici titulo decorare, eorumque numerum duodecim Canonicis honorariis augere velimus, quorum sex arbitrio Nostro, ceteri vero, praeter primos sex ab ipso Episcopo Abbate nominandos, ab eodem Canonicorum Collegio, cunctis suffragantibus, erunt adlegendi, et qui omnes in Choro considereant, et Canonicorum Titularium participantium vestes deferant, utque demum utrisque non solum sacrae Trabeae seu Cappae magnae usum, sed et honores ac privilegia Canonicorum Cathedralium conferantur. In quam quidem sententiam eo facilius devenimus Romanorum Pontificum Stephani III., Adriani I., Leonis III., Eugenii II., Honorii II., Leonis IX., Eugenii III., Alexandri III., Clementis III., Caelestini III., Alexandri IV., et Gregorii X. Praedecessorum Nostrorum exempla ob oculos habentes, qui ex octavo Ecclesiae saeculo tam inclytum Canonicorum Collegium peculiari indulgentia complexi sunt, ac plane rati fore ut Ecclesiastici Viri in illud cooptati ampliora beneficia adepti magis conentur internis virtutibus enitere, et ad sacra quaeque ministeria accurate implenda benignitatis etiam Apostolicae incitamento impellantur. Ipsi enim, qui se probabiles jam Deo exhibent operarios inconfusibiles recte tractantes verbum veritatis, certam Nobis injiciunt spem, decus, quod sibi ex hujusmodi Nostris privilegiorum additamentis accedit, sustinendum, tuendumque curaturos, tum gravitate, et morum innocentia, tum non vulgari sacrarum litterarum scientia, disciplinarum et artium, quibus pollent, et sine quibus illa non modo mirantur homines, sed etiam despiciere plerumque solent. Novam igitur beneficentiae Nostrae significationem huic amplissimo Canonicorum Ordini Regiae Abbatiae Sancti Mauritii in Valesia inferiore apud Hel-

vetios exhibere volentes, omnesque et singulos quibus haec litterae favent a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, quovis modo, vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, harum serie absolventes ac absolutos fore censentes, auctoritate Nostra Apostolica hisce litteris concedimus et indulgemus, ut Episcopus Abbas commemoratae Abbatiae S. Mauritii et Canonorum Collegii Primicerius perpetuo Antistes etiam seu Praelatus Noster Domesticus dicatur et habeatur, atque in aliorum domesticorum Antistitum coetum, et numerum cooptetur, eorumque privilegiis, juribus, honoribus, indultis, quibus ipsi perfruuntur, vel uti, frui possunt, ac poterunt, libere, liciteque uti, et perfrui possit. Ad haec eidem Canonorum Collegio facultatem aequae perpetuum in modum tribuimus et elargimur duodecim adsciendendi Canonicos honorarios, ita tamen ut sex eorum nominatio a Nobis per alias Nostras similes Apostolicas litteras constituatur, reliquorum vero sex prima vice ab Episcopo Abbate tantummodo, deinde per ejusdem Episcopi Abbatis et Canonorum Collegii suffragia omnino fiat, ipsique Episcopo Abbati, vel ejus Vicario Generali jus sit eorum quemlibet canonica institutione donare. Hisce autem Canonicis honorariis ita adlectis et renunciatis liceat inter aliorum Canonorum subsellia considerare, atque in Choro, ceterisque ecclesiasticis caeremoniis et functionibus uti lineo manicato, amiculo, vulgo *Rocchetto* et brevi palliolo, seu mozzetta lanea exilis texturae coloris purpurei tempore hiemali, serica vero aestivo tempore, quemadmodum Canonici titulares participantibus utuntur, utrisque demum, scilicet Canonicis titularibus participantibus, et honorariis eadem auctoritate Nostra tribuimus et impertimur, ut deinceps in Choro, in sacris supplicationibus, et in aliis quibuslibet Ecclesiae functionibus sacram Trabeam, seu Cappam magnam cum Mozzetta concolorem albae mustellae pellibus hiemali tempore, aestiva autem tela serica subsutam gestare libere et licite possint, et valeant, ac propterea omnibus ubique perfrui honoribus, et privilegiis, quae Canonorum Collegiis Cathedralium Ecclesiarum, dummodo fuerint rite instituta, ex Sacrorum Canonum praescripto concessa sunt. Haec concedimus atque indulgemus, praecipimus atque mandamus, decernentes has praesentes litteras semper firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere, et eorum causa, quae expressa sunt, hoc, futurisque temporibus plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, non obstan. fel. rec. Benedicti XIV. Praedecessoris Nostri super divisione materialium, aliisque Apostolicis

ac in universalibus provincialibusque, et synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, neq non commemorati Canonorum Collegii Regiae Abbatiae S. Mauritii, aliorumque Cathedralium Ecclesiarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis, quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum in Arce Gandulphi sub Annulo Piscatoris die 4. Augusti 1840. Pontificatus Nostri anno decimo.

A. Card. Lambruschini.

Acta Consistorii Secreti habiti die 27. Aprilis 1840. In quo Babylonensi Nationis Chaldaeorum Patriarchae Nicolao Isaias Jacobi sacrum Pallium concessum est. Hoc autem per litteras Apostolicas die 13. Augusti anno eodem expeditas ad exitum perductum est.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

GREGORII DIVINA PROVIDENTIA PP. XVI.

A L L O C U T I O.

Venerabiles Fratres

Quas Ecclesia Catholica passa sit vices apud gentem Chaldaeorum ex quo, postquam Nestoriani regiones illas occupassent, Episcopus Seleuciensis in nomen ac dignitatem Patriarchatus Babylonensis invasit, probe scire Fratrnitates Vestras ducimus: compertum item habetis quantum Romani Pontifices, pro imposita sibi sollicitudine omnium Ecclesiarum, laboraverint, in curam intenti, ut populos illos sicut oves quae perierant extra unam veram Ecclesiam errantes, in caulam Domini revocarent. Utinam vero pares pastoralibus illorum studiis ac laboribus fructus respondissent. Spes quidem identidem felicitatis exitus ostensa est, praesertim medio circiter saeculo sextodecimo, cum Vir praeclarus Simeon Sulacha a catholica parte nationis Chaldaicae Pastor electus est, et a felicitatis recordationis Julio III. electione con-

firmata, Patriarcha solemniter constitutus: item sub felicis recordationis Innocentio XI. a quo Josephus dictus Primus, fuit Patriarcha renunciatus.

At mansit nihilo minus duplex illa series Patriarcharum, altera schismaticorum, altera catholicorum: donec conditionem populorum illorum miserante Domino, Pio VI. immortalis memoriae Praedecessori Nostro contigit ut complures ex gente Chaldaeorum Patriarchae Nestoriano adhuc subjectos in sinum communis Matris Ecclesiae redeuntes exciperet. Nam Joannes de Hormez qui ab Elia Patruo schismatico Patriarcha Babylonensi successor suus fuerat declaratus, Ecclesiae Romanae se adjunxit. Is tamen ob exortas in eadem gente controversias diu agnitus fuit tantum ut Archiepiscopus Mosulensis, nec nisi anno 1830. a felicis recordationis Praedecessore Nostro Pio VIII. renunciatus est Patriarcha Babylonensis, et sacri Pallii honore decoratus: antea constituto, ut Patriarchatus abrogaretur dictus Diarbechirensis, ex quo in ea Mesopotamiae Civitate Patriarchae Catholici sedem suam habere coeperunt. Porro cum postmodum senio languescens Patriarcha Joannes de Hormez vix jam valeret muneri suo satisfacere, visum est Nostrae Congregationi Fidei Propagandae Coadjutorem illi cum jure futurae successionis esse assignandum, eamque dignitatem tribuendam Nicolao Isaiam Jacobi Hadirbegiano in Perside Archiepiscopo, quem ipse Joannes consecraverat, Collegii Urbani olim alumno. Consilium hoc ejusdem Congregationis initum die 10. Septembris 1838. Rescripto Nostro probavimus dato die 16. mensis ejusdem, nullaque interposita mora, Apostolicae Litterae sub Annulo Piscatoris ea de re fuerunt expeditae, quibus eundem Isaiam Coadjutorem Patriarchae Babylonensis cum jure futurae successionis esse a Nobis electum et constitutum declarabamus; ita tamen ut, ipso Joanne de Hormez vivente, nihil ei fas esset agere in Patriarchatus administratione, nisi quantum et quatenus idem Joannes esset ordinaturus; ejusque, ad eam quod attineret, mandata omnino praestare et implere deberet: si autem ille interim esset e vita excessurus, aut forsitan jam excessisset priusquam eadem Nostrae litterae pervenissent, seu praedictus ejus Patriarchatus quocumque modo vacaret, eundem Nicolaum Isaiam in ejus locum et gradum item declarabamus velle Nos illico subrogatum cum omnibus et singulis facultatibus, quae praedicto Joanni ratione Patriarchatus ab hac Apostolica Sede concessae et attributae fuissent, dimisso ceteroquin prius Archiepiscopatu Hadirbegiano ritus Chaldaici, quo potiebatur. Casus re ipsa accidit, cui provisum fuerat. Nam cum Litterae illae Nostrae in Mesopotamiam allatae sunt, jam excesserat Patriarcha Joannes de Hormez: obiit enim die 16. Augusti anno 1838; illud autem accidit sane quam opportune, ut nondum novus illic Patriarcha electus esset. Itaque, Litteris Apostolicis publicatis agnitus acceptus-

que est Patriarcha Nicolaus Isaias Jacobi, utque ex Litteris ab Oriente redens acceptis intelleximus, jam se ille Bagdadam contulerat, ubi Franciscum Villardellium Archiepiscopum Philippensium Visitatorem Apostolicum opperiebatur, varias Patriarchatus Dioeceses cum eo perlastraturus. Cum igitur is earundem vi Litterarum Apostolicarum jam Joanni successerit ex Coadjutore factus Patriarcha, unum illud reliquum est, ut ejus dignitas sacro Pallio, pastoralis officii plenitudinis symbolo amplificetur.

Qualem eum antea cognovimus cum Successorem Joannis de Hormez constituimus, Episcopum videlicet singulari pietate, doctrina, prudentia, zelo religionis, rerum gerendarum peritia, aliisque animi ingeniique dotibus insignem, talem se postea constanter praebuisse minime dubiis confirmatur testimoniis. Huic proinde Nos hoc ipso in Consistorio mysticum insigne Pallii sumpti de corpore B. Petri Principis Apostolorum libenter admodum concedimus, ei tradendum postquam de more Fidei professionem coram eo, cui hanc accipiendam delegabimus, emiserit: minime dubitantes, quia unquam sit obliturus vestitum ipsum, quo ornatur, ut Sanctus Pontifex Symmachus monuit Teodorum Laureacensem, *crucis signum praetendere, per quod sciat se debere cum fratribus compati, et mundi illecebris in affectu crucifigi.*

Quod vero id honoris ipsi antea constituto in gradu Patriarchali nunc conferamus, qua de causa id fiat, ex iis quae diximus luculenter apparet. Ita recenti quoque memoria immortalis recordationis Pontifex Benedictus XIV., Cyrillo Patriarchae Antiocheno Graeco-Melchitarum, cum jam ille antea ab hac S. Sede electionis confirmationem obtinisset, sacri Pallii honorem concessit.

Pro singulari autem beneficio Concessionis sacri Pallii memorati Patriarchae nomine R. D. Nicolaus Murad Maronita a S. Congregatione de Propaganda Fide deputatus, absoluto consistorio, sic Pontifici gratias egit.

BEATISSIME PATER

PRECOR, BEATISSIME PATER, ut pro summa Tua, qua gentes omnes complecteris, animi benignitate, patiaris me Chaldaeorum Catholici Patriarchae nomine, maximas tibi gratias agere, quem singulari honore hodierna die cumulasti. Non sum quidem ego Chaldaeus, sed Maronita; videlicet apud Te rerum gestor illius Gentis, cui nihil sanctius, nihil optabilius potest contingere quam perpetuam suam erga Sanctam Divi Petri Sedem observantiam omni prorsus occasione, ac ratione testari: Quare sum laetatus vehementer, mihi munus a sacro

Consilio Christiano nomini propagando esse commissum, quo possem pro Patriarcha illo coram Te loqui, et gratum animum, quo is beneficia sibi a Te collata prosequitur, quanta possum veneratione significare. Itaque vellem, BEATISSIME PATER, vocem meam sic exciperes, veluti si gentes in Assyria cis Tigrim habitantes, clementiam, sapientiamque tuam celebrantes audires. Nam instantia certe tua quotidiana est, sollicitudo omnium Ecclesiarum. Sed Chaldaeorum Catholica gens Sanctitati Tuae refert prorsus acceptum, veterem tranquillitatem sibi esse restitutam, legitimum Ecclesiae regimen instauratum fuisse, ceteraque omnia in promptu nunc esse, quae ad amplificandam, atque ornandam in iis regionibus Religionem Nostram possunt pertinere. Scit ea gens quae Divus Hieronymus Damaso Praedecessori Tuo scribebat, se Cathedrae Petri communionem consociare oportere, super istam petram fundatam Ecclesiam esse, ut qui tecum non colligunt, ii penitus spargere censeantur. Possum ergo illud certo affirmare, Te, Patriarcha Chaldaeorum auctoritate Apostolica constituto, et Sacri Palii de D. Petri corpore sumpti, in quo plenitudo potestatis Pastoralis est, hodierna die concessione facta, ampliori Religionis in memoratis locis incremento, magnopere prospexisse.

Etenim Patriarchae nomine spondeo, praeclara ista ornamenta, et benevolam tuam erga illum voluntatem, permagnum incitamentum esse allaturam, ut fides catholica in dissitis illis regionibus augeatur, Religio nostra in iis floreat, et gens illa tota hanc *Ecclesiam principalem* (1), Te omnium Christianorum *Patrem et Doctorem* (2) libenti animo intueatur, atque in Te denique ab Orientali Natione qualibet *Petrus intelligatur, et honoretur, cujus dignitas in optimo herede non deficit* (3).

Precor autem, Te, BEATISSIME PATER, ut digneris Patriarcham, ac Gentem ei subditam, me ipsum, patriamque meam Apostolicae benedictionis beneficio recreare.

(1) S. Cypr. ep. ad Cornelium.

(2) Conc. Flor. Def. Fidei.

(3) S. Leo de SS. Ap. Petro, et Paulo.

Epistola encyclica ad omnes Patriarchas, Primate, Archiepiscopos, et Episcopos scripta, iis communem Ecclesiae causam impense tuendam commendat; et simul de Missionum Apostolicarum ad exterarum gentes fructu, de Societate Propagationis Fidei iuvanda, deque Leopoldina societate, aliisque piis institutionibus multa sapienter pertractat.

G R E G O R I U S P A P A X V I.

*Venerabiles Fratres Salutem, et Apostolicam
Benedictionem.*

Probe nostis, Venerabiles Fratres, quantis undique calamitatibus tristissimo hoc tempore urgeatur, et quam miserandum in modum Catholica vexetur Ecclesia; nec ignoratis quanta omnis generis errorum colluvione, effrenataque errantium audacia Religio Sancta oppugnetur, et quali astutia quibusque fraudibus haeretici, atque increduli homines conitantur Fidelium corda mentesque pervertere. Nostis, uno verbo, nullum prope esse laboris ac moliminum genus, quod ad inconcussum Sanctae Civitatis aedificium ex imis, si fieri posset, sedibus evellendum non insumatur. Enim vero, ut cetera praetereamus, nonne (proh dolor!) videre cogimur longe lateque vaferrimos veritatis hostes impune diffundi, eosque nedum Religionem irrisionibus, Ecclesiam contumeliis, Catholicosque insultationibus et calumniis lacessere, verum et Urbes atque Oppida invadere, erroris et impietatis scholas instituire, ac venena doctrinarum suarum, pravo etiam scientiarum naturalium recentiumque inventorum usu ad occultiore fallaciam comparata, typis evulgare; immo et in pauperum penetrare tuguria, rura percurrere, et se se in infimae plebis, agricolarumque familiaritatem insinuare? Ita scilicet nihil intentatum relinquunt, quo tum vernaculis corruptisque Bibliis, tum pestiferis Ephemeridibus, aliisque parvae molis libellis, tum captiosis alloquiis, tum simulata charitate, tum denique pecuniarum largitione vel ipsum rudem populum, maxime juventutem, ad suas sectas alliciant, atque ad deserendam inducant Catholicam Fidem.

Facta innuimus, Venerabiles Fratres, quae non modo Vobis comperta sunt, sed quorum testes Vos ipsi estis; qui dolentes quidem, et pro pastoralis officio minime silentes, tolerare cogimini in vestris Dioecibus memoratos haeresum et incredulitatis propagatores, procacesque praecones, qui gradientes interdum sub vestimentis Ovium, intrinsecus autem lupi rapaces, gregi insidiari, eundemque dilacerare non cessant. Quid plura? Nulla pene jam extat in universo Orbe vel barbara regio, ad quam notissimae Haeticorum et Incredulorum cen-

trales Societates, nullis parcens sumptibus, suoa non mittant excussores et emissarios, qui aut per insidias, aut palam coacto agmine ac perfricata fronte Catholicae Religioni, ejusque Pastoribus et Ministris indicentes bellum, Fideles ab Ecclesiae gremio divellant, ejusque aditum Infidelibus intercludant.

Conjici hinc facile potest, quantis Nos propterea in angustiis diu noctuque versemur, qui cura totius Christi ovilis, et omnium Ecclesiarum sollicitudine onerati, divino Pastorum Principi de cunctis rationem reddere debemus. Easdem vero communium Nobis Vobisque molestiarum causas idcirco Nostris hisce litteris commemorandas censuimus, Venerabiles Fratres, ut animo intentius recogitetis, quantum Ecclesiae intersit Sacros Antistites universos geminatis studiis, junctisque laboribus, atque omni contentione adniti, ut tot frementium Religionis hostium reprimantur impetus, telaque retundantur, et contra callidas, quibus persaepe utuntur, blanditias praemoneantur, munianturque Fideles. Quod Nos, ut scitis, praestare quavis opportunitate curavimus, nec desistemus: sicuti et Vos hactenus praestitisse non ignoramus, et impensiori usque studio praestituros confidimus.

Ceterum ut in mediis quibusque difficultatibus non deficiamus animo, " cavere nos omnes oportet, Venerabiles Fratres, ne illas unquam extimescamus quasi propriis viribus superandas; cum et consilium nostrum et fortitudo sit Christus, ac sine quo nihil possumus, per ipsum cuncta possimus: Qui confirmans Praedicatores Evangelii, et Sacramentorum Ministros, *Ecce Ego, inquit, vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*: et iterum; *Haec locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis: in mundo pressuram habebitis: sed confidite, Ego vici Mundum*; Quae pollicitationes quia sine dubio manifestae sunt, nullis debemus scandalis infirmari, ne electioni Dei videamur ingrati, ejus tam potentia sunt adjutoria, quam vera promissa » (1).

Divinae autem promissionis fructus, qui numquam in Ecclesia defuerunt; nec defuturi sunt, quis non videat nostra etiam hac aetate manifestissimos? Idem profecto evidenter apparent in insuperabili Ecclesiae firmitate inter tot inimicorum aggressiones, in Religionis inter tot perturbationes ac pericula dilatatione: et in consolatione, qua propterea *Pater Misericordiarum et Deus totius consolationis consolatur nos in omni tribulatione nostra*. Dum enim ex una parte plorandum Nobis est super jactura, quam aliquibus in regionibus passa est et patitur Religio Catholica: Nobis laetandum est ex alia, de crebris triumphis, quos etiam inibi, ob invictam Catholicorum Pastorumque constantiam, passim reportasse noscitur, et reportare: quemadmodum et

(1) Ita iisdem fere verbis S. Leo M. in Epistola ad Rusticum Narbonensem.

magno gaudio perfruimur ob felices illius inter tot obstacula mirosque profectus, ut ii etiam, qui ex adverso sunt, perspiciant, oppressiones et vexationes, quibus exagitur Ecclesia, non raro ejus gloriae, ac Fidelibus in Catholica Religione magis magisque confirmandis inseruire.

Verum, ut de Apostolicis Missionibus loquamur: quam laetandi causam Nobis non praebent et universae Ecclesiae uberes earumdem Missionum fructus, Fideique progressus in America, in Indiis, atque in aliis Infidelium praesertim terris? Haud enim ignoratis, Venerabiles Fratres, nostris quoque temporibus late illis in partibus diffundi virorum Apostolicorum numerum, indefessumque zelum, qui non pecuniarum copia, non armorum apparatu suffulti, sed Fidei tantum clypeo muniti, nedum voce et scriptis, privatim et publice, *praelia Domini* contra haereses et incredulitatem, et quidem prospero successu, *praeliari* non reformidant; verum etiam charitatis ardore incensi, nullaque deterriti itinerum asperitate, aut gravitate laborum, terra marique conquirunt sedentes in tenebris et umbra mortis, ut eos ad lumen et vitam evocent Catholicae Religionis. Hinc ad quaecumque discrimina intrepidi per Barbarorum silvas cavernasque magno animo permeant, illosque Christiana paulatim suavitate delinitos ad veram Fidem, veramque virtutem informant, ac tandem per lavacrum Regenerationis a Diaboli servitute eripiunt, atque in libertatem vindicant filiorum adoptionis Dei.

Non possumus autem sine laerymis, tum doloris, immanitatem execrantes persecutorum et carnificum; tum consolationis, heroicam suspicientes Confessorum Fidei constantiam, gloriosa hic commemorare recentium Martyrum gesta in remotissimis Orientis plagis, quorum equidem laudes Consistoriali haud ita pridem Allocutione celebravimus. Fumant adhuc Tunquini et Cocincinae regiones plurium Sacrorum Antistitum, et Presbyterorum, Fideliumque incolarum sanguine, qui Christianorum Martyrum, quibus prisca praesertim aetas inclaruit, exempla renovantes, impavido in tormentis animo mortem crudelissimam pro Christo in Fidei testimonium oppetierunt. Qui itaque praeclarior Ecclesiae ac Religionis triumphus; quae major eam persequentium confusio, quam facto comprobatas videre nostris etiam hisce diebus divinas perpetuae protectionis et adjutorii promissiones, unde fit, quod *nullo* (ut verbis utamur S. Leonis) *crudelitatis genere destrui possit Sacramento Crucis Christi fundata Religio?* (1)

Hactenus memorata, consolatoria quidem sunt, Venerabiles Fratres, et gloriosa Catholicae Religionis; sed et alia non desunt, quae in tantis quibus premitur tribulationibus solantur Ecclesiam: pia nempe

(1) In Natali Apostolorum Petri et Pauli Serm. 82. et 80.

Institutiones, quae in bonum Religionis et Christianae Societatis succrescunt, quarum nonnullae adjumento sunt et subsidio Sacris ipsis Missionibus Apostolicis. Sane quis vere Catholicus non laetetur Omnipotentis Dei providentiam considerans, qui Ecclesiae suae, juxta promissiones, perpetuo protector assistens, novas pro opportunitate temporum, ac locorum, aliarumque circumstantiarum in ea suscitatur Societates, quae sub ejusdem Ecclesiae auctoritate, suo unaquaque modo, in charitatis officia, in instructionem Fidelium, atque in dilatationem Fidei suum conjunctis viribus studium atque operam conferunt?

Jucundum inter alias Catholico Orbi, ipsis stupentibus A Catholicis, spectaculum offerunt tot illae ac tam late diffusae piarum Feminarum Sodalitates, quae sub regulis S. Vincentii a Paulo, vel probatis aliis institutis consociatae, Christianarumque virtutum splendore conspicuae, totas se alacresque devovent aut mulieribus a perditionis via retrahendis, aut puellis ad Religionem solidamque pietatem atque ad labores conditionis suae proprios informandis, aut proximorum aerumnis omni ope sublevandis; quin vel naturali sexus infirmitate, vel cujusvis periculi metu retardentur.

Nec minori Nos, bonosque omnes gaudio perfundunt alii illi Fidelium Coetus, qui in multis praesertim illustrioribus Civitatibus novi identidem coalescunt; et quorum scopus ac studium est, perversis Libris vel sua vel aliorum utilia opera, errorum monstris puritatem doctrinae, injuriis conviciisque Christianam opponere mansuetudinem et charitatem.

Quid denique, nisi magna cum laude, dicendum de celebri illa Societate, quae non solum in Catholicis regionibus, sed etiam in A Catholicorum et Infidelium terris nova semper obtinet incrementa; quaeque Fidelibus omnibus cujuscumque conditionis facilem viam modumque aperit, ut de Apostolicis Missionibus bene mereantur, ac de spiritualibus illarum bonis participes et ipsi fiant? Jam intelligitis, sermonem hic esse de notissima Societate sub titulo *Propagationis Fidei*.

Communicatis modo Vobiscum, Venerabiles Fratres, et angoribus quibus ob jacturas conficimur, et consolationibus quibus sustentamur ob Catholicae Religionis triumphos; restat nunc, ut pariter Vobis communicemus sollicitudinem, quae Nos urget pro majori Societatum tam bene de Religione merentium prosperitate. Vos igitur impense hortamur in Domino, ut eas in vestrarum Diaecesium finibus fovere, tueri, atque augere studeatis.

Imprimis autem Vobis summopere commendamus memoratam Societatem *Propagationis Fidei*, quae inde ab anno 1822. in perantiqua ac nobilissima Lugdunensi Urbe primum instituta, mirabili subinde celeritate ac prosperitate longe lateque diffusa est. Nec minori profecto

commendatione reliquas hujuscemodi Sodalitates prosequimur, quae Vindobonae, aut alibi conflatae, diverso licet nomine distinguantur, in idem tamen opus Propagationis Fidei, religiosissimo etiam Catholicorum Principum favore sustentatum, aequa animorum contentione conspirant. Magnum sane opus et sanctissimum, quod modicis oblationibus et quotidianis precibus a quolibet Sodalium ad Deum effusis sustinetur, augetur, invalescit; quodque Apostolicis Operariis sustentandis, Christianaeque charitatis operibus erga Neophytos exercendis, nec non Fidelibus ab impetu persecutionum liberandis inductum, bonorum omnium admiratione, atque amore dignissimum existimamus. Nec sine peculiari Divinae Providentiae consilio tantum commodi atque utilitatis Ecclesiae nuperrimis hisce temporibus obvenisse censendum est. Dum enim omnigena inferni hostis machinamenta dilectam Christi Sponsam lacescant; nihil illi opportunius contingere poterat, quam ut desiderio propagandae Catholicae veritatis Christi Fideles inflammati, junctis studiis, collataque ope, omnes Christo lucrifacere conniterentur.

Quare Nos in Suprema, licet indigni, Ecclesiae specula constituti nullam praetermissimus opportunitatem, quominus Praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes et pronam Nostram in tam praeclarum opus voluntatem disertissime testaremur, et Fidelium in id charitatem congruis acueremus incitamentis. Et Vos igitur, Venerabiles Fratres, qui in partem vocati estis sollicitudinis Nostrae, sedulo agite, ut tantum illud opus ampliora quotidie penes commissum cuique gregem incrementa accipiat. *Canite tuba in Sion*, paternisque monitis et suasionibus curate, ut qui pientissimae Societati nondum sese comites adjunxerunt, illam perlibenter ingrediantur; qui vero eidem se addixerint, in proposito perseverent.

Hoc sane tempus est, « quo per totum mundum saeviente Diabolo, acies debet Christiana configere » (1); atque adeo tempus hoc est omni studio providendi, ut plorantibus, orantibus, ac pro Fide laborantibus Sacerdotibus sancta hac sese conjungant conspiratione Fideles. In spem autem firmissimam erigimur fore, ut Deus, qui Ecclesiam suam in tanto Religionis discrimine, et in tam duro ac diuturno cum hostibus certamine, Omnipotentiae suae dextera sustentare non desinit, Fideliumque constantia, charitate ac devotione laetificat; multiplicatis Pastorum atque ovium precibus, piisque operibus propitius, eidem tandem optatam tranquillitatem ac pacem misericorditer largiatur.

Interea Vobis, Venerabiles Fratres, et creditis vestrae curae Clericis Laicisque fidelibus universis Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

(1) Ex verbis S. Leonis M. Serm. 49. al. 48.

Datum Romae apud S. M. M. XVIII. calendas Septembris anni 1840.
Pontificatus Nostri anno decimo.

GREGORIUS PP. XVI.

Quoniam in mox relata encyclica epistola multa sunt quae Summi Pontificis studium ostendunt erga Societatem sub titulo Propagationis Fidei institutam, referendae visae sunt hic literae Apostolicae de S. Martyris Exuperii corpore, quod Lugdunensi Societatis consilio Pontifex dono dedit.

Corpus S. Exuperii Martyris in caemeterio Callisti repertum Societatis Propagationis Fidei Lugdunensi consilio a se dono datum commemorat Pontifex, et indulgentias perpetuo a se concessas recenset.

G R E G O R I U S P A P A X V I .

Ad perpetuam rei memoriam.

Dominici gregis augendi sollicitudo, qua pro Apostolatus Nostri munere tantopere afficimur, ad illud omne libenter Nos convertit, quod prodesse illis intelligimus, qui de catholica Fide propaganda bene meriti existant. Hujus porro benevolentiae Nostrae pignus exhibere volentes, praeclarae illi Societati, quae Lugduni primum pro Missionibus ad externos populos juvandis, sub Propagationis Fidei titulo fuit instituta, Beati Martyris Exuperii Corpus, quod nuper in coemeterio Callisti repertum fuerat, illuc mittendum curavimus. Quoniam vero pium illud opus spiritualibus beneficiis cumulare, et ipsius Sancti Martyris cultum promovere impensius optamus; praesentibus nostris litteris in perpetuum valituris annuimus precibus ad Nos allatis, ut Quinto calendas Maias, quo die sacrae ejus reliquiae sunt inventae, in Ecclesia metropolitana Lugdunensi S. Joanni Baptistae sacra, festum ipsius sub ritu duplici majori celebrari ad libitum, quotannis valeat. Fidelibus insuper, qui in praefatam Societatem cooptati, ad Beati Martyris corpus preces juxta consuetos fines fuderint, pro qualibet vice tercentum dies de vera indulgentia concedimus. Quo vero die Sancti Exuperii Festum celebrabitur, et singulis primis dominicis cujuscumque mensis, si iidem in Societatem cooptati, Poenitentiae et Eucharistiae Sacramentum acceperint, et praeterea praefatam Ecclesiam adeuntes, ibi, ut supra, oraverint; plenariam indulgentiam consequentur. Utramque demum indulgentiam, tam plenariam, quam partialem, animabus in Purgatorio de gentibus applicabilem declaramus. Dum haec omnia pro animarum sa-

lute decernimus, futurum confidimus, ut praefata Societas, quae jam de Missionibus optime merita est, ab Apostolica Sede tot praedilectionis significationibus aucta, ad Catholicae Ecclesiae bonum latius amplifietur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 22. Martii 1839. Pontificatus Nostri anno nono.

Pro Domino Cardinali De Gregorio

A. Picchioni Substitutus.

Vicariatum Apostolicum constituit qui Provinciam Yun-nan comprehendat, quae a Vicario Apostolico Sutchuensi antea gubernabatur. Hic Vicariatus Apostolicus committitur Seminario Parisiensi Missionum ad exteros.

G R E G O R I U S P A P A X V I.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum ad augendam usquequaque firmandamque rem catholicam nil magis conferre aut validius unquam fuerit, quam Episcoporum quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, numerum augere, qui satius Christifidelium necessitatibus occurrat, hinc de VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, attenta Vicariatus Apostolici Sutchuensis amplitudine, Provinciam Yun-nan ab anno 1781. gravibus de causis eidem Vicariatu ad hujus Apostolicae Sedis beneplacitum conjunctam segregandam, atque sejungendam, ac in distinctum Vicariatum Apostolicum erigendam esse censuimus, atque hujusce novi Vicariatus regimen Alumnis optime meriti Seminarii Missionum ad exteros committendum duximus cum iisdem conditionibus, quibus ceterorum ipsis Vicariatum cura fuit concedita. Motu igitur proprio, certa scientia, et matura deliberatione, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine hisce litteris Provinciam Yun-nan a commemorato Vicariatu Apostolico Sutchuensi penitus sejungimus, subtrahimus, ac in peculiarem, ac distinctum Vicariatum erigimus, et constituimus, atque hujusmodi Vicariatus regimen alumnis Seminarii Missionum ad exteros committimus iisdem cum conditionibus, quibus ceteri Vicariatus ipsis commissi sunt, atque ita, ut inter eos, qui dignior in evangelico munere habetur ab Apostolica hac Sede in Vicarium Apostolicum eligatur cum characterem, et titulo Episcopali in partibus infidelium, et cum facultatibus necessariis, et opportunis, quae hisce Vicariis ab hac ipsa Apostolica Sede concedi solent. Haec volumus etc.

Datum in Arce Gandulphi sub Annulo Piscatoris die 28. Augusti
1840. Pont. Nostri anno decimo.

Pro Domino Card. Lambruschini

A. Picchioni Substitutus.

*Ad Moderatorem Seminarii Parisiensis Missionum ad Exteros
scribit de Vicario Apostolico Yun-nan eligendo.*

Dilecto Filio Superiori seu Directori Seminarii Missionum
ad exteros.

G R E G O R I U S P A P A X V I .

Dilecte Fili Salutem , et Apostolicam Benedictionem.

Cum per similes Apòstolicas litteras hoc ipse die datas de VV.FF. NN. S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio Sinensem Provinciam Yun-nan ab anno 1781. Vicario Apostolico Sutchuensi in administrationem traditam, in peculiarem et distinctum Apostolicum Vicariatum erigendam, seu restituendam duxerimus, ejusque curam istius Seminarii Alumnis committendam existimaverimus; novi hujusce Vicariatus regimini prospicere summo opere cupientes, eidem Vicariatu idoneum Praesulem praeficiendum statuimus cum caractere Episcopali, ac titulo Ecclesiae in partibus infidelium. Quamobrem de eorumdem Cardinalium sententia Tibi, Dilecte Fili, qui istius Seminarii Superior, seu Director existis, auctoritate Nostra Apostolica hisce litteris committimus, et mandamus ut eum inter tuos probatos Missionarios in Sinis laborantes eligas, atque deputes, quem ad id muneris magis idoneum, ac digniorem in Domino judicaveris, quem quidem a Te auctoritate Nostra electum in Vicarium Apostolicum Sinensis Provinciae Yun-nan auctoritate et tenore praesentis constituimus, et deputamus cum omnibus et singulis facultatibus necessariis, et opportunis, salva tamen semper in praemissis Cardinalium ejusdem Congregationis auctoritate.

Datum in Arce Gandulphi sub Annulo Piscatoris die 28. Augusti
1840. Pontificatus Nostri anno decimo.

Pro Domino Cardinali Lambruschini

A. Picchioni Substitutus.

Provinciam Mongoliam a Vicariatu Apostolico Leao-tung disjungit, et Vicariatum Apostolicum ex ea constituit, atque illum Congregationi Missionis S. Vincentii de Paolis committit.

G R E G O R I U S P A P A X V I.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum per similes Nostras Apostolicas litteras alias die 14. Augusti anno 1838., alias die 3. Septembris anno 1839. datas ad rem Christianam in quibusdam Diaecesis Pekinensis regionibus periclitantem tuendam, firmandamque regiones ipsas ab antedicta Ecclesia disjunctas, ac dismembratas in distinctos Vicariatus Apostolicos erexerimus; Provinciam scilicet Lea-otung addita Manchouria, et Mongolia, nec non alteram Provinciam Xantung-nunct, iisque Apostolicos Vicarios cum caractere, ac titulo Episcopali in partibus infidelium praeficiendos duxerimus, nunc satius prioris Vicariatus regimini Seminarii Parisiensis ad exteros alumnis credito prospicere summopere cupientes nimia ejus attendita amplitudine, ac perpendentes Missionariorum S. Lazzari in Mongolia laborantium numerum, ac sollicitudinem, de VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, Mongoliam a Vicariatu Leao-tung sejungendam, eamque in distinctum Vicariatum Alumnis Instituti S. Vincentii a Paulo committendum erigere constituimus. Motu igitur proprio, ac certa scientia, et matura deliberatione, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine hisce litteris Mongoliam a commemorato Vicariatu Leao-tung penitus sejungimus, subtrahimus, ac in peculiarem, et distinctum Vicariatum erigimus, et constituimus, ac hujusmodi Vicariatum Alumnis Instituti S. Vincentii a Paulo committimus, cum eisdem conditionibus, quibus Vicariatus Tehe-Kiang, et Kiang-si eis creditum fuit, electo ex eorum gremio ab hac Apostolica Sede Vicario Apostolico cum caractere, ac titulo Episcopali in partibus infidelium, omnibusque cum facultatibus necessariis, et opportunis, quae hujusmodi Vicariis Apostolicis ab hac Apostolica Sede concedi solent. Haec statuimus etc.

Datum in Arce Gandulphi sub Annulo Piscatoris die 28. Augusti 1840. Pontificatus Nostri anno decimo.

Pro Domino Card. Lambruschini

A. Picchioni Substitutus.

Tom. V.

Ee

*De Vicariatu Apostolico Mongoliae, Congregationi Missionis
commissio, ad Superiorem Generalem Congregationis
Missionis scribit.*

Dilecto Filio Joanni Baptistae Nozò Superiori Generali Institutu
S. Vincentii a Paulo Missionis.

GREGORIUS PAPA XVI.

*Dilecte Fili Salutem, et Apostolicam
Benedictionem.*

Cum per similes Apostolicas litteras hoc ipso die datas de VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio Sinensem Mongoliae regionem a Dioecesi Pekinensi jam disjunctam, ac Vicariatu Apostolico Leao-tung anno 1838. adjectam in distinctum Vicariatum Apostolicum erigendam duxerimus, ejusque curam Alumnis Institutu S. Vincentii a Paulo Missionis commiserimus, novi hujusce Vicariatus regimini prospicere vehementer optantes, eidem Vicariatu idoneum Praesulem praeficiendum constituimus cum caractere Episcopali, ac titulo Ecclesiae in partibus infidelium. Quamobrem de eorundem Cardinalium sententia, Tibi Dilecte Fili, qui illorum Alumnorum Superior Generalis existis, auctoritate Nostra Apostolica per hasce litteras committimus, et mandamus, ut ex tuis Alumnis eligas quem ad id muneris magis idoneum, ac digniorem in Domino existimaveris, quem quidem a Te auctoritate Nostra electum in Vicarium Apostolicum Mongoliae constituimus, et deputamus auctoritate, et tenore praesentis cum omnibus, et singulis facultatibus necessariis, et opportunis, quae ab hac Apostolica Sede hisce Apostolicis Vicariis concedi solent, salva tamen semper in praemissis Cardinalium ejusdem Congregationis auctoritate.

Datum ab Arce Gandulphi sub Annulo Piscatoris di 28. Augusti 1840. Pontificatus Nostri anno decimo.

Pro Domino Card. Lambruschini

A. Picchioni Substitutus.

*Principi Insularum Gambieres ob prosperos ibi Religionis
eventus gratulatur, et nonnulla numismata ad eundem
dono mittit.*

**Dilectissimo in Christo Filio Nostro Gregorio Stanislao
Principi Insularum Gambieres**

*Dilectissime in Christo Fili Noster Salutem
et Apostolicam Benedictionem.*

Quo cor Nostrum gaudio repleverint litterae a Celsitudine Tua ad Nos missae, haud facile explicare verbis possumus. Nihil enim amabilius, nihil optatius, quam vel quod de Tua simul ac Tui Populi conversione ad veram Catholicam Fidem laetabundus commemoras; vel quod de summo in Christum Jesum religionis studio significas, qui publicis etiam supplicationibus apud vos colitur, cuique Templum ex lapide suscepistis aedificandum; vel denique quod scribis de singulari qua estis affecti pietate in Deiparam Virginem Mariam, quam vestram appellare Matrem; et sollempniter honorare, ei istam quoque regionem dicendo gloriamini. Vere igitur speciosi fuisse dicendi sunt pedes evangelizantium isthic pacem, evangelizantium bona; quum adeo uberes ex eorum labore fructus extiterint. Gratulamur itaque quammaxime Tibi, ac Tuae genti universae, quod ita vobis ostenderit Deus misericordiam suam. Quare aequissimum est, quod virtutes Ejus annuncies qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum. Quum autem nunc sitis lux in Domino, ut filii lucis semper ambulate, abundantes in omne opus bonum, et spe gaudentes, quoniam merces vestra copiosa erit in coelo. Pro vobis autem, et Nos magna cum spiritus exultatione Deo gratias agimus: ac Tuae Celsitudinis Gentisque Tibi subjectae memores in obsecrationibus, et orationibus nocte ac die, eundem luminum Patrem, et misericordiarum enixe precamur, ut per Dilecti Filii sui merita, et Sanctissima Matre ejus Maria intercedente, sub umbra Vos protegat alarum suarum, custodiatque ut pupillam oculi. Porro quod meministi etiam de veste a Nobis accepta, ingenuum gratumque animum Tuum agnovimus: verum persuasum Tibi esse, Dilectissime in Christo Fili Noster, praeterea volumus, Nos quacumque in re possimus. Celsitudini Tuae commodare, paratissimos in Domino semper futuros. Interim tria ad Te mittenda duximus Numismata argentea, quae imagines referunt Alphonsi Confessoris atque Pontificis, Francisci, Joannis, Pacifici Confessorum, et Veronicae Virginis, quos superiore anno, in Festo Augustissimae Trinitatis, solemni Decreto venerandos Sanctorum cultu pronuntiavimus: et tria insuper Numismata ex auro, in quibus imago conspicietur D. N. Jesu Christi dum in no-

E e 2

vissima coena Petri Apostoli pedes lavaret. Ipsorum vero Numismatum duo, videlicet ex utroque genere unum, Dilectissimae in Christo Filiae Nostrae praestantissimae Principi Tuae Uxori trades: et haec munuscula tamquam indicia habebitis effusissimae illius charitatis, qua ambos in visceribus Christi prosequimur. Denique Benedictionem Apostolicam coelestium atque terrestrium bonorum auspiciem Tibi, Dilectissime in Christo Fili Noster, eidemque Tuae Conjugi, et fidelibus Tuis Populis toto paterni cordis affectu amantissime imper-
timur.

Datum Romae apud S. M. M. sub Annulo Piscatoris die 4. No-
vembris 1840. Pontificatus Nostri anno decimo.

A. Card. Lambruschini.

*Coadjutorem Vicariatus Apostolici Madraspatani, Vicarium
Apostolicum Bengalensem seu Calcuttae constituit.*

Ven. Fratri Josepho Carew Episcopo Philadelphiae, et Coadjutori
Vic. Ap. Madraspatani.

G R E G O R I U S P A P A X V I .

*Venerabilis Frater Salutem, et Apostolicam
Benedictionem.*

Pastorale officium etc. Itaque cum per obitum bo. me. Ludovici Tabord Episcopi Isauropolitani, et Bengalensis Ecclesiae Vicarii Apostolici Suterini memorata Missio, seu Vicariatus, Praesule ac Pastore destituta remanserit, de VV. FF. NN. S. R. E. Card. negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio eidem Missioni, seu Vicariatu consulendum esse censuimus. Quamobrem Tibi, qui in praesentia Coadjutor Vicarii Apostolici Madraspatani existis, ejusque vices, ac munus geris, quique singulari prudentia, pietate, doctrina, ac rerum gerendarum peritia maxime praestas, illud munus de eorumdem VV. FF. consilio tribuendum existimavimus: Quocirca Te a quibusvis excommunicationis etc. hisce litteris auctoritate Nostra Apostolica a Vicariatu Madraspatano ad Bengalensem transferimus, Teque ad Nostrum, et hujus Apostolicae Sedis beneplacitum in Vicarium Apostolicum praedictae Bengalensis Missionis eligimus, constituimus, et deputamus. Praeterea eadem auctoritate Nostra Apostolica Tibi facultatem facimus, ut in Madraspatana Missionis interim Pro-Vicarium Apostolicum ex illis operariis evangelicis constituas, atque relinquas, qui

Missionis ipsius curam gerat, donec ab hac Apostolica Sede aliter provisum fuerit. Mandamus etc.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 20. Novembris 1840. Pontificatus Nostri anno decimo.

A. Card. Lambruschini.

Archiepiscopum Latinum Smyrnaeum, Visitatorem Apostolicum mittit ad Graecorum, et Albanensium Colonias in Regno utriusque Siciliae.

Venerabili Fratri Antonio Mussabini
Archiepiscopo Smyrnae.

G R E G O R I U S P A P A X V I .

*Venerabilis Frater Salutem, et Apostolicam
Benedictionem.*

Cum graves acceperimus relationes, ex quibus necessarium sit Apostolicum Visitatorem in Regnum utriusque Siciliae mittere ad ea inquirenda, quae fidem moresque respiciunt inter Graecos et Albanenses Graeci Ritus, de VV. FF. etc. consilio, Te Ven. Fr. Archiepiscopum Smyrnaeum virum doctrina, prudentia ac Religionis zelo commendatissimum ad id muneris eligendum esse censuimus atque decernimus. Quapropter Te a quibusvis etc. Te Visitatorem Apostolicum Italo-Graecorum in Regno utriusque Siciliae cum necessariis et opportunis facultatibus ad negotia componenda auctoritate Apostolica tenore praesentium ad Nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum facimus et constituimus injuncto onere omnia deinde pro definitiva approbatione referendi, ac salva semper in praemissis Congregationis eorundem Card. auctoritate. Mandamus etc.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 13. Novembris 1840. Pontificatus Nostri anno decimo.

A. Card. Lambruschini.

Vicario Apostolico districtus Walliae Visitationem Apostolicam committit Provinciae Anglicanae FF. Minorum S. Francisci Strictioris observantiae.

Ven. Fratri Dominico Brown Congregationis Anglo-Benedictinae
Episcopo Appolloniae in partibus infidelium, et Vicario
Apostolico Districtus Walliae.

GREGORIUS PAPA XVI.

Ven. Frater Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Cum ex testimoniis gravitate praestantibus Nobis constiterit talem in praesentiarum esse Provinciae Anglicanae Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci strictioris observantiae statum, ut ad illam conservandam, augendam, atque ad rationem statuendam, qua illa amplificetur, et copiosorem Fratrum numerum habere possit, necesse omnino sit praeparata negotia componere eandem Provinciam respicientia, de VV. FF. NN. S. R. E. Card. negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio Apostolicum Visitatorem illius Provinciae statuere decrevimus. Itaque probe noscentes, Te singulari prudentia etc. hujusmodi munus de eorumdem VV. Fratrum consilio Tibi committendum censuimus. Quamobrem peculiari Te benevolentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, septentis, et poenis quovis modo, vel quavis de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, Te hisce litteris auctoritate Nostra Apostolica ad Nostrum, et hujus Apostolicae Sedis beneplacitum, in Visitatorem Apostolicum Provinciae Anglicanae Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci strictioris Observantiae eligimus, constituimus, et deputamus, Tibique omnes necessarias, et opportunas facultates tribuimus, quibus ea omnia perficere possis, quae ad superius commemorata peragenda in Domino expedire censueris, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Mandamus etc.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 15. Decembris 1840. Pontificatus Nostri anno decimo.

A. Card. Lambruschini.

Archiepiscopo Baltimorensi et ejus suffraganeis Episcopis in Fœderatae Americae Septentrionalis provinciis scribit eorum commendans virtutem, ac Religionis studium ob Concilii IV. Provincialis Baltimorensis celebrationem.

Venerabilibus Fratribus Samueli Archiepiscopo Baltimorensi,
et ejus Suffraganeis.

G R E G O R I U S P A P A X V I .

Ven. Fratres Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Plures accepimus litteras, quas in exitu Concilii Provincialis Baltimorensis IV. a Vobis mense Majo celebrati, ad Nos dedistis tum ut vestrum erga personam humilitatis Nostrae Sanctamque hanc Sedem obsequium repetita, una omnes, declaratione confirmaretis, nostrumque animum ex afflictis non uno in loco Ecclesiae rebus sollicitum, vehementerque dolentem, amantissime consolaremini; tum vero ut de omnibus Concilii actis more majorum ad supremam Petri Sedem referentes enixe precaremini, ut Decrèta in isto edita probare, vel etiam ubi opus fuerit emendare velimus, atque insuper nonnulla indulgere ac decernere, quae Vobis istic in Religionis bonum cessura visa sunt. Jam vero ad memoratas petitiones vestras responsum accipietis per Nostram Propagandae Fidei Congregationem, cui Concilii Acta cognoscenda mandavimus, ac Nostram super illis mentem significavimus. Et habebitis quidem in ejusdem Congregationis litteris novum documentum singularis benevolentiae, qua Vos, Venerabiles Fratres, Ecclesiasque vestras impense prosequimur. Vetum abstinere non possumus, quominus hac etiam Nostra Epistola meritis celebremus laudibus pastorem sollicitudinem, qua inducti rursus ex Canonum praescripto convenistis in unum, et invocato lumine Spiritus Sancti, consiliisque invicem communicatis, tueri studuistis Cleri disciplinam, et pietatem fovere fidelis Populi, atque adeo convellere vitiorum germina, seductionis pericula, propulsare, ac prospicere ut pueri puellaeque ad veram Fidem solidamque virtutem accuratius informantur; denique Vos ipsos excitare ad Ecclesiae jura sarta tecta servanda, et partes vestri muneris in animarum salutem alacriori usque sedulitate implendas. Profecto in iis, quae in Synodo a Vobis gesta scriptaque sunt, libentissime recognovimus zelum, quo inflammati estis, ut de Catholica Ecclesia, de Sancta hac Sede, ac de vestris Dioecesibus bene mereamini. Hinc autem firmiori vobiscum spe nitimur fore, ut Deo bene juvante floreat isthic quotidie magis Religio Nostra sanctissima, et merito juxta atque numero Catholicus Populus augeatur. Nos inte-

rea, licet indigni, non desistimus Fraternitates Vestras, creditoque Vobis greges Deo, et verbo gratiae ipsius suppliciter commendare, nec dubitamus quin Vos pariter minima intermittatis Patrem Misericordiarum per Jesum Christum Filium suum fervidis precibus obsecrare, ut infirmitatem Nostram difficillimis hisce temporibus sub immenso supremi Apostolatus pondere laborantem omnipotenti sua virtute sustentet, omnesque actus Nostros dirigat atque ad bonum exitum adducat. Denique Nostrae in Vos propensissimae voluntatis pignus adjungimus Apostolicam Benedictionem, quam ex imo corde depromptam vestrum singulis, atque istarum Ecclesiarum Clericis Laicisque fidelibus universis peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die 19. Decembris anni 1840. Pontificatus Nostri anno decimo.

GREGORIUS PP. XVI.

Redeunte ad Montem Libanum Presbytero Maronita Murad, illius gentis negotiorum gestore Patriarchae Nationis Maronitarum scribit de subsidiis, quae Catholicae Nationes tribuunt ut Maronitis, et Ecclesiae apud illos belli vicissitudines afflictae succurrant.

Venerabili Fratri Josepho Habaisi Patriarchae Anthiocaeno Maronitarum.

GREGORIUS PAPA XVI.

Ven. Frater Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Quum Dilectus Filius Nicolaus Murad Ecclesiae Tuae negotiorum gestor in Montem Libanum reverteretur, praetermittere nolimus, ut litteris hisce Nostram sollicitudinem Nostramque dilectionem tum erga Fraternitatem Tuam, cum erga universam Maronitarum gentem testificaremus. Ob calamitates sane gravissimas, quas ab hostilibus armis Sanctissima Christi Religio istic perpressa est, intima confecti fuimus amaritudine; verum eo loco positi qua contritiones Israel deplorare non sufficit, eo curas cogitationesque Nostras intendimus, ut quantum per Nos fieri posset afflictis Maronitarum rebus opitulareremur. Cum vero fidelium charitatem excitaverimus, ut Fratibus inopia aerumnisque gravatis suppetias ferrent, praecipuae Catholicorum Nationes paratas sese exhibuerunt ad ea suppeditanda subsidia, quibus prostratae istic Maronitarum Ecclesiae res passim istaurarentur, quapropter confidimus opportuna Tibi ad opus auxilia non defutura. Quae cum ita

se habeant, Venerabilis Frater, pietatis charitatisque Tuae erit providere, ut ea primo in pristinum statum restituantur, quae Dei Cultum ac Religionis exercitium attingunt, tum vero et illa diligenter curare, quibus miserrima Maronitarum conditio sublevari queat. Ad haec, quamquam Nos minime lateat pastoralis sollicitudo studiumque plane singulare, quo Ecclesiam tibi creditam moderaris, attamen pro supremo Apostolatus quo fungimur munere, sane non possumus quin Fratritatem Tuam sedulo enixeque in Domino adhortemur, ut vigilantiam qua hactenus ad Maronitarum procurandam salutem incubuisti augeas in praesentia, immo et ingemines. Novimus enim regiones istas ab heterodoxis non paucis perlustrari, ex quo quidem in quantum discrimen Catholicorum fides adducatur, tristissima omnium fere saeculorum ac nostrorum praesertim temporum experientia satis superque manifestat. Attende igitur Ven. Fr. universo Gregi, cui Te regendo Spiritus Sanctus praeposuit, atque in id modo operam industriamque omnem colloca, ut ab eodem sive haereseos, sive schismatis venenum arceatur. Ceterum in rebus, quae sive ad tui commodum, sive ad utilitatem Ecclesiae tuae pertinebunt, Nostram Sanctaeque Sedis Apostolicae benignitatem paratissimam fore pollicemur. Interea Tibi Gregique Tuo, quem paterna peculiarique complectimur charitate, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die 16. Februarii 1841. Pontificatus Nostri anno undecimo.

GREGORIUS PP. XVI.

Archiepiscopo Armacano ceterisque Archiepiscopis, et Episcopis Hiberniae gratulatur ob adhaesionem responsis S. Congregationis circa systema Nationalis institutionis.

Venerabili Fratri Guillelmo Crolly Archiepiscopo Armacano totius Hiberniae Primati.

G R E G O R I U S P A P A X V I .

Venerabilis Frater Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Non sine jucunda admodum animi Nostri laetitia perlegimus datas die XV. Februarii hujus anni, atque ab universis Hiberniae Archiepiscopis, et Episcopis subscriptas litteras, in quibus quidquid circa Nationale juventutis erudiendae systema Congregatio de Propaganda Fide, Nobis probantibus, constituit, unanimi omnium consensione

Tom. V.

F f

ac grato animo receptum esse significabatur. Quae quidem quum splendidissimum praeseferant testimonium devotionis, atque obsequii quo Sanctam Apostolicam Sedem Hibernenses Antistites prosequuntur, facile perspicias, Venerabilis Frater, cur in causa fuerint, ut Nos dolore atque aegritudine confecti ob crebra quae afflictæ Christi Sponsæ infliguntur vulnera, singulari ac perjucundo gaudio perfusi simus. Nihil enim in hac tristissima temporum conditione ad Religionis causam tuendam, atque ad confirmandos fideles expedit magis, quam ut Episcoporum coetus, Civitas nempe illa supra Montem posita, quae omnium ad sese oculos trahit, firmitatem qua Sanctæ Petri Sedi semper adhaesit luculentioribus argumentis patefaciat.

Quamobrem, Venerabilis Frater, in Domino exultantes, et Tibi, et Hiberniæ Praesulibus universis etiam atque etiam gratulamur ob egregiam virtutem qua gloriosis Majorum vestrorum vestigiis insistentes, filialem prorsus observantiam coram Catholico Orbe erga Cathedralam istam exhibuistis; ac Deo Misericordiarum Patri, ac Patri totius consolationis gratias agentes quam maximas.

Ipsam sedulo enixeque deprecamur, ut exemplis hisce nobilissimis omnium dignetur animos permovere, ut ii etiam qui jamdiu Catholicam Ecclesiam, quae sola Columna est, ac Firmamentum veritatis, dereliquerunt, tandem ad desertæ Matris sinum divina adjuvante gratia revertantur.

Ceterum in rebus omnibus, quae ad Hibernensium Ecclesiarum utilitatem pertinebunt, hujus Sanctæ Sedis benignitatem, Fraternalitatem Tuam, et omnibus Hiberniæ Pastoribus, quibus ut hæc communi-centur operam dabis, paratissimam semper fore pollicemur. Interim Tibi ac Venerabili Episcoporum Hibernensium coetui nec non Fidelibus universis ipsorum curæ commissis Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud S. Petrum die 28. Februarii 1841. Pontificatus Nostri anno undecimo.

GREGORIUS PP. XVI.

*Nonnulla loca Provinciæ Zelandiæ ab Diœcesi Gandavensi
disjungit, et Vicariatus Apostolico Bredano
attribuit.*

G R E G O R I U S P A P A X V I .

Ad perpetuam rei memoriam.

U n i v e r s i D o m i n i c i G r e g i s s a l u s N o b i s d i v i n i t u s c o m m i s s a a t q u e

concredita postulat, et efflagitat, ut nullis neque consiliis, neque curis, neque laboribus parcamus, atque ea omnia perficienda curemus, quae in majorem Christifidelium utilitatem redundare posse cognoscimus. Compositis itaque per similes Nostras Apostolicas litteras die secunda Junii anno superiori MDCCCXL. datas ecclesiasticis negotiis earum regionum, quae ex conventionione a Belgarum Regno sejuncta serenissimi Belgii, vulgo *Paesi Bassi*, Regis ac magni Luxemburgi, ac Limburgi Ducis Ditione restituta fuerunt, necnon designatis Vicariatum in eodem Regno existentium, seu erectorum limitibus, cum ejusdem Serenissimi Regis apud Nos, et hanc Apostolicam Sedem Orator Nobis exponendum curaverit, vel maxime congruum ipsi Regi videri ejusque in vobis esse, ut illae partes, quae adhuc subsunt Ven. Fratris Gandavensis Episcopi auctoritati Provinciae Zelandiae Paraeciae cum suis adnexis, seu cum actuali earundem territorio ab eadem Gandavensi Dioecesi sejunctae, et dismembratae Vicariatus Apostolici Bredani Administratoris jurisdictioni subjiciantur, Nos rebus omnibus maturo examine perpensis, et inspecta praesertim majore Christifidelium in iis locis disjungendis commoditate, atque utilitate, atque accepto ipsius Venerabilis Fratris Gandavensis Episcopi assensu, ac voluntate pro hujusmodi dismembratione, de VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio hisce postulationibus annuendum censuimus. Quamobrem Motu proprio, certa scientia, matura deliberatione, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine hisce litteris eas Zelandiae Provinciae Paraecias cum actuali earundem territorio, quae hactenus Gandavensi Episcopo subjectae fuerant, ab ipsa Gandavensi Dioecesi perpetuo auferimus, distrahimus, divellimus, ipsasque cum Vicariatu Apostolico Bredano conjungimus, et Bredani in tempore Praesulis iisdem in locis existentis auctoritati, et jurisdictioni omnino subjicimus, ac subjectae esse mandamus. Atque ut hujusmodi res suum sortiantur effectum in datum litterarum Exequutorem deputamus Venerabilem Fratrem Antonium Antonucci Episcopum Feretranum Gestorem Negotiorum hujus S. Sedis apud commemoratum Serenissimum Belgii Regem, ac Vice-Superiorem illius Regni Missionum cum omnibus, et singulis facultatibus necessariis, atque opportunis eadem prorsus ratione prout exequutio commemoratarum Nostrarum Apostolicarum Litterarum in simili forma Brevis diei II. Junii superioris anni MDCCCXL. ipsi demandata fuit. Haec volumus, statuimus, mandamus, decernentes has praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque etiam ex eo quod ii, quorum interest, aut interesse posset in futurum vocati, et auditi non fuerint aut praemissis etiam non consenserint nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae defectu notari, vel

in controversiam vocari posse, sed perpetuo validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, Sedis Apostolicae Nuncios, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de latere Legatos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstant. Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis de jure quaesito non tollendo, et de unionibus committendis ad partes vocatis, quorum interest, nec non Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuas nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentes, aliisque Apostolicis, atque in generalibus provincialibusque, et synodalibus Conciliis editis, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, ac quibuscumque concordiis, et conventionibus forsae initis roboratis, confirmatis, et approbatis, privilegiis quoque indultis, et Litteris Apostolicis, illis alias in suo robore permansuris ad effectum praesentium, et validitatis omnium, et singulorum praemissorum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, et derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque. Hujusmodi vero litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu Notarii publici subscriptis, et sigillo personae ecclesiastica dignitate ornatae munitis, eandem ubique locorum in judicio, et extra fidem haberi volumus, quae ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae voluntatis dismembrationis, divisionis, exemptionis, unionis, subjectionis, commissionis, deputationis, mandati, decreti, ac derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 4. Martii 1841. Pontificatus Nostri anno undecimo.

A. Card. Lambruschini.

229

*Praesidi Reipublicae Haitarum in Insula S. Dominici scribit de
R. P. D. Josepho Rosati Episcopo S. Ludovici quem ad compo-
nenda Ecclesiastica negotia Reipublicae ejusdem cum Delegati
Apostolici munere , illuc mittit.*

Dilecto Filio Illustri, et Honorabili Viro Joanni Petro Boyer
Haitarum Reipublicae Praesidi.

G R E G O R I U S P A P A X V I .

*Dilecte Fili Illustris, et Honorabilis Vir Salutem,
et Apostolicam Benedictionem.*

Pontificii muneris ratio, et sollicitudo Universalis Ecclesiae, cui regendae per immensam Divinae Bonitatis abundantiam plane immerentes praefecti fuimus, nullam Nos sinunt occasionem praetermittere, ut quae Gentis Haitianae spirituale emolumentum attingunt, ea opportune, ac salubriter procuremus. Cum igitur Venerabilis Frater Josephus Episcopus Sancti Ludovici in faederatis Americae Provinciis reditum ex Urbe in suam Diaecesim pararet, illum ad Nobilitatem Tuam mittendum duximus, ut tanquam Delegatus Noster, quae ad Religionem pertinent praesens inviseret, ac de iis componendis Tecum pertractaret. Novimus enim (quod sine maximo animi dolore commemorare non possumus) Religionem Catholicam in Republica ista sensim sine sensu labefactari, nec jam ad vitam, moresque recte conformandas, vim suam exercere, adeoque aeternam animarum salutem in gravissimum discrimen adduci. Quandoquidem vero, Dilecte Fili, Te minime lateat morum perversitatem, Religionisque contemptum non leve Reipublicae detrimentum inferre, supervacaneum profecto foret si ea rursus hic percenseremus, quae alias per Venerabilem Fratrem Joannem Episcopum Carolopolitanum Tibi in hanc rem significavimus: quum videlicet plurium Regionum exempla proposuimus quibus ob Catholicam in eis florentem Fidem, omnia bene ac feliciter successerunt. Verum ne Haitarum Gens iis destituatur commodis praesidiisque, quae ex Divinae Religionis cultu proficiscuntur, ab ea removeatur oportet quidquid impedimento esse potest ne sic res Christiana geratur, quemadmodum Fidei Auctor, et Consummator Christus Divinitus constituit, atque sancivit. Quae quidem cum ita se habeant, Illustris et Honorabilis Vir Legationem istam veluti peculiarem benevolentiae Nostrae significationem erga Te, et Rempublicam istam excipias, illudque certo scias Praesulem amplissimum a Nobis ad tale munus destinari quem ob egregias animi sui dotes, atque ob plurimos pro Christi Fide exantla-

tos labores singulari prorsus dilectione prosequimur. Ceterum eo vota Nostra referuntur (quae a Patre misericordiarum, ac Deo totius consolationis benigne excipienda confidimus) ut quaecumque Catholicae Fidei obsunt, e Religionibus istis eliminentur, quae vero ad Religionem instaurandam, et ad aeternam animarum salutem promovendam conducuntur, ea instituantur, atque firmentur.

Itaque, Dilecte Fili, Venerabilem Fratrem Episcopum Sancti Ludovici munus suum Apostolicum exequentem tuearis patrocini tuo validissimo, ac negotium hujusmodi quo Dei gloria, Gentisque Tuae agitur salus, pro viribus adjuves, foveasque; ita enim Haitianae Reipublicae eam firmitatem, ac pacem comparabis quae nunquam a germana pietate sejungi potest; simulque dum apud Tuos Viri optime de Patria meriti consequeris laudem, indeficienter apud Deum beatitudinem promereberis. Ad cujus interim auspiciam, et pignus Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die 14. Martii 1841. Pontificatus Nostri anno undecimo.

GREGORIUS PP. XVI.

*Nonnulla decernit pro meliori Custodiae Terrae Sanctae,
ac Finitimarum Missionum regimine.*

GREGORIUS PAPA XVI.

Ad perpetuam rei memoriam.

In supremo Episcopatus culmine positi muneris Nostri esse censemus non modo Apostolicos viros per orbem universum mittere, qui novas Missiones constituent, atque Evangelii lumen longe, lateque diffundant, verum etiam illorum labores apte dirigere, eaque ratione rei catholicae ubicumque providere, quae fidei propagandae, ac conservandae utilior existat. Enim vero si primum illud Deo favente, feliciter Nobis contigisse gaudemus; nullis profecto curis, nullis laboribus pepercimus, ut alterum quoque consequeremur, aptioremque rerum ordinem locis congruentem induceremus: Peculiarem hanc Nostram sollicitudinem postulare videntur regiones illae, quae Fratribus Minoribus S. Francisci Custodiae Terrae Sanctae addictis sunt commendatae, quorum profecto munus latissime patet: primo enim Sanctuaria Palaestinae, quae Christus Dominus praesentia sua, ac passione decoravit, ipsis debito cultu servanda tradita fuerunt, iisdem Catholicorum fidelium ritus latini, quandoque etiam rituum Orientalium

cura est demandata, denique omni ope adlaborare debent, ut Schismatici, Haeretici, ac Infideles viam veritatis agnoscant, et unicum Christi ovile Ecclesiam catholicam ingrediantur. Porro facultates, et mandata, quae Vicariis Apostolicis Alepi, ab ipsa Vicariatus erectione in hanc usque diem tradita fuerunt; hujusmodi profecto sunt, ut inde aliqua ex parte imminuta videantur jura, ac privilegia quibus ex Praedecessorum Nostrorum concessione fruebatur Guardianus, seu Custos Terrae Sanctae. Pluries proinde ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide preces delatae fuerunt ex parte praesertim Vicariorum Apostolicorum, ut utriusque muneris jurisdictionio certis limitibus praefiniretur, atque omnis adimeretur locus controversiis, quae si ubivis, in locis praesertim Missionum non sine magno Religionis detrimento inter Ecclesiasticos Viros agitentur. Rem proinde VV. FF. NN. Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus Sacri Consilii de Propaganda Fide sedulo examinandam tradidimus, ac de eorum sententia, habitaque ratione eorum omnium quae Dilectus Filius Noster Aloisius Tituli S. Callixti S. R. E. Presbyter Cardinalis Lambruschini nuncupatus seraphici Ordinis Protector, ac Dilectus pariter filius Fr. Joseph Maria ab Alexandria Minister Generalis Minorum Observantium, ac Reformatorem S. Francisci hac super re Nobis repraesentaverunt, auctoritatem tam praefati Vicarii Apostolici Alepi, quam Custodis, ac Guardiani Terrae Sanctae aptiori modo definiendam decrevimus. Motu igitur proprio, ex certa scientia, ac matura deliberatione, deque Apostolicae potestatis plenitudine constituimus, ut Guardianus Terrae Sanctae pro tempore jura, quae eidem competunt ad normam Apostolicarum Constitutionum libere exercent in universa Palaestina, atque Insula Cypri, quin Vicario Apostolico Alepi ulla in regionibus illis auctoritas competere amplius valeat. Cum vero ad Custodiam PP. Minorum Terrae Sanctae Conventus, et Hospitia nonnulla pertineant in variis Syriae locis extra Palaestinam, ubi sacro etiam ministerio in populi utilitatem funguntur, decernimus, ut in iis quoque permaneant, et omnia, uti antea, pro fidelium bono praestare prosequantur. Attamen reservata in eos auctoritate P. Guardiani Terrae Sanctae, prout Regularis Superior existit Provinciae, seu Custodiae Terrae Sanctae in iis, quae regularem observantiam spectant, volumus, et constituimus, ut Vicario Apostolico Alepi, cui Syria universa subest, ii quoque subiciantur, quemadmodum ceteri Missionarii Regulares, qui in praefato Syriae Vicariatu degunt. Ita Vicarii Apostolici, et Guardiani Terrae Sanctae jurisdictione composita, limitibusque statutis, quos uterque servare in posterum debeant, fore confidimus, ut difficultatibus omnibus de medio sublatis, in satis ampla provincia eorum respective sollicitudini commissa adlaborare impensius pergant. Neque vero diversa ratione agendum putavimus, cum animo recolentes quot quantaque in-

erementa Catholica Fides in Aegypti regione sibi polliceri posset per Nostras Litteras in simili forma Brevis die XVIII. Maii anno 1839. quae incipiunt « *Ex munere Pastoralis ministerii* » Missionem Inferioris Aegypti a Guardiani Terrae Sanctae, qui eam uti Praefectus Apostolicus regebat, jurisdictione abstulimus, Missionem insuper Superioris Aegypti, atque Arabiam a Vicariatu Apostolico Alepi disjuximus; quibus ex regionibus novum constituimus Vicariatum Apostolicum, quem Venerabili Fratri Perpetuo Episcopo Fesseitano commisimus. Porro, ut ea omnia, quae regimen Terrae Sanctae respiciunt Nostra hac Constitutione complectamur, praefatam dismembrationem in omnibus suis partibus, ac Vicariatus Apostolici in Aegypto erectionem ratam habentes, ac confirmantes, declaramus pariter, quod Fratres Minores Custodiae Terrae Sanctae addicti Missionem, quam in Inferiori Aegypto exercebant, obtinere adhuc debeant ea ratione, ut subjectio, quam Vicario Apostolico, quemadmodum alii Missionarii Regulares ipsius Vicariatus praestare debebunt, nullo pacto impediatur, quin ad Regularem Familiam Terrae Sanctae adhuc pertineant, atque in iis omnibus, quae regularem observantiam respiciunt, P. Guardiani obsequi omnino debeant.

Ad ipsam vero Terrae Sanctae Custodiam Seraphici Ordinis Alumnis creditam sollicitudinem Nostram propius convertentes, quod pro majore ipsius cultu, ac splendore et pro fidelium illuc confluentium utilitate jam praestitimus, iterum sancire, ac solemniori modo confirmare statuimus. Perpendentes enim ad Sanctuaria illa, ubi Reparationis Nostrae Mytheria peracta fuere, devotionis causa magno numero fideles ex omnibus nationibus properare, per Nostram Congregationem de Propaganda Fide Poenitentiariorum in Urbe Hierosolymitana constituendos curavimus, qui peccatorum confessiones in praecipuis illarum nationum linguis excipere assidue valerent. Ut igitur Nostrae hujus sollicitudinis fructus jugiter percipiatur, praefatum Congregationis Decretum iterum approbantes mandamus, ut in Urbe Hierosolymitana duodecim Poenitentarii ad normam Poenitentiariorum Basilicarum Urbis semper haberi debeant, quorum tres pro lingua Araba, ceteri vero pro Itala, Hispanica, Gallica, Britannica, Germanica, Hungarica, Polonica, Graeca, ac Turcica deputentur. Muneris porro erit Superioris Generalis Ordinis S. Francisci in Urbe constituti diligenter curare, ut praesto semper sint Viri pietate, scientia, ac zelo praestantes, pro singulis ex praedictis linguis, quos ad ipsam Congregationem de Propaganda Fide deferret, ut ab eadem ceterorum Missionariorum more Missionarii Apostolici, ac Poenitentarii instituuntur. Ii vero omnibus juribus, ac privilegiis gaudebunt, quibus alii Missionarii ex Ordine Minorum S. Francisci de Observantia potiuntur, attamen sub obedientia P. Guardiani Terrae Sanctae suo muneri satisficient.

Denique supramemorati Dilectus Filius Noster Aloisius Card. Lambruschini Ordinis Protector, ac Dilectus Filius Josephus ab Alexandria Minister Generalis considerationi Nostrae subjecerunt breve nimis, atque angustum videri triennii spatium, quo munus Guardiani, aliorumque Officialium Terrae Sanctae perdurat, quemadmodum et praefinitur tempus in Custodia permanendi pro Fratribus Minoribus, qui ex variis Ordinis Provinciis visitantium nomine ad illam destinantur: optantes proinde, ut illorum ministerium S. Custodiae, ac populo ibidem degenti magis utile evadat, preces Nobis obtulerunt, ut perduratio ditorum munerum, ac mansio in Custodia pro Visitantibus ad longius tempus protraherentur. Nos igitur, qui vel maxime cupimus, ut praefati Regulares non modo in rite custodiendis Sanctuariis Palaestinae, verum etiam in animarum salute procuranda diligentem navent operam, derogantes in hac parte Constitutioni S. M. Benedicti XIV. Praedecessoris Nostri, quae incipit « *In supremo militantis Ecclesiae solio* » decernimus, ut in posterum Custos Terrae Sanctae seu Guardianus S. Sepulchri, quemadmodum et ceteri Officiales, quorum munus triennio concludebatur, ad sexennium illud exercent, idemque temporis spatium pro iis constituimus, qui Visitantium nomine in Custodiam se conferunt ex omnibus Ordinis Provinciis, ut eidem inserviant, firmis ceteris remanentibus, quae in praefata, atque in aliis Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus continentur pro regimine Terrae Sanctae.

Superest jam, ut Ecclesiasticos Viros, et sacros Ministros cujuscumque gradus, ordinis, ac ritus, qui in praefatis Missionibus, ac praesertim in Custodia Terrae Sanctae degunt, etiam atque etiam hortemur, ut sollicitudini Nostrae in primis respondeant, in vinea Domini strenue adlaborare curent, prae oculis habeant illorum exempla, qui in Ministerio isto difficilioribus sane temporibus eos praecesserunt, quorum intuentes exitum conversationis, imitentur fidem, zelum Domus Dei, sollicitudinem, qua omnes cupiebant in visceribus Christi pro quo interdum gravissima quaeque libentissime pertulerunt; ita enim eandem ac illi immarcescibilem gloriae coronam a Pastorum Principe consequentur.

Decernimus vero has praesentes Litteras firmas, validas et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 23. Martii 1841. Pontificatus Nostri anno undecimo

A. Card. Lambruschini.

R. P. D. Josephum Rosati Episcopum S. Ludovici Delegatum Apostolicum designat ad componenda Ecclesiastica negotia Reipublicae Haitarum in Insula S. Dominici.

Venerabili Fratri Josepho Rosati Episcopo S. Ludovici
in foederatis Americae Septentrionalis Provinciis.

G R E G O R I U S P A P A X V I .

*Venerabilis Frater Salutem , et Apostolicam
Benedictionem.*

Universi Dominici Gregis salus Nobis divinitus concredita, atque commissa postulat, et efflagitat, ut summa vigilantia, et cura omnium Christifidelium bono consulamus, eaque peragenda curemus, quae in Catholicae Ecclesiae utilitatem, animarumque salutem cedere posse videntur. Itaque quum magno paterni animi Nostri dolore noverimus in Haitarum Republica res ecclesiasticas adeo afflictas, ac perturbatas reperiri, ut peculiaris aliqua hujus Apostolicae Sedis providentia necessaria prorsus videatur, de VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, aliquem idoneum virum eligendum censuimus, qui in Haitarum Insula Delegati Apostolici munere fungens, ac omnibus facultatibus necessariis, et opportunis instructus catholicae religionis causam agat, ejusque necessitatibus consulat; hujusmodi vero munus de eorundem Fratrum consilio Tibi committendum duximus, cujus prudentia, probitas, religionis zelus, et in rebus ecclesiasticis sollertia, atque peritia Nobis satis est probata. Quamobrem egregiis Tui animi, ingeniique dotibus summopere in Domino fidentes, hisce litteris, Te Venerabilis Frater, auctoritate Nostra Apostolica in Nostrum, et hujus S. Sedis Delegatum Apostolicum apud totius Haitarum Reipublicae Praesidem cum omnibus facultatibus necessariis, et opportunis eligimus, constituimus, et deputamus, ut ea in republica Catholicae Religionis causam suscipere, et agere possis, ejusque bono, et commodo pro viribus consulere valeas. Te vero in Domino hortamur, ut singulari cura, studio, et diligentia ea omnia provide scienterque agenda cures, quae ad spiritualem illorum fidelium salutem procurandam, et Religionis bonum augendum pertinere posse videntur. Nos interim in humilitate cordis Nostri Patrem misericordiarum, et Deum totius consolationis rogare non desinemus, ut det Tibi spiritum sapientiae, et intellectus, spiritum consilii, et fortitudinis, quo omnia a Te hac super re perficienda optatum exitum consequantur. Non obstantibus Consti-

tutionibus, et sanctionibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 30. Aprilis 1841. Pontificatus Nostri anno undecimo.

A. Card. Lambruschini.

Ut apud exterarum gentes innotescat quanta sit Collegii Urbani S. Congregationis de Propaganda Fide praestantia, prospectus ejusdem Collegii typis editus est anno 1841., quem hic adjungere consonum esse visum est collectioni tot monumentorum S. Congregationem respicientium.

PROSPECTUS

Collegii Urbani S. Congregationis de Propaganda Fide, atque ejusdem Alumnorum ad scientiarum studia, et ad Sacerdotium institutionis.

Quod Romanis Pontificibus fuit semper animo propositum, ut divina Jesu Christi Domini Nostri Religio ubique terrarum amplificaretur, id in primis Gregorius XV., atque Urbanus VIII. sedulo intenderunt, atque insigni data opera plenius assequi sategerunt. Gregorius enim apostolico incensus ardore atque orbis universi ad Christum convertendi studio flagrans, per bullam die 22. Junii anno 1622. editam, coetum nonnullorum S. R. E. Cardinalium fidei propagandae praefecit, atque ita inclytæ illius Congregationis quæ optime quovis tempore de Catholica Religione merita est providus extitit Institutior. Urbanus vero VIII. pietissimum praedecessoris sui consilium suscipiens atque ad praestitutum ab illo exitum perducere cupiens, die 1. Augusti anno 1627. Pontificium de Propaganda Fide Collegium statuit, atque illud ad aeternam Fundatoris memoriam usque ad hunc diem Urbanum appellatur. Porro finis ab Urbano intentus in hoc erigendo instituendoque Collegio dignissimus sane fuit, qui a supremo Ecclesiae capite intenderetur. Voluit nimirum Pontifex ille Maximus. ut in Urbe totius Catholici Orbis principe adolescentibus cujuscumque regionis et quocumque idiomate loquentibus adminicula omnia praesto essent, quibus et scientiis praesertim sacris ii imbuerentur, et ad sinceram germanamque pietatem informarentur, ut, videlicet ad Christi fidem in quavis orbis plaga sive praedicandam primum, sive confirmandam ac propagandam, apti idoneique efficerentur.

Hic autem finis cum ad divinae gloriae incrementum atque ad ani-

S. Congregationis et Collegii Institutio ac finis.
Collegii privilegia.

marum salutem mirifice cedat, omnes Romanos Pontifices Urbani VIII. Successores permovit, ut Collegium de Propaganda Fide studio semper peculiari, singularique benevolentia prosequerentur. Atque hinc factum est ut ejusdem Collegii Alumnis praeclara privilegia et favores sane perinsignes fuerint impertiti. Benigne enim elargiti sunt ut *ii titulo missionis, extra tempora, non servatis interstitiis* sacros ordines suscipere possent, ut ex ipsis unus quotannis *coram Pontifice ac Purpuratis Patribus* latinam solemnem Pentecostes die orationem haberet, ut *ii* per certum spatium in publicis supplicationibus Pontificem comitarentur, ut duo denique ex eisdem Feria V. in Coena Domini tanquam Apostoli ad sacram pedum lotionem, quam Pontifex ipse in Vaticana Basilica facit, admitterentur. Accedit et illud, quod ab iisdem summis Pontificibus Urbano Collegio concessum est, ut ejus Alumni qui solemnem factam scientiarum periculo, optimum profectus sui specimen exhibuerint, Philosophica, aut Theologica laurea ab Eminentissimo S. Consilii Cardinali Praefecto donarentur.

Quae ad Alumnorum admissionem sint requisita. Quoniam vero quae Dei sunt, ordinata sint oportet, sapienter provisum est, ut quae Alumnorum delectum attingunt, ea rite atque ex ordine fierent, simulque ut in Collegio ea sive institutionis sive studiorum ratio adoptaretur, qua inviolabiliter servata, adolescentes in sortem Domini vocati atque ad apostolicum ministerium electi, congrua morum sanctimonia atque opportuno scientiarum subsidio instruerentur. Itaque adolescens, qui se apostolico ministerio dedicare in Domino statuerit; atque ideo in Urbanum excipere Collegium exoptaret, Episcopo, aut Apostolico loci, in quo degit, Vicario, seu etiam alteri viro, qui Romae apprimè sit notus, vota ista sua aperiat oportet. Ab his quaedam excipiet quaesita (extant in calce hujus prospectus) quibus ubi ita scripto responderit, ut Episcopus, aut alter qui ea illi tradidit, prudenter judicare possit, ipsum ad Collegii finem assequendum idoneum esse, tunc is per literas (quibus responsa ad quaesita una cum opportunis notitiis erunt adnectenda) memorato Eminentissimo Cardinali Sacro Consilio Christiano Nomini Propagando Praefecto proponetur. Romam vero Candidatus minime petet, nisi posteaquam ab Eminentissimo Praefecto epistolam acceperit, qua se inter Collegii Alumnos adsciscendum esse deprehenderit; quod si quis, ut contigit aliquando, litteris illis non exceptis, Romam venerit, continuo in patriam suam reverti adstringeretur. At ubi adolescenti significatum expresse sit, ut Collegium ingressurus in Urbem se conferat, is secum testimonia de studiis, quibus operam navavit, de Baptismatis, et Confirmationis Sacramentis sibi collatis, ac de ordinibus fortasse susceptis Romam proficiscetur. Statim vero ac in Urbem pervenerit, Collegium adibit, literasque illius, quo curante in Alumnus adlectus est, exhibebit: quod si absque legitima causa, vel

paulisper moraretur extra Collegium, is in illud nunquam in posterum admitteretur.

Omnes porro Collegii Alumni, iis quibus subjicientur praepositis, dociles in omnibus obtemperabunt; rebus, quas secum detulerunt non nisi de eorum consensu uti poterunt, nec obedientiae tantummodo studiosi erunt observatores, sed solerter ac studiose in id etiam incumbunt, ut virtutum omnium habitus sibi comparent. Qui enim idcirco eliguntur, ut *eant, et fructum afferant, ut sal terrae futuri sint atque mundi lux*, homines ad divinae Religionis cultum nec adducere unquam poterunt, nec revocare, nisi primum, quam populis praedicabunt, eam ipsi vitae praesferant sanctitatem. Ubi vero Alumnus decimumquartum aetatis suae annum expleverit, ac septimum ab admissione mensem attigerit, praescriptum de more juramentum emit- tet, quod nihilominus justis de causis in aliud tempus differre Collegii Moderatoribus integrum erit. Nemo tamen ad ullum (minorem licet) ordinem promoveri poterit, nisi prius hoc juramentum praestiterit, ac luculentum pietatis industriaeque suae specimen praebuerit. Ad haec autem iusjurandum illud adstringit Alumnos, ut nimirum omnia ac singula Collegii statuta accurate atque inviolabiliter servent, ut congruo tempore sacris ordinibus initiarentur, ut in Ecclesiasticam, unde discessere provinciam ad Apostolicum ministerium in ea perpetuo exercendum revertantur, ut demum cum in eam redierint, saltem quotannis si in Europa, aut singulis bienniis si extra illam versabuntur, cum S. C. de Propaganda Fide de rebus ad se, atque ad Missionem suam pertinentibus communicare teneantur. Quidam tamen ex Alumnis, satis probato consilio, nequaquam jurant se in eam praecise regionem e qua advenerunt, reversuros, sed eam solummodo suscepturos esse Missionem ad quam a S. C. destinabuntur.

Discipli-
na Colle-
gii.

Ratio stu-
diorum.

Ad studiorum vero rationem quod attinet, ubi illa ab Alumnis latina lingua satis instructis ineantur, sex annorum periodo absolvuntur. Duo priores anni philosophicis disciplinis excolendis, Logicae videlicet, Metaphisicae, Ethicae, Matheseos, ac Physicae impenduntur, quatuor vero insequentes Theologiae Dogmaticae ac Morali, tum Scripturae Sacrae, Historiae Ecclesiasticae, ac Juri Canonico addiscendis impenduntur. Interim vero pro Missionum ad quas Alumni proficiscuntur varietate, severioribus iis disciplinis diversarum linguarum ac praesertim Syriacae, Graecae, Armenae, Arabicae, ac Sinensis studium adjungitur, atque interea dum haec excoluntur, Gregoriani cantus et sacrae eloquentiae studium non praetermittitur. Ceterum ne adolescentes studiorum assiduitate nimis defatigentur, semel in hebdomada ad animos recreandos in villam pergunt suburbanam, in autumnalibus vero feriis ad Tusculanam villam aëris solubritate praecipuam se conferunt, ut vires totius anni laboribus fractas longiori corporis atque

animi solatio reficiant. Scholastico autem anno ad exitum perducto, publicae interdum de memoratis superius disciplinis disputationes habentur, atque Academicae exercitationes, studiorumque curriculum solemnem aureorum argenteorumque numismatum distributione coronatur, ut scilicet eorum virtus atque industria qui pietate ac scientia per annum ceteris praestiterunt, insigni laudatione promeritisque muneribus cohonestentur. Singulis praeterea annis primo post Epiphaniam Dominico die, Academica fit exercitatio, in qua a diversarum nationum delectis adolescentibus variae elucubrationes, nativa cujusque lingua compositae recitantur. Quae quidem publica Academia semper et illustri praesentia plurimum S. R. E. Cardinalium, et nobilissima Praesulum atque amplissimorum virorum frequentia decoratur.

Alumno-
rum Di-
scensus.

Quum vero studiorum expleto curriculo ad suam pergere Missionem Alumnum oportebit, atque eidem Sacra Congregatio congruas vestes, aliaque ad iter peragendum adminicula necessaria suppeditaverit; per viam a superioribus designatam abibit, neque illi ab ea vel paullulum declinare licebit, nisi ad id gravi admodum legitimaque causa adigatur.

Animad-
versio.

Illud tandem hic animadvertendum superest, in Collegii Urbani discipulorum numerum neminem praeter Alumnos admitti posse, nisi id Pontifex ipse Maximus alicui indulgeat.

A CANDITATIS QUAERENDUM.

1. *Eorum nomen et cognomen.*
2. *Aetas.*
3. *Parentum nomina.*
4. *Vivant parentes an mortui sint?*
5. *Parentum quae Religio?*
6. *Cujus Dioeceseos ac Provinciae sint? (Candidati)*
7. *Sani ne sint ac lingua expediti?*
8. *Quae eorum aptitudo ad studia?*
9. *Locus Baptismi?*
10. *Cujus sint ritus?*
11. *An susceperint Confirmationem?*
12. *Duxerintne aliquando uxorem?*
13. *An sponsalia contraxerint?*
14. *An ordines susceperint, et quos?*
15. *Quibus studiis operam dederint, et ubinam?*
16. *Quare velint Romam proficisci?*
17. *Cur in Urbanum Collegium admitti cupiant?*
18. *An sciant quid importet apostolicum ministerium?*
19. *An habeant animum servandi regulas Collegii, perseverandi, ac juramentum suo tempore suscipiendi?*

Cum Dublini pientissimarum mulierum societas esset instituta, quae Sororum Misericordiae dicitur, illam S. Congregatio sequenti epistola primum laudandam, et commendandam censuit: Deinde Regulas, et Constitutiones ejusdem Societatis confirmandas judicavit quod post Regularum, et Constitutionum contextum hic refertur.

Ad Illmum, et Rmum Dominum Danielem Murray
Archiepiscopum Dublini.

Dublinum die 24. Martii 1835.

Quantopere S. Congregationi, et SSmo Domino Nostro probetur consilium a pientissima muliere Catharina Mac-Auley initum, societatem mulierum instituendi quae ab operibus, quibus intenta esse debet, misericordiae appellatur, A. T. intelliget ipsa per se, quin oporteat me illud verbis explicare: Praetereo enim quanta laude digna societas illa esse debeat, quae pauperibus praesertim juvandis, infirma valetudine laborantibus omni ratione erigendis, mulieribus in discrimine honestatis versantibus charitatis officio tuendis, labores curasque suas omnes convertat. Dicam tantum ex ejusmodi institutione summam utilitatem tum erga civilem societatem, tum erga Religionem esse profecturam. Laudavit igitur S. Congregatio amplissimis verbis memoratum religiosissimae mulieris consilium: Sanctitas Sua autem non modo societatis illius institutionem probavit, sed etiam paterna sua benevolentia, atque apostolica benedictione illam dignam vere esse declaravit. Tantummodo illud assentiri non opportunum in praesentiarum esse censuit ut piae feminae quae in illam societatem cooptantur vota solemnia faciant: Concessit tamen ut quoniam ea societas sequendas sibi proposuit regulas, et constitutiones Ordinis praesentationis B. M. Virginis a S. M. Pio PP. VII. probatas, Amplitudinis Tuae iudicio praeter illas regulas, ac constitutiones, ea praescribantur a societate Misericordiae servanda, quae considerato societatis objecto, et piis operibus quibus operam dare debet statuenda esse existimabis.

Precor Deum etc.

Jacobus Philippus Card. Franonius Praefectus

Angelus Majus Secretarius.

LA REGOLA E LE COSTITUZIONI

DELLE RELIGIOSE.

NOMINATE SORELLE DELLA MISERICORDIA.

PARTE PRIMA

C A P O I.

Dell' oggetto della Congregazione.

1. **L**e sorelle ammesse a questa religiosa Congregazione oltre il tendere particolarmente alla propria perfezione, fine principale di tutti gli Ordini Religiosi, devono ancora avere in vista ciò ch'è il caratteristico speciale di questa Congregazione, cioè la più assidua applicazione alla educazione delle povere fanciulle, di visitare gl' infermi, e di proteggere le femmine povere e di buona riputazione.

2. Nell' intraprendere quest'ardua, ma meritevole obbligazione d' istruire le povere, le sorelle che Iddio si è degnato chiamare a questo stato di perfezione, devono animare il loro zelo, e fervore sull' esempio del loro Divino Maestro Gesù Cristo, il quale in tutte le occasioni ha mostrato un amor tenero verso i poveri, ed ha dichiarato, che riguarderebbe come fatta a se stesso qualsivoglia cosa venisse fatta ad essi.

C A P O II.

1. Le sorelle destinate dalla Madre Superiora ad impiegarsi nelle scuole, ne intraprenderanno la cura con ogni carità, ed umiltà, colla purità d' intenzione, e confidenza in Dio; e memori della loro vocazione, e della gloriosa remunerazione annessa al fedele adempimento di questo dovere, ne accetteranno allegramente ogni lavoro e fatica.

2. Prima di entrare nella scuola le sorelle solleveranno i loro cuori a Dio, ed alla Regina del Cielo, raccomandando se stesse, e le ragazze alla loro cura e protezione; procureranno di eccitare nelle medesime una sincera divozione verso la Passione di Gesù Cristo, alla sua presenza reale nel SSmo Sacramento, all' immacolata Madre di Dio, ed ai loro Angeli Custodi.

3. Le sorelle insegneranno alle fanciulle ad offrire i loro cuori a Dio allo risvegliarsi la mattina, ad adorare la sua suprema Maestà,

ringraziandolo di tutti i favori; ed a munirsi del segno della croce; le insegneranno la maniera di dirigere tutt' i loro pensieri, parole, ed opere alla gloria di Dio, ad implorare la grazia di conoscerlo, amarlo, ed osservare i suoi comandamenti, il modo di esaminare le loro coscienze e di rispettare i loro Genitori e Superiori.

4. Insegneranno loro il metodo di assistere divotamente al santo sacrificio della Messa, come devono prepararsi per la Confessione, e saranno sollecite a disporle per i Sacramenti della Cresima, e della S. Comunione.

5. Le sorelle saranno convinte che nessun' opera di carità può produrre maggior bene alla società, nè promuovere la felicità dei poveri, quanto la diligente istruzione delle femmine, poichè in qualsivoglia stato che sieno destinate a vivere, il loro esempio e le loro ammonizioni sempre v' influiranno molto, e dovunque presiede una donna divota, ivi generalmente si trovano la pace ed il buon'ordine.

C A P O III.

Del visitare gl' Infermi.

1. La misericordia quel sentiero principale indicato da Gesù Cristo a quei che vogliono seguirlo, ha in tutti i tempi della Chiesa eccitati i fedeli in una maniera particolare ad istruire, ed a confortare i poveri ammalati e moribondi; perchè in essi riguardavano la persona del Nostro Divin Maestro, che ha detto; *Amen dico vobis quodcumque facistis uni ex his minimis meis, mihi fecistis.*

2. Le molte guarigioni miracolose fatte dal nostro Salvatore, ed il potere di sanare concesso agli Apostoli, dimostrano la sua tenerezza per gli ammalati. I più eminenti tra i Santi hanno dedicato la loro vita a quest'opera di misericordia; tra i quali si distinguono S. Vincenzo de Paolis, S. Giovanni di Dio, S. Camillo de Lellis, S. Ignazio, S. Francesco Saverio, S. Luigi, S. Angela Merici, S. Caterina da Siena, e S. Caterina da Genova. Tali luminosi esempj, e la grande ricompensa promessa sono motivi forti, onde le sorelle adempiano con fervore ed allegrezza ogni parte di questo dovere meritevole.

3. Coloro a cui Gesù Cristo ha benignamente permesso di assisterlo nelle persone dei poveri pazienti, abbiano i loro cuori animati da gratitudine ed amore, e riponendo tutta la loro confidenza in lui tengano la sua indefessa pazienza ed umiltà sempre presente alle loro menti, cercando d'imitarlo più perfettamente ogni giorno, nell'annezzazione di se stesse, nella pazienza, e totale rassegnazione. Così otterranno una corona di gloria, ed il gran titolo di figlie dell' Altissimo, il quale è certamente promesso ai misericordiosi.

4. Le sorelle destinate dalla Madre Superiore di visitare gl' infermi si prepareranno subito, e preparate che saranno, visiteranno il SSmo per offrire al loro Divino Maestro l'azione che vanno a fare, e per domandargli la grazia necessaria per promuovere la sua gloria, e la salvezza delle anime.

5. Le sorelle prima di sortire dal Monastero cercheranno d'informarsi bene della strada che devono fare, e se alcuna abitazione non può trovarsi senza domandare, sarà più prudente di farlo in una bottega di Pizzicarolo, o Fornaro, dove i poveri sono generalmente conosciuti, sempre parlando con quella gravità che esige il rispetto, ma non devono continuare a ricercare quà e là, perchè la carità non è solamente benigna, ma nè pure agisce contro il decoro.

6. Le sorelle sempre usciranno accompagnate; osserveranno la massima cautela e gravità per le strade, camminando nè con troppa lentezza, nè con troppa fretta, non fermandosi a parlare, o a salutare le persone che incontrano, vicine l'una all'altra senza appoggiarsi, conservando il raccoglimento di spirito, come se aspettassero d'incontrare il loro Divin Redentore in ogni abitazione dei poveri, giacchè Egli ha detto, *ubi sunt duo vel tres congregati etc.*

7. Una delle due sorelle, dev' essere capace di leggere distintamente, ed avere discernimento sufficiente per scegliere ciò che sarà più atto a ciascun caso. Deve parlare in una maniera soave, facile, ed impressiva, per non imbarazzare o stancare il povero paziente, l'altra sorella può cooperare molto al bene che si fa coll'unirsi nella fervente preghiera.

8. Si deve usare molta tenerezza, e quando non vi è pericolo prossimo della morte sarà bene di prima sollevare la miseria, e di cercare in tutte le maniere possibili di promuovere la nettezza, quiete e conforto del paziente, giacchè siamo sempre più disposti a ricevere le ammonizioni ed istruzioni da coloro che ci mostrano della compassione.

9. Le sorelle cercheranno sopra tutto il bene spirituale, quindi quando trovano persone che sono state trascurate nei loro doveri religiosi, e che la tiepidezza, e la indifferenza loro predomina è necessario di scuoterle col parlare dei giudizi terribili di Dio verso i peccatori impenitenti, e coll'ammonirle, che se non cerchiamo la sua misericordia, ed il perdono in quella maniera che ha assegnata, forza è che siamo miseri per tutta l'eternità. Debbono unirvi i più forti scongiuri, con evidente e sincera premura, perchè se i nostri cuori non sono mossi sarà vano lo sperare di muovere i cuori altrui; sopra tutto debbono pregare con voce intelligibile, ed in una maniera la più fervida ed enfatica, che Iddio riguardi con occhio pietoso le sue povere creature, e le induca al pentimento. Questo probabilissimamente

le disporrà ad una buona confessione, dalla quale tutto dipende, ed a ciò ottenere tutte le orazioni, ed istruzioni debbono dirigersi. Le sorelle loro faranno le domande su i misteri principali della nostra S. Fede, e se è necessario le instruiranno nei medesimi.

10. Quando non vi è più speranza di guarigione per l'infermo, si deve suggerirglielo con grande cautela, e se vi sarà tempo, gradatamente, assicurandolo della pace e gioja che sentirà, quando sarà pienamente rassegnato alla volontà di Dio: " Se cada discorso di testamentaria disposizione procurino destramente le sorelle di non prendervi parte, e limitandosi solo a cose generali, suggeriscano all'infermo di manifestare le sue disposizioni a chi conviensi, e a chi si meriti la sua fiducia. Quando poi trattisi di procurare sollievo alla indigenza della Famiglia dell'infermo, gli promettano pure, quanto è da loro, di prestarsi nel modo che permette il loro stato, onde rimuovendo dall'animo degli infermi ogni ansietà, possano tranquillamente donare ogni pensiero al solo Iddio. "

11. Quando le sorelle ritornano al Convento visiteranno di nuovo il SSmo Sacramento, ringrazieranno Gesù Cristo per la sua protezione, si umilieranno innanzi a Lui per qualunque imperfezione che abbiano commessa, e lo pregheranno fervorosamente, che quel bene che hanno fatto con la sua grazia e misericordia ridondi alla sua gloria, alla salute delle anime loro, e di coloro che hanno visitato.

C A P O IV.

Sull' ammettere le femmine povere.

1. Le femmine povere di buona riputazione ammesse nella casa di Misericordia, saranno, se sia necessario, instruite nei misteri principali di religione, e richieste di adempire i loro obblighi religiosi, e vi saranno instruite a riparare, per quanto sia possibile, la loro passata negligenza col prepararsi divotamente ad accostarsi ai Santi Sacramenti, conformando la loro volontà al regolare adempimento degli obblighi dello stato, in cui Iddio le ha poste.

2. Si daranno ad esse degl' impieghi, proporzionati alla loro capacità, acciocchè possano continuare in essi tanto tempo, quanto sarà necessario per meritare un attestato di buona condotta, dal quale può dipendere il loro futuro sostentamento. Molte lasciano i loro impieghi non tanto per mancanza di merito, quanto per mancanza di capacità in adempire i doveri che loro sconsigliatamente si sono imposti. Non saranno incoraggite di rimanere per lungo tempo nella casa di Misericordia, perchè sarà generalmente meglio per esse d'entrare presto in quello stato, ed impiego in cui hanno da vivere.

3. Benchè deve sempre considerarsi come una regola generale, di domandare " attestati convenienti, e *quello sopra tutto del Parroco*, „ sulla condotta, e sulla povertà, nulladimeno vi sono alcune, che „ meritano favore, benchè non possano ottenerli. Ma non pertanto su „ queste ancora si sentirà onninamente il Parroco per conoscerne me- „ glio le qualità ad opportuna regola delle Superiori. „ Con questa cautela le figlie di artigiani decaduti le quali non saranno praticamen- te istruite nella Religione o conosciute fuori della propria famiglia pos- sono ammettersi sulla raccomandazione di una donna pia e prudente, che abbia vissuto per alcuni anni nella medesima vicinanza, sarà ad esse permesso di rimanere nella nostra casa fintantochè sieno pratiche nel servire, e si meritino una raccomandazione della Congregazione.

4. Le sorelle saranno molto diligenti ad evitare ogni familiarità con queste persone, non permettendole mai di parlare delle famiglie, con le quali sono vissute, nè mai domandando loro le ragioni, per cui hanno lasciati i loro rispettivi impieghi. La Madre Superiora o la sorella da lei a ciò destinata le farà quelle domande, che saranno necessarie.

5. Saranno obbligate di confessarsi regolarmente dal " Confessore „ destinato dall'Ordine, e i giorni della Comunione saranno le feste „ di Precetto comprese anche quelle in oggi dispensate, tutte le So- „ lennità della Bn̄a Vergine, sebbene cadano in giorni Feriali, ed i „ primi Venerdì di ogni mese. „

C A P O V.

Del voto di Povertà.

1. Siccome le sorelle per divenire più conformi al loro Sposo cele- ste Gesù Cristo nel lasciare il mondo hanno rinunziata ogni proprietà delle cose terrene, devono spesso pensare, quanto gli era cara la san- ta povertà. Nato in una stalla, posto in una mangiatoja soffrì dal fred- do, dalla fame e sete nel corso di sua vita mortale, non avendo luo- go ove riposare il suo capo, morì ignudo sulla croce. Egli nella sua persona consagrò questa virtù, e la lasciò come un ricchissimo patri- monio ai suoi seguaci.

2. Le sorelle dunque terranno i loro cuori perfettamente staccati da ogni affetto alle cose mondane, contente del cibo e vestito che loro si concede, e sempre pronte ad abbandonare le cose a loro uso concesse. Non faranno, nè riceveranno alcun regalo senza il permesso della Ma- dre Superiora. Qualora con questo permesso ne ricevano alcuno dai parenti, o altre persone si dee esso considerare ricevuto non per l'uso privato della ricevente, ma per quello della Comunità.

3. Niente comparirà nel vestito, se non quel ch'è decente, e modesto, nè possono tenere nelle loro celle alcuna cosa superflua, nè alcun mobile od ornamento pregevole, o ricco, ogni cosa debb' essere conforme alla semplicità e povertà religiosa.

C A P O VI.

Del voto della Castità.

Siccome la Castità è la virtù la più angelica consagrada nella persona di Gesù Cristo, e raccomandata nella legge Evangelica cogli encomj i più distinti, le sorelle non stimeranno cosa alcuna più preziosa di questo dono celeste, e debbono perciò sempre avere una vigilantissima custodia dei loro sensi, acciocchè il nemico ch'è sempre vigilante non possa per queste porte entrare nelle loro anime, e macchiare anche per poco la purità dei loro cuori.

C A P O VII.

Del voto della Obbedienza.

1. Le sorelle debbono sempre tenere in mente, che col voto della obbedienza hanno per sempre rinunziata la loro propria volontà, e l'hanno sottoposta alla direzione dei loro Superiori, debbono obbedire alla Madre Superiora, come avendo la sua autorità da Dio, piuttosto per amore che per il timore servile l'ameranno e la rispetteranno come loro madre, ed affinchè ella possa diriggerle nella via del divin servizio si raccomanda a loro di manifestarle le loro opere penitenziali, e mortificazioni, ed i vantaggi, che ne ritraggono.

2. Debbono eseguire senza esitazione tutte le direzioni della Madre Superiora, sieno di grande o di poco momento, piacevoli, o dispiacevoli; nen mormoreranno mai, ma con umiltà e gioja spirituale porteranno il soave giogo di Gesù Cristo, non si esenteranno dagli esercizj comuni senza la di lei licenza, eccettuato in un caso di pressante urgenza, e se allora non possono avere accesso alla medesima, ne la faranno consapevole della causa della loro assenza quantoprima; obbediranno al suono della campana come alla voce di Dio.

C A P O VIII.

Del ricevere le postulanti, e vestizione, e professione loro.

1. Quelle che vorranno abbracciare questa Congregazione saranno

esaminate riguardo alla loro vocazione dal Vescovo o da un Sacerdote da lui delegato, e dalla Madre Superiora; se saranno ammesse nel Monastero, vi rimarranno come postulanti per sei mesi, ed impiegheranno il loro tempo, siccome saranno dirette.

2. Se la loro condotta durante il detto tempo sarà umile, e conforme allo spirito della Congregazione, sarà loro permesso di fare la petizione dell'abito religioso nel capitolo, e se il maggior numero dei voti segreti sarà favorevole, saranno vestite, e cominceranno il loro noviziato.

3. Il tempo del noviziato sarà di due anni intieri. Due mesi avanti il fine del noviziato, colla permissione della Madre Superiora faranno le loro petizioni alla comunità di essere ammesse alla professione, e se il capitolo vi consenta, si farà lo scrutinio con palle bianche e nere, e se il maggior numero sarà in loro favore, impiegheranno il rimanente del noviziato, secondo lo permetteranno le circostanze, nella preghiera, ed altri esercizj spirituali.

4. Tante ne saranno ammesse, quante le rendite della casa lo permetteranno, e non più, eccettuato il caso, in cui qualcuna portasse una dote sufficiente pel suo mantenimento, e per tutte le altre cose necessarie. Non si ammetterà alcuna a dozzena ad eccezione di una fondatrice, o grande benefattrice.

5. Le giovani professe rimarranno per due anni sotto la maestra delle novizie senza voto attivo o passivo, eccettuate le prime sette professe in ciascun convento, che avranno voce attiva e passiva immediatamente dopo la loro professione.

Formola di professione.

Nel nome del nostro Signor e Salvatore Gesù Cristo, e sotto la protezione della sua immacolata Madre Maria sempre Vergine Io N. chiamata in religione suor N. fo voto, e prometto a Dio povertà, castità, ed obbedienza, ed il servizio dei poveri infermi, ed ignoranti, e di perseverare sino alla morte in questa Congregazione della nostra Signora della Misericordia, secondo la sua approvata Regola e Costituzioni, sotto l'autorità, ed alla presenza di voi Monsignor, mio Rmo Padre in Dio N. Arcivescovo di questa Diocesi, e della nostra Reverenda Madre N. chiamata in religione N. Madre Superiora di questo Convento della Misericordia. Questo dì N. di N. dell'anno N.

Se la Madre Superiora per causa d'infermità non fosse presente, si nominerà la Madre Assistente.

C A P O IX.

Dell' Officio e della orazione mentale.

1. Siccome le sorelle della Congregazione devono impiegare gran parte del loro tempo nell'istruire i poveri, saranno solamente obbligate all'ufficio piccolo della Madonna, il quale reciteranno ogni giorno in comunità; prima di cominciarlo, considerino l'infinita Maestà di quel Dio, che vanno a lodare, e procurino di fare quel santo esercizio con tutta l'attenzione e divozione,

2. L'orazione mentale ossia la meditazione è stata sempre riguardata efficacissima ad imprimere profondamente nell'anima le verità sublimi della Religione, ad elevare l'anima, ed infiammare il cuore dell'amor di Dio, e delle cose celesti. Per mezzo di essa i Santi arrivarono alla perfezione in tutti gli stati, ed è la strada che essi hanno segnata per tutti quei che aspirano a qualche grado di santità. I fondatori, ed istitutori di tutti gli Ordini religiosi hanno raccomandata ed espressamente stabilita nelle loro Costituzioni questa pratica, benchè diversamente ispirati a comporre quell'ammirabile varietà di Regole ed osservanze, che sono di ornamento alla Chiesa di Dio, tutti avevano ed hanno il medesimo spirito in riguardo alla necessità ed utilità della orazione mentale.

3. Attendano dunque assiduamente le sorelle di questo Istituto a questo sì salutare esercizio; in questo sia il loro diletto, e cercino in esso il loro conforto, e sollievo nei lavori e nelle fatiche dell'Istituto.

C A P O X.

Degli Esercizj Spirituali, e della rinnovazione dei voti.

1. Gli Esercizj spirituali essendo meritamente considerati uno dei più potenti mezzi per l'avanzamento delle persone religiose nella perfezione del loro stato, le sorelle di questa Congregazione li faranno ogni anno per dieci giorni immediatamente avanti la festa dell'Assunzione della Madonna SS^{ma}, ed ancora nei tre ultimi giorni dell'anno. E di più dedicheranno la prima domenica di ciascun mese a prepararsi alla morte.

2. Il primo giorno di ogni anno facciano le sorelle la rinnovazione dei loro voti, ad indi eccitare nei loro cuori un accrescimento di fervore nel servizio del loro Sposo celeste, in una così solenne commemorazione degli obblighi che hanno contratti.

Formola della rinnovazione de'voti.

Onnipotente ed eterno Dio, Io suor N. oggi alla presenza della Vostra corte celeste, ratifico i voti da me fatti nella professione, e prometto di fedelmente osservare la povertà, castità, obbedienza, ed il servizio de' poveri, infermi, ed ignoranti; e di perseverare sino al fine della mia vita in questa Congregazione della Madonna SS^{ma} della Misericordia, secondo la sua approvata regola e costituzioni, e sotto la di lei protezione. Supplico instantemente la vostra divina bontà, per li meriti di Gesù Cristo di concedermi la grazia di adempire queste obbligazioni. Così sia.

C A P O XI.

Della Confessione e Comunione.

1. Le sorelle si confesseranno ogni sabato, e le viglie delle feste solenni e delle festività della B^{ma} Vergine.

2. Il confessore sarà nominato dal Vescovo, egli ancora provvederà dei confessori straordinarj conforme alla raccomandazione del Santo Concilio Tridentino, ai quali le sorelle si presenteranno nei tempi destinati.

3. Il SS^{mo} Sacramento della Eucaristia essendosi istituito da Gesù Cristo, così pel nutrimento delle anime nostre, come anche per nostro sacrificio; e siccome in esso egli ci dona il più prezioso pegno dell'amor suo, le sorelle nudriranno nei loro cuori la più tenera ed affettuosa divozione verso questo adorabile Sacramento. Assisteranno ogni giorno colla massima divozione possibile al santo sacrificio della Messa, e ne riceveranno la s. Communion con fede viva, profonda umiltà, e la massima purità tante volte " quante loro lo permetterà „ il Direttore Spirituale. „

C A P O XII.

Sulla divozione alla Passione di Gesù Cristo, al SS. Sacramento, ed al Sacro Cuor di Gesù.

1. Le sorelle di questa Congregazione devono avere la più tenera divozione verso la Passione di nostro Signore e Salvatore Gesù Cristo; devono spesso ricordarsene, e meditarne le varie circostanze, a fine di eccitare in se stesse un ardente desiderio di conformarsi al loro paziente Redentore, e siano persuase, che se vogliono essere partecipi nell'altra vita della sua gloria, devono in questa partecipare de' suoi

patimenti, e delle sue umiliazioni, offeriscano i travagli, e le fatiche del loro stato, le mortificazioni che soffrono, e tutte le loro pene, sì mentali, che corporali in unione dei patimenti del loro Sposo Crocifisso. Faranno la meditazione sulla passione ogni Venerdì, ed alle tre pomeridiane, genuflesse in Coro adoreranno Gesù Cristo per noi obbediente sino alla morte, anche alla morte della Croce. Diranno allora cinque *Pater* ed *Ave* in onore delle sue sacre piaghe e morte per gli agonizzanti, e per quei che sono nello stato di peccato mortale, e per tutte le anime del Purgatorio.

2. Gesù Cristo realmente presente nella SS^{ma} Eucaristia sarà l'oggetto continuo della loro affezione, e divozione, spesso faranno riflessione sulla carità infinita, ch'egli ci manifesta in quel Sacramento sempre adorabile e con frequenti visite ogni giorno, faranno la corte assidua al loro sposo celeste, sul trono del suo amore, unendo i loro atti di adorazione, lode, ringraziamento, ed omaggio a quei degli Angeli che assistono continuamente intorno al tabernacolo. In tutti i loro patimenti ed ansietà, timori, afflizioni, e tentazioni chiederanno il conforto e consolazione a piè dell'altare, dove egli amorosamente l'invita con queste parole: *Venite ad me omnes qui etc.*

3. Possederanno ancora una tenerissima divozione al Sacro Cuor di Gesù " fonte di ogni grazia, e oggetto tenerissimo del nostro amore „ e corrispondendo ai pii desiderj della Chiesa cattolica, sollevano le loro menti e i loro affetti a quell'amore immenso che il nostro Divin Redentore ha dimostrato all'uman genere nella istituzione della Eucaristia, e nella sua dolorosa passione, e morte sofferta per la nostra Redenzione, " e che tutto di ci viene dimostrando coi te „ sori di grazie e cogl'immensi beneficj, che scorrono dal suo amabile, ed amabil Cuore. „ Cercheranno da parte loro di fare riparazione per gli oltraggi da lui sofferti, ai quali la malizia ed ingratitude dell'uomo corrispondono sì malamente.

C A P O XIII.

Della divozione a Maria SS. ec.

1. La divozione alla Madre di Dio è stata sempre cara alle persone religiose, ma siccome questa Congregazione è immediatamente sotto la sua protezione, ed essendo ella la sua principale protettrice, le sorelle ne avranno sempre la più fervente ed affettuosa divozione riguardandola in una maniera speciale, come la loro Madre, ed il gran modello che devono imitare, acciocchè per la sua intercessione, e sotto la sua potente protezione possano adempire gli obblighi di que-

sta santa Congregazione, ed imprimere Gesù Cristo nei cuori dei poveri che devono istruire.

2. Ciascuna sorella avrà la più perfetta confidenza in essa, ad essa ricorreranno nelle loro difficoltà e bisogni spirituali, e studieranno per l'imitazione delle sue virtù di rendersi degne della sua protezione. Celeberranno le sue feste con gioia, e divozione, ed imprimeranno nelle menti di tutti quei, ai quali si stenderà la loro influenza il massimo rispetto, venerazione ed amore per Lei. Reciteranno ogni giorno una terza parte del Rosario in suo onore.

3. Nella festa della Madonna della Mercede tutta la comunità genuflessa innanzi all'altare colle candele accese nelle mani faranno ogni anno il seguente atto di consacrazione, il quale sarà letto con voce intelligibile dalla Madre Superiora in nome e da parte della comunità, e tutte le novelle professe lo leggeranno il giorno della loro professione.

*Atto di oblazione e consacrazione alla Beatissima
Madre di Dio.*

Santissima e gloriosa Vergine Madre di Dio noi vostre supplicanti convinte della necessità che abbiamo della grazia di Dio per adempiere gli obblighi della nostra pia Congregazione, e della grandezza del vostro potere presso Gesù Cristo vostro diletto Figlio e della vostra bontà verso i poveri Cristiani con grandissimo ardore in questo giorno vi salutiamo come la Madre di misericordia, piene di confidenza di ottenere la divina assistenza mediante la Vostra intercessione. Noi dunque prostrate ai vostri piedi, o Clementissima Vergine, colla massima umiltà vi preghiamo di degnarvi accettare l'oblazione che in questo santo giorno noi tutte facciamo irrevocabilmente di noi medesime al vostro servizio ed amore, proponendo col divin ajuto di tenere sempre verso di Voi il più cordiale rispetto e venerazione, e di fare tutto ciò che ci sarà possibile ad indurre tutti ad amarvi, onorarvi, e rispettarvi. Degnatevi purissima ed immacolata Vergine di Dio di riceverci tutte e ciascuna di noi sotto la Vostra santa protezione. Noi vi riguardiamo come nostra Madre, nostra Signora, e nostra Maestra, e come nostra Protettrice, Avvocata e Direttrice, pregandovi umilmente di ottenerci per i meriti del Vostro Figlio adorabile il perdono di tutt' i nostri peccati, e trasgressioni contro la Maestà Divina, e di tutte le nostre negligenze nel Vostro santo servizio. Vi preghiamo inoltre di ottenerci dalla sua infinita bontà, che siamo sempre ed in tutte le occorrenze favorite dal Vostro ajuto specialmente nell' ardue funzioni della nostra Congregazione, e nella pratica di ogni virtù religiosa. Finalmente vi supplichiamo istantemente, che vi degniate di otte-

nerci, che una perfetta unione di cuore e di mente regni sempre fra noi, che siamo sempre fedeli nella osservanza della nostra Regola, e nella grazia della nostra vocazione, e che avendo fedelmente servito al Vostro divin Figlio, coll' imitare le vostre virtù in questa terra, possiamo con Voi, e con tutti gli eletti lodarlo e benedirlo per sempre in cielo. Così sia.

I Santi ai quali si raccomanda alle sorelle di questa Congregazione di avere una particolare divozione sono S. Giuseppe, S. Gioacchino, e S. Anna, i SS. Apostoli Pietro e Paolo, S. Giovanni Evangelista, i SS. Patrizio, Brigida, Agostino, Monaca, Pietro Nolasco, Vincenzo de Paolis, Giovanni di Dio, Camillo de Lellis, Giuseppe Calasanzio, Ignazio, Francesco Saverio, Luigi Gonzaga, Angela Merici, Caterina di Genova, e Caterina di Siena.

C A P O XIV.

Sulla perfezione delle nostre azioni ordinarie.

1. La perfezione dell' anima religiosa non dipende tanto dal fare delle azioni straordinarie, quanto dal fare gli esercizj ordinarj ogni giorno straordinariamente bene. È particolarmente in questo che consiste la differenza tra la perfetta e l'imperfetta in una Religiosa Comunità. I doveri giornalieri sono i medesimi per tutte. La maniera di farli ne forma la differenza.

2. Le sorelle dunque di questa Congregazione cercheranno di soddisfare ai loro doveri ordinarj con tutta la premura, ed attenzione possibile secondo il consiglio dello Spirito Santo. *Il bene che devi fare, fallo bene*, cioè la preghiera, esame di coscienza, assistenza alla Messa, officio, lezione spirituale, pasti, ricreazione, ec. Col fare bene tutte queste azioni, si faranno perfette, ed il loro giorno sarà pieno di merito ed opere buone.

3. Ma per fare bene queste azioni ordinarie in ordine alla loro perfezione devono avere la più pura intenzione di piacere a Dio, e Dio solo dev'essere il fine di tutte le loro opere. Questa pura intenzione di piacere a Dio è ciò che rende l'opera buona, pregevole, e meritoria, e senza di essa i più laboriosi travagli della Congregazione, le più grandi austerità, le azioni ed i sacrificj i più eroici sono di poco valore, quando sono privi di quel merito che nasce dalla pura e retta intenzione, mentre al contrario le azioni le più indifferenti, quando sono accompagnate da essa diventano pregevoli, e meritorie di vita eterna. Non si perde niente, ogni parola ed azione fruttifica, l'anima religiosa si arricchisce ogni momento, e ripone dei tesori di gloria per una eternità senza fine.

4. Le sorelle riguarderanno la purità d'intenzione in tutte le loro opere non come una semplice pia pratica, ma come un dovere essenziale di Religione, saranno dunque vigilantissime a guardarsi dalle insinuazioni dell'amor proprio, acciocchè non perdano il merito dei loro lavori, e delle loro opere buone per la compiacenza o la vana gloria, o per avere in vista altro motivo o fine nelle loro azioni fuorchè quello di dar gusto a Dio. Non devono mai agire per genio o capriccio, ma tutto deve farsi con regolarità ed esattezza, ed esser diretto con sommo fervore all'onore e gloria di Dio in unione colle santissime azioni e meriti infiniti di Gesù Cristo. Faranno dunque non solamente un'offerta generale a Dio nella mattina delle opere ed azioni della giornata, ma la rinnoveranno spesse volte nel giorno tenendo sempre fissa nella mente e nel cuore quell'ammonizione importante dell'Apostolo, *sive manducatis, sive bibitis etc.*

5. I mezzi per li quali le sorelle possono conservare la purità d'intenzione, e far bene tutte le loro azioni, sono primieramente, considerarsi sempre alla presenza di Dio ricordandosi ch'Egli le vede, e che il giudizio che farà di loro dipenderà dalla maniera in cui fanno queste opere; secondo, di fare ciascun opera, come se fosse l'unica che avessero da fare, eviteranno ogni disordine e precipitazione nelle loro azioni ec., di fare i doveri di ogni giorno, come se quel giorno fosse l'ultimo della loro vita mortale, sempre memori dell'avviso del loro sposo celeste: *Vigilate; et estote parati, quia nescitis diem neque horam etc.*

C A P O XV.

Dell'impiego del tempo.

Siccome l'ozio, come insegna lo Spirito Santo, *insegna molta malizia*, e siccome nel giudizio dobbiamo render conto esatto di ogni momento del nostro tempo prezioso, le sorelle si guarderanno di non esser mai oziose, ma di essere sempre occupate in qualche opera utile; quindi qualunque tempo gli sopravanzasse dopo gli officj della Congregazione l'impiegheranno diligentemente nei lavori manuali, o in qualche altra corporale o spirituale occupazione, che sarà indicata dalla Madre Superiora. Non si faranno mai vedere correre con leggerezza pel Convento, ma in tutt'i tempi e luoghi conserveranno nel loro portamento quella gravità che conviene alle persone religiose. „ In ogni Casa poi saravvi un'orario fisso approvato dall'Ordinario „ accomodato giusta le circostanze locali, e gli obblighi della Congregazione. „

C A P O XVI.

Del silenzio.

Il silenzio essendo l'ornamento delle anime religiose, ed il custode fedele del raccoglimento interiore, le sorelle l'osservaranno per quanto le circostanze lo permetteranno, eccettochè quando vi sarà la ricreazione. L'osservaranno nel Dormitorio, Cappella, e nel Refettorio durante il pasto. Se la necessità ricerchi che si parli nel tempo di silenzio, si farà con voce bassissima e con ogni possibile brevità. Mentre osservano il silenzio esteriormente cercheranno di tenere le loro menti raccolte e fissate sopra quelle cose che tendono alla loro maggiore perfezione.

C A P O XVII.

Sulla unione e carità.

1. *Diligite alterutrum sicut ego dilexi vos.* Questo fu il precetto speciale di Gesù Cristo agli Apostoli, e nella osservanza di esso (unito inseparabilmente com'egli è al grande precetto di amare Iddio) consiste secondo l'Apostolo la pienezza della legge. Il Nostro Salvatore vuole che questo amore scambievole sia tanto perfetto che rassomigli in qualche modo all'amore ed unione ch'esiste tra se stesso ed il suo Padre Celeste. Egli l'inculcò coi termini più forti nell'ultima conferenza, che tenne co'suoi discepoli. Questo fu l'ultimo suo precetto, che come ricca eredità lasciò ai suoi seguaci, e per l'osservanza del quale devono manifestarsi per veri suoi discepoli.

2. Questa unione ed amore scambievole deve dunque essere il caratteristico distintivo delle anime religiose, questo lo deve distinguere da tutte le altre persone, come vere spose e serve di Gesù Cristo. Le sorelle di questa pia Congregazione fondata e stabilita sulla carità devono dunque far sì, che questa sia la loro più cara virtù, come fu del loro divino Maestro, devono studiare di mantenerla e nutrirla così perfettamente tra di loro che si verifichi essere in esse un sol cuore ed un'anima sola in Dio. Questo amore scambievole dev'esser tale che possa emulare l'amore ed unione dei Beati in Cielo.

3. Eviteranno dunque colla massima cautela nelle loro conversazioni, costumi, e condotta ogni cosa che potesse alterare questa unione o diminuire per poco la loro carità ed amore scambievole, e saranno sollecite di riparare alle piccole offese col chiederne prontamen-

te scusa, la quale si dovrà subito accordare senza contenzione e senza riserva.

4. In tutte le occasioni si assisteranno, e si ajuteranno scambievolmente sopportando con pazienza e carità i difetti, le debolezze, ed imperfezioni l'una dell'altra. Non faranno mai dispute, ma se accadesse, che avessero della diversità d'opinioni su qualche oggetto, proporranno le loro ragioni con moderazione e carità. Non parleranno mai dei difetti delle sorelle, se non alla Madre Superiora, ed allora a solo fine caritatevole, che siano corretti, e dopo averne domandato consiglio nella preghiera da Dio e dal loro direttore spirituale. Eviteranno ogni sospetto e giudizio temerario, ogni gelosia, ed invidia, e terranno sempre in mente affine di regolare i loro sentimenti e la loro condotta su questo punto, la nobile descrizione della carità data dall'Apostolo: *Charitas patiens est etc. etc. etc.*

5. Dovendo l'amore ed unione delle persone religiose esser fondata non sulla carne e sangue o sopra qualche motivo umano, ma in Dio solo, perchè i loro cuori devono essere uniti in Gesù Cristo loro Sposo e Redentore, in cui, e per il quale debbono vivere ed amarsi scambievolmente; le sorelle di questa Congregazione non ammetteranno fra loro delle amicizie, attacchi o affezioni particolari, ed eviteranno scrupolosamente i partiti e le unioni particolari come le sorgenti della discordia e delle divisioni, e come nemiche della purità di cuore, della carità, e dello spirito di Religione.

C A P O XVIII.

Della correzione.

Quando alcuna delle sorelle commetterà qualche mancamento, le altre non la rampogneranno; se sarà grave la riprenderanno con dolcezza ed amore da sorelle per tre diverse volte, come prescrive il Vangelo; se dopo di ciò ancora persista nella sua colpa ne informeranno la Madre Superiora, ma se per impedire lo scandalo o altre cattive conseguenze sarà necessario di porre pronti rimedj; allora senza nominare la persona, la prima che ne sarà consapevole prenderà consiglio dalla Madre Superiora e dal direttore spirituale, e se gli sarà imposto la nominerà. "Una volta il mese si diranno da ogni sorella, „ genuflessa in publico Capitolo per esercizio di umiltà le colpe, e „ trasgressioni pubbliche. „ La Superiora dovrà correggere amorevolmente, e dolcemente ammonire in tali circostanze le sorelle senza diminuire il peso dei loro mancamenti.

C A P O XIX.

Della umiltà.

1. L'umiltà essendo il compendio di tutta la disciplina della vita religiosa, il fondamento dell'edifizio spirituale e la bella divisa dei servi di Cristo, le sorelle saranno particolarmente attente alla pratica di questa virtù studiandone la natura ed estensione, e facendo tutte le loro azioni nello spirito della più profonda, sicura, e vera umiltà.

2. Avranno l'una per l'altra un grande e sincero rispetto non solamente col portamento esteriore, cogli sguardi e colle parole, ma realmente e sinceramente nel cuore e nella mente; le giovani rispetteranno le più anziane, e tutte con vera umiltà cercheranno con emulazione di esibire un portamento rispettoso verso le sorelle *in honore*, come l'esprime S. Paolo, *invicem praevenientes*.

C A P O XX.

Del digiuno e dell'astinenza.

Essendo le religiose di questa Congregazione continuamente occupate nelle spirituali e corporali opere di misericordia saranno obbligate a digiunare solamente nei giorni comandati dalla Chiesa, e nelle vigilie della Concezione, Natività, Presentazione, e Purificazione della Vergine Santissima, ed ancora nella vigilia della festa della Madonna della Mercede.

C A P O XXI.

Del Refettorio.

Le sorelle faranno colazione, pranzo e cena insieme nel refettorio il quale sarà mantenuto colla perfetta regolarità e nettezza. Il silenzio vi sarà osservato, ed un libro spirituale sarà letto a pranzo, e a cena eccettochè quando vi sarà la ricreazione. La Madre Superiora sceglierà il libro da leggersi.

C A P O XXII.

Della cura delle sorelle inferme, e dei suffragj per le defunte.

1. Si avrà cura speciale delle inferme, e dei rimedj atti saranno

procurati per esse loro, secondo la prescrizione del medico. Le sorelle, particolarmente la Madre Superiora, le visiteranno frequentemente, le tratteranno colla più tenera carità, e le consoleranno piamente. Se vi sarà pericolo di morte, la Madre Superiora procurerà che gli siano amministrati i Santi Sacramenti nel tempo dovuto. Tutta la comunità assisterà con lumi nelle mani all'amministrazione del Viatico e della Estrema Unzione.

2. Alla morte di una sorella, le altre sorelle diranno l'Ufficio dei morti per l'anima sua, e tre comunioni generali e tre Messe saranno offerte per la medesima intenzione. Se la Madre Superiora muore in officio, si faranno celebrare sei Messe per la di lei anima.

PARTE SECONDA

REGOLA E COSTITUZIONI DELLE RELIGIOSE SORELLE DI S. MARIA DELLA MISERICORDIA.

C A P O I.

Del Superiore, e della Visita del Monastero.

1. Questa Congregazione religiosa sarà sempre sotto l'autorità e giurisdizione del Vescovo della Diocesi, e le sorelle lo rispetteranno, ed obbediranno a lui come loro principale Superiore dopo la Santa Sede. Se egli per la molteplicità delle sue occupazioni non potesse attendere immediatamente alla direzione della Comunità, egli nominerà un Sacerdote, nella di cui prudenza, pietà, ed esperienza può confidare per governare e dirigere sotto di lui, ed a cui concederà le facoltà necessarie.

2. Il Sacerdote così nominato attenderà dovutamente al regolamento, ed al buon ordine della Comunità nelle cose temporali e spirituali, invigilerà sopra l'esatta osservanza delle Costituzioni a fine di mantenere il buon ordine, la pace, e carità, ed assisterà la Madre Superiora coi suoi consigli ed avvisi in ogni affare d'importanza. Ella non metterà la mano ad alcuna cosa d'importanza riguardante il Monastero o Comunità senza il consenso del Vescovo.

3. Quando non sarà comodo al Vescovo di esser presente al ricevimento, o professione delle Novizie, il Superiore da lui destinato vi officierà. Nessuna sarà ammessa da postulante, o ammessa sarà mandata via senza intesa di lui, o del Vescovo. Egli sottoscriverà gli atti della professione, ed i libri dell'entrata, ed esito annuale del Monastero.

4. Il Superiore visiterà il Monastero ogni anno nella terza settimana di Gennaio; se il Vescovo non volesse farlo da se medesimo per

esaminare se la Regola e Costituzioni sieno esattamente osservate, gli obblighi della Congregazione adempiti dovutamente, e se le sorelle vivano nella perfetta armonia, unione, e carità.

5. Acciocchè il visitatore possa conoscere a fondo il vero stato del Monastero, tutte le sorelle compariranno innanzi a lui separatamente l'una presso l'altra cominciando dalla più giovane, e risponderanno ai quesiti, che vorrà farle intorno alle sopraccennate cose; se con questo scrutinio venisse in cognizione di qualche disordine od irregolarità, o di alcuna qualsivoglia cosa contraria allo spirito della Congregazione prescriverà quei rimedj che nella sua prudenza e discrezione giudicherà più atti per togliere ogni abuso, e restituire il buon ordine, l'osservanza, e l'unione alla Comunità. Ei baderà colla massima cautela di non palesare il nome della persona, o persone, dalle quali ha avuto le notizie, e se ne servirà solamente in quanto sarà utile al bene spirituale e temporale dello Stabilimento.

6. Prima di chiudere la visita esaminerà i libri dell'amministrazione sottoscritti dalla Madre Superiora, e depositaria; se trovasse che l'esito superi l'entrata, troncherà tutte le spese non necessarie, affine di estinguere tutt'i debiti, non toglierà però niente da quel cibo e vestito, che furono promessi alle Religiose, quando abbracciarono la Congregazione. Sarà meglio per le sorelle di sottomettersi a qualche inconvenienza, che dura a tempo, che di soffrire il convento essere rovinato, conseguenza inevitabile di debiti inconsideratamente lasciati ad accumularsi. Egli darà conto al Vescovo dello stato attuale del Convento. Il Vescovo farà la visita ogni terzo anno, o più spesso se lo stimasse espediente.

C A P O II.

Della elezione della Madre Superiora.

1. La Madre Superiora sarà eletta fra quelle, che hanno voce nel Capitolo distinta per la sua virtù, prudenza e discrezione. Avrà almeno trent'anni di età, e cinque di Professione (eccettuato nei monasteri di nuova fondazione) e dev'aver la maggior parte dei voti per essere validamente eletta.

2. La Madre Superiora essendo validamente eletta governerà per tre anni, coll'approvazione del Vescovo può essere confermata per altri tre anni. Nei Monasteri di nuova fondazione la prima Madre Superiora governerà per sei anni; se non vi fossero delle ragioni canoniche di deporla dall'ufficio durante quel tempo.

3. Il Sabato immediatamente dopo la festa dell'Ascensione di Nostro Signore, il Capitolo sarà radunato alla presenza del Vescovo o

del suo Delegato all'ora per ciò fissata. Allora la Madre Superiora rassegnierà il suo ufficio nelle di lui mani, che accettando la sua rassegna l'assolverà dall'ufficio dicendo. Noi vi assolviamo Suor N. dall'ufficio di Madre Superiora di questa Comunità nel nome del Padre ✱, e del Figliuolo etc.; allora trasferirà l'autorità alla Madre assistente dandole le chiavi del Convento; dopo esorterà le sorelle di pensare seriamente all'elezione per il giovedì seguente cioè l'ottava dell'Ascensione; e di non avere altra mira nella scelta che faranno, se non la maggior gloria di Dio, ed il buon ordine, pace, e ben'essere della Comunità; diranno l'Inno *Veni Creator*, vers. *Emitte Spiritum*, oratio *Deus qui corda etc.* e la *Salve Regina*, e si ritireranno.

4. Nel Sabato tra l'ottava si offrirà la comunione generale per la vicina elezione; ed ogni mattina dopo la Messa ed ogni sera dopo le Litanie si dirà il *Veni Creator*, perchè Iddio dirigga la scelta della Comunità.

5. Giovedì il giorno della elezione si farà celebrare una Messa, e si offrirà la comunione generale per la medesima intenzione. La elezione comincerà dal *Veni Creator*.

6. Le schedole che devono essere tutte della medesima forma, e piegate nella medesima maniera saranno preparate e distribuite il giorno avanti tra le Vocali, ciascuna delle quali scriverà nella sua schedola il nome e cognome della sorella a cui vuole dare il suo voto. Le sorelle non daranno mai in qualunque maniera ad intendere a chi danno il voto, nè saranno curiose di guardare le schedole delle altre. Si guarderanno dal parlare affatto su questo soggetto. Se vi sarà qualche vocale inferma, la quale non possa esser presente alla elezione, due sorelle ne riceveranno il voto sugellato, che sarà messo insieme cogli altri.

7. Quando tutte le schedole saranno messe dentro una cassetta per ciò preparata, il Presidente le conterà, e non confrontando col numero delle vocali si devono dare i voti un'altra volta; ma se il numero confronta il Presidente aprirà le schedole ad una ad una, e le mostrerà al suo assistente, il quale scriverà il nome scritto in ciascuna schedola, se i voti saranno ugualmente divisi tra due o più, si farà un nuovo scrutinio, e se, nè in questo, nè nel terzo scrutinio non si avrà una maggioranza, l'elezione si farà dal Vescovo.

8. Esaminate le schedole se la maggior parte ne sarà in favore di una, il Presidente la chiamerà, ed inginocchiata alla di lui presenza la dichiarerà canonicamente eletta, senza dire il numero dei voti che gli furono favorevoli, allora confermerà la elezione dicendo, Noi confermiamo questa elezione e dichiariamo voi Suor N. Madre Superiora

di questa Comunità nel nome del Padre ✠ e del Figliuolo ec. Dipoi si brugieranno le schedole.

9. La Madre Superiora confermata che sarà si metterà nel suo posto di Superiora, si suonerà la campana per annunziare l'eseguita elezione, e tutte le sorelle cominciando dalla più anziana inginocchiate le bacieranno la mano; si canterà l'*Ave Maris Stella* col salmo *Laudate Dominum omnes gentes*. L'assistente scriverà l'atto dell'Elezione, e verrà sottoscritto dal Presidente.

10. La Madre Superiora così eletta sceglierà quelle sorelle, che nella sua coscienza crederà più atte per gli officj di Madre Assistente, Depositaria, e Maestra delle novizie, e le proporrà al capitolo. Si farà l'elezione colle fave bianche e nere, se tutte trè, o alcuna di esse saranno rigettate la Madre Superiora proporrà delle altre. Fatta l'elezione, la Madre Superiora con queste trè sceglieranno quelle sorelle che stimeranno più atte per gli altri officj, nei quali rimarranno, finchè la Madre Superiora, "previo il consiglio delle MM. Assistente, Depositaria, e Maestra delle Novizie", giudicherà bene di rimuoverle.

11. Quando non vi saranno sette professe per fare l'elezione, il Vescovo nominerà la Madre Superiora, e le altre principali ufficiali del Convento, dopo d'aver consultato la sorella più anziana della Comunità.

C A P O III.

Dell' officio della Madre Superiora.

1. Acciocchè la Madre Superiora governi con vantaggio della Comunità e merito di se medesima, deve mostrarsi come un modello di osservanza regolare, acciò col suo buon esempio possa indurre la Comunità a compire i doveri della Congregazione.

2. Avrà cura che la disciplina regolare sia mantenuta, che in tutto si osservi la Regola e Costituzioni, e che le sorelle con diligenza esercitino gli officj ed impieghi.

3. Conforterà e sosterrà con tenerezza le tribolate, se ve ne fossero, correggerà le colpevoli, ed imporrà quelle penitenze che giudicherà espedienti.

4. Provvederà a tutte le necessità delle sorelle, escluse tutte le cose superflue.

5. Manterrà una segretezza inviolabile sopra le manifestazioni del loro interno che faranno le sorelle, e non le sarà lecito di parlarne nè anche al Vescovo, se non fosse per dimandargliene consiglio, ed anche in questo caso non deve dargli il menomo indizio della sorella, di cui si tratta, senza la di lei espressa permissione.

6. La Madre Superiora presiederà a tutti gli esercizi e radunanze

comuni. Le sorelle sono obbligate in tutt' i tempi, ed in tutte le occasioni di rispettarla, come loro Madre in Dio, e di obbedirla con prontezza.

7. Radunerà le Discrete il primo mercoledì di ogni mese, e più spesso, se le circostanze lo richiederanno, per esaminare i conti, e trattare dei mezzi più spediti per promuovere il bene sì temporale che spirituale della Comunità. Sentirà il loro parere, e non ne sarà niente offesa, se questo sarà differente dal suo, ma si mostrerà disposta ad abbracciare la loro opinione, quando sarà convinta dalle loro ragioni.

8. L' ultimo mercoledì di ogni mese farà radunare tutte le sorelle per esaminare, se siano osservate le Costituzioni, e se ve ne saranno delle negligenti nell' osservarle la Madre Superiora le ammonirà con carità, le esorterà ad esserne osservantissime nell' avvenire, e se è necessario, le imporrà quelle penitenze che stimerà espedienti.

9. Procurerà la Madre Superiora, che ogni novizia sia esaminata dal Vescovo, o dal suo delegato un mese avanti il tempo della sua Professione, sottoscriverà gli atti delle Professioni, e dei capitoli, i conti, e tutte le scritture appartenenti agli affari temporali, o spirituali della Comunità.

C A P O IV.

Dell' officio della Madre Assistente.

1. La Madre Assistente essendo la prima trà le Discrete, nell' assenza della Madre Superiora presiederà nel coro, ed in tutte le radunanze comuni ella assisterà la Madre Superiora in tutte le cose dubbie o difficili. Non intraprenderà alcuna cosa contro la volontà della medesima, a cui renderà conto di quel che avrà ordinato nella di lei assenza.

2. Esaminerà accortamente, se mancasse qualche cosa alle sorelle, e ne informerà la Madre Superiora acciocchè siano provvedute di tutto il bisognevole.

C A P O V.

Dell' officio della Depositaria.

La Depositaria che tiene il secondo luogo tra le Discrete, dev' essere istruita negli affari domestici, prudente ed economica, e capace per la sua affabilità di procacciarsi la stima, ed il rispetto di ognuno, con cui avrà da trattare degli affari. Terrà conto esatto *in scriptis* di tutto ciò che riceve e spende, il quale sottometterà ogni settimana alla Ma-

dre Superiora alla presenza delle Discrete per essere da lei esaminato e sottoscritto.

C A P O VI.

Della Maestra delle Novizie.

1. Siccome l'ordine e la conservazione di una religiosa Congregazione molto dipende dalla pia e religiosa condotta delle Novizie, la sorella destinata a quest'ufficio importante sarà discreta, mansueta, divota, di una grande prudenza e pratica di tutt'i doveri della Congregazione, giudiziosa nel discernere le inclinazioni di quelle che sono sotto la sua cura, e dotata di talenti per formare le loro menti nella pratica di ogni virtù.

2. Deve studiare di farle capire bene il fine, che debbono avere in vista nel lasciare il mondo, e di unire i loro cuori perfettamente a Dio col morire a se stesse ed al mondo, per impiegare tutte le potenze, e facultà delle loro anime nel servizio del loro Sposo celeste con uno spirito di povertà evangelica privo affatto di ogni attaccamento inordinato, colla castità la più pura, e con una obbedienza illimitata fondata sull'annegazione ed intiera sommissione della propria volontà; in breve, che questa Congregazione è fondata sul Calvario per ivi servire un Redentore Crocifisso, dietro il di cui esempio le sorelle devono crocifiggere i loro sensi, le loro imaginations, e capricci per amor del loro divin Maestro.

3. Insegnerà loro la modestia, mansuetudine, ed umiltà incoraggiandole di vincere quelli fastidiosi e fanciulleschi umori che indeboliscono lo spirito, e lo rendono svaporato e languido, onde produrre i frutti di una santità soda e vigorosa. E perchè questa intrapresa è ardua, le insegnerà di porre tutta la loro fiducia e confidenza in Dio, e nella protezione di Maria SSma. Insegnerà loro il metodo della orazione e meditazione, come devono confessarsi con brevità, chiarezza, e contrizione, e la maniera di rendere fruttuose le loro confessioni e comunioni.

4. Essendo l'obbedienza religiosa la virtù principale della vita religiosa, e siccome in essa massimamente consiste il perfetto sacrificio dell'anima a Dio, la Maestra delle Novizie procurerà premurosamente d'insegnarle la natura, l'estensione, i motivi, e vantaggi di questa virtù sublime, acciocchè conoscendo elleno la sua eccellenza si applichino davvero a praticarla non solo coll'obbedire prontamente colle loro azioni, ma ancora col sottomettere la loro volontà ed il loro giudizio alla volontà ed al giudizio dei loro superiori. A tale fine l'insegnerà di riguardare Dio nei loro superiori, e la di lui volontà nelle loro direzioni essendo così fermamente convinte, che Iddio le parla per

mezzo de' Superiori , come se le parlasse un Angelo , come dice Gesù Cristo, *Qui vos audit , me audit.*

5. Ella imprimerà nelle loro menti , che per la virtù dell' obbedienza l'anima religiosa diviene intimissimamente unita con Dio , che la governa e la dirige di tal maniera che può dire coll' Apostolo *vivo ego jam non ego , vivit vero in me Christus* , ch' è Iddio che regola tutt' i pensieri , parole , ed azioni della sua vita , e che per conseguenza le azioni in se stesse di pochissima importanza diventano in certa maniera divine , e di gran valore e merito per la eternità , e finalmente che nella obbedienza vi ha un mezzo infallibile di conoscere e adempire la volontà di Dio in tutta la sua perfezione , vantaggio di grandissima importanza che gode l'anima religiosa sopra le più devote e regolari che rimangono nel secolo.

6. Cercherà di far loro formare un' idea sublime della nostra Santa Congregazione , ed un' amore , ed una riverenza cordiale per la medesima , e d'infondere nei loro cuori la più tenera pietà , e carità pei poveri. Inculcherà il più sincero desiderio della salute dell' uman genere , affinchè preghino fervorosamente per tutti , ma specialmente per la SS^{ma} Chiesa Cattolica Romana , per il Papa , pei Prelati , e pel Clero , spesso offrendo le loro comunioni per la propagazione della vera Religione specialmente in questi regni.

7. Imprimerà particolarmente sulle loro menti , che le sorelle debbono avere un sol cuore , ed un' anima sola in Cristo loro celeste sposo , e che siccome il Nostro Divin Salvatore le ha unite in un corpo (religioso) per la grazia della loro vocazione , così debbono sempre rimanere unite nello spirito di carità , ch' è il vincolo della perfezione.

8. Le Novizie in tutte le loro necessità ricorreranno alla Maestra , che ne informerà la Madre Superiora , o pure ella stessa provvederà negli affari ordinarij. La Maestra delle Novizie , per quanto le circostanze il permetteranno , dev' essere libera da ogni altro officio , acciocchè possa intieramente dedicarsi a questa importante incombenza.

C A P O VII.

Delle Discrete , e loro officio.

1. La Madre Assistente , la Depositaria , e la Maestra delle Novizie saranno le Discrete , ossia il consiglio della Madre Superiora , e le consulterà in tutti gli affari gravi ed importanti , e coll'ajuto del loro avviso determinerà ciò che si deve fare. Elleno devono proporre ciò che gli sembrerà più espediente pel vantaggio della Comunità e della Congregazione , ma di quelle cose che sono state discusse , non posso

no parlare fuori del consiglio senza l'espressa permissione della Madre Superiora.

2. Ciascuna delle Discrete deve dire la sua opinione candidamente ed esporre con umiltà le sue ragioni senz'affettazione o attaccamento al proprio giudizio. Una delle discrete dev' essere destinata dalla Madre Superiora a scrivere le decisioni del consiglio, qualora si stimasse necessario.

C A P O VIII.

Delle assemblee Capitolari.

1. Le sorelle che vi avranno voto si raduneranno in capitolo ogni qual volta la Madre Superiora stimerà spediente di consultare le opinioni sugli affari d'importanza della Comunità. Si raduneranno ogni sei mesi per consultare sopra le qualità e disposizioni delle Postulanti e Novizie, ed ancora un mese avanti l'accettazione di una Postulante, e due mesi avanti la Professione di una Novizia per determinare coi loro voti, se debbano essere ammesse. Ma se prima del Capitolo è evidente, che la candidata non ha le qualità o disposizioni richieste dalla Congregazione, sarà mandata via immediatamente.

2. Nel Capitolo tutte ascolteranno con attenzione ciò che sarà proposto per considerarsi pesandone bene ogni circostanza nella mente innanzi a Dio. Diranno la loro opinione con modestia, candore, ed umiltà. Nei capitoli riguardanti le Postulanti e Novizie la Maestra delle Novizie farà noto tutto ciò che sa intorno all'indole, disposizioni, abilità, ed amore per la Congregazione di ciascuna. In tutte queste deliberazioni e specialmente riguardanti l'ammissione od espulsione delle sorelle, le vocali avranno gran cura di essere scevre da ogni rispetto umano, e di non aver altro in vista che la maggior gloria di Dio.

3. Si osserverà la più inviolabile segretezza sugli affari trattati nel Capitolo. Incomincerà sempre coll'Inno *Veni Creator* e l'orazione *Deus qui corda* ed il *sub tuum praesidium*, e terminerà colla *Salve Regina*.

C A P O IX.

Delle sorelle converse.

1. Le Converse ammesse a questa Congregazione religiosa oltre i requisiti essenziali, cioè la vocazione, il buon temperamento, ed un'educazione ordinaria, devono avere le maniere e l'apparenza convenevole a Religiose che devono comparire in pubblico, perchè qualunque saranno generalmente occupate nei lavori domestici, nondime-

no siccome possono darsi delle circostanze che renderebbono la loro assistenza necessaria in altre situazioni, devono perciò essere persone che nelle occasioni possano accompagnare le Coriste senza esservi fra loro una rimarchevole differenza esteriore.

2. Le sorelle Converse si distingueranno per un grembiale bianco, che sarà benedetto dal Vescovo insieme coll' abito, velo ec., e sarà sempre considerato una parte essenziale del loro vestiario religioso, il loro abito sarà senza coda, si uniranno colle sorelle negli esercizi spirituali, quando non saranno impedito dalle loro rispettive occupazioni; faranno colazione, pranzo, e cena unitamente alle coriste nel Refettorio, dopo o prima delle coriste secondo che il luogo, e le circostanze il richiederanno.

3. Lo stato delle Converse rassomiglia molto a quello che si è scelto il nostro umile Redentore in questo mondo, il quale si dedicò al servizio degli altri senza mai ricercare di esser servito. Darà loro molto animo il riflettere in tutt' i loro lavori, che servono un padrone celeste, che avrà in pregio ogni loro travaglio e pena, renderà dolci le loro difficoltà, e remunererà generosamente ogni sforzo che faranno per amor sue.

C A P O X.

Degli Stabilimenti.

Siccome le sorelle di questa Santa Congregazione sono dedicate ai poveri, da cui non possono ricevere alcun temporale emolumento, e siccome è loro rigorosamente proibito di ricevere a dozzena, non si aprirà alcun nuovo Monastero, se non abbia una certa rendita pel suo mantenimento esaminata ed approvata dal Vescovo e dalle Discrete del Monastero.

Queste Regole non obbligheranno sotto pena di peccato mortale, o veniale, ma soltanto quando la trasgressione di qualche articolo sia una violazione dei voti, o peccato in se stesso indipendente dalle Regole.

F I N E.

D E C R E T U M

*S. Congregationis Generalis de Propaganda Fide
habita die 20. Julii anno 1840.*

Cum pientissimarum mulierum Societas, quae *Sororum Misericordiae* dicitur, Dublini fuerit instituta, R. P. D. Daniele Murray Archiepiscopo probante erecta, et religiosissimae praesertim feminae Catharinae Mac-Auley studio fundata; cumque Episcopi quamplures Societatis istius confirmationem ab Apostolica Sede postulaverint, S. Congregatio Generalis de Propaganda Fide habita die 20. Julii anno 1840., referente E^mo et R^mo D. Paulo S. R. E. Cardinali Polidorio, pendens quanta sit utilitas profecta jam, et in posterum jure expectanda ex ejusdem Societatis institutione, quae pauperibus praesertim juvandis, infirma valetudine laborantibus omni ratione erigendis, mulieribus in honestatis discrimine versantibus, charitatis ac religionis officio tuendis sedulo dedita est; censuit ac decrevit supplicandum SS^mo Domino Nostro ut Regulas, et Constitutiones Societatis ipsius ea ratione redactas, qua superius relatae sunt, praescribendo simul ut vota a Sororibus Societati addictis, quoad aliter a S. Sede statuatur, Simplicia esse debeant, confirmare dignaretur.

Hanc autem S. Congregationis sententiam SS^mo Domino Nostro GREGORIO PP. XVI. relata ab R. P. D. Ignatio Cadolinio Archiepiscopo Edesseno S. Congregationis Secretario, eadem Sanctitas Sua in audientia diei 6. Junii anno 1841. in omnibus probavit, ac Regulas et Constitutiones de quibus agitur, ratione qua supra significatum est, benigne confirmavit.

Datum Romae in aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide die 5. mensis Julii anno 1841.

J. PH. CARD. FRANSONIUS PRAEFECTUS.

J. Archiepiscopus Edessenus Secretarius.

Vicariatum Apostolicum in Texensi Provincia, in Septentrionali America ad Mexicum constituit, eique praeficit Vicarium Apostolicum Episcopali dignitate insignitum.

G R E G O R I U S P A P A X V I.

Ad perpetuam rei memoriam.

Universi Dominici Gregis salutem Nobis ab ipso Pastorum Principe,
Tom. V. L I

et Episcopo Animarum divinitus commissa, atque concredita postulat, atque efflagitat, ut omni cura, et contentione ea peragere non omitamus, quae ad majorem Christifidelium utilitatem procurandam pertinere posse cognoscimus. Itaque cum in praesentibus rerum, ac temporum adjunctis Catholicae Religionis bono plurimum expedire noverimus, si in Texensi Provincia, vulgo Texas, cujus regimen ecclesiasticum simplici hactenus Presbytero, Praefecti Apostolici titulum habenti fuit commissum, Vicarius Apostolicus Episcopali dignitate insignitus constituatur, qui ampliore auctoritate in illa regione Ecclesiae negotia gerenda curet, de Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, Provinciam ipsam Texensem in peculiarem, ac distinctum Vicariatum Apostolicum erigendum censuimus. Motu igitur proprio, atque ex certa scientia, et matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine harum Litterarum tenore ipsam Provinciam Texensem, in peculiarem, ac distinctum Vicariatum Apostolicum erigimus, et constituimus. Ipsi autem Vicario ab hac Apostolica Sede adlegendo omnes, et singulas facultates hujusmodi Vicariis Apostolicis concedi solitas, eadem auctoritate Nostra concedimus, et impertimur. Haec statuimus, atque decernimus volentes has praesentes litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, atque iis, ad quos spectat, ac in posterum spectabit, plenissime suffragari, et ab omnibus inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, et S. R. E. Cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstan. Nostra, et Cancellariae Apostolicae Regula de jure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus, et Sanctionibus Apostolicis, ceterisque etiam speciali, et expressa mentione, ac derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 16. Julii 1841. Pontificatus Nostri anno undecimo.

A. Card. Lambruschini.

De injuria Vicaria Apostolico illata conquestus Pontifex, declarat graviter quae ad ejusdem auctoritatem propugnandam pertinent.

Venerabili Fratri Henrico Episcopo Heliopolitano
Gibraltae Vicario Apostolico.

GREGORIUS PAPA XVI.

*Venerabilis Frater Salutem, et Apostolicam
Benedictionem.*

Dudum Nos sollicitos habent quae istic contra Ecclesiae jus, atque in tuam, Ven. Frater, tuaeque Dignitatis injuriam gesta comperimus. Quae quidem eo acerbiora cordi nostro acciderunt, quod in sacrae rei detrimentum conspirasse intelleximus nonnullos e Catholico populo, qui ob munia sibi demandata antecellere aliis in officio debuissent. Scilicet Laici quidam Viri cum non aliud unquam jus habuerint, quam quod ex concessione Artistitis ad Ecclesiae Aedituos pertineret, insurgere ausi sunt adversus auctoritatem tuam, et decretum contempnere a Te postea editum de pecuniis ob Sacramentorum administrationem non exigendis; atque adeo contra sanctiones Canonum, immo contra ipsam Christi Domini ordinationem usurpare sibi rerum divinarum regimen contenderunt. Qui etiam cum nostram Propagandae Fidei Congregationem contra Te frustra sollicitassent, hujus quoque auctoritate contempta, non sunt veriti appellare per summum nefas ad Laicos, eosdemque acatholicos Magistratus; quorum porro interventu Tu ipse, Ven. Frater, in carcerem conjectus fuisti, et ad initia usque mensis proximi ibidem detentus.

Haec cum ita contigerint, illud sollicitudini omnium Ecclesiarum, et supremo, quo fungimur, Apostolatus officio Nos debere sentimus, ut e fastigio Sanctae hujus Sedis vocem attollentes, illatam Sacro ordini ac rei Catholicae contumeliam nostris hisce Litteris palam reclamemus. Quare auctoritate Nostra Apostolica solemner declaramus, memoratos Aedituos violasse et conculcasse libertatem sacrae potestatis, et in sanctissima ejus jura invasisse. Itaque illos, utpote manifestae reos audaciae, dignissimos se exhibuisse decernimus, in quos ad Canonum normam graviter animadvertatur. Interim admonemus ipsos atque obtestamur in Domino, ut meminerint Censurarum poenarumque spiritualium, quae Apostolicis Constitutionibus, et Conciliorum Oecumenicorum Decretis in omnes, qui talia audent, statutae ita sunt, ut facto ipso contrahantur. Et quoniam Ejus in terris vicem gerimus, qui venit quaerere et salvum facere quod perierat, nihil equi-

dem optamus magis, quam ut iidem peccatum suum detestantes, ad obsequium et obedientiam Fraternitatis Tuae sincero animo redeant.

Jam vero ad eorum munus quod attinet, neminem ignorare volumus, illud pendere omnino ex auctoritate Episcopi, nihilque ab Aedituis Ecclesiae geri unquam posse, nisi quod eis fuerit ab Antistite demandatum. Quod vero pertinet ad Sacramentorum administrationem, erit Tibi curae, ut Fideles, qui sub Te sunt, sedulo admoneas, Divina ejusmodi munera nullam omnino temporalis pretii aestimationem recipere; sed a Dei Ministris, qui ea gratis acceperunt, gratis pariter esse dispensanda; nec posse istic ullam ad tramites Canonum (Cap. *Ad Apostolicam* 42. de Simonia) probabilem consuetudinem obtendi ad pecuniae quidpiam alicujus Sacramenti occasione alio titulo postulandum; quando id a Te, atque a Congregatione Propagandae Fidei, ex accepta a Nobis potestate, ad tuendam Sacramentorum sanctitatem, jure meritoque vetitum est.

Ceterum ea Nos cogitatio consolatur, quod sub inclyto Gubernio Serenissimae ac Potentissimae Anglorum Reginae haud certe metuendum est, ne ulterior Tibi molestia inferatur, frausque fiat sanctitatis jamdiu Ultrajectino foedere Catholicae Religionis apud Vos libertati: quum praesertim in florentissimo etiam Britannico Regno, pro aequitate Majestatis suae, Catholici eorumque Antistites libero sanctissimae nostrae Religionis exercitio fruuntur.

Denique, Ven. Frater, tuam istam vigilantiam, zelum, et eximiam animi firmitatem meritissimis laudibus honestamus; hortamurque in Domino, ut posthac pariter Religionis causam non minori sedulitate constantiaque sustinere pergas. Nos autem, licet indigni, non desistimus Deo per Jesum Christum humillime supplicare, ut adsit Tibi semper propitius in abundantia gratiae, atque in parte ista suae Vineae tuis rigata sudoribus adaugeat justitiae fruges, et tranquilla omnia faciat. Ac nostrae in Te, et fidelem, cui praees, Clerum et Populum studiosissimae caritatis pignus adjungimus Apostolicam Benedictionem, quam ex intimo corde depromptam Tibi, Ven. Frater, atque illis peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. M. Majorem die 12. Augusti 1841. Pontificatus Nostri anno undecimo.

GREGORIUS PP. XVI.

FINIS TOMI V.

INDEX RERUM

Quae in hoc Tomo continentur.

- L**itterae Apostolicae Leonis Papae XII. Pag. 1
 Acta Consistorii Secreti habiti die 3. Maii 1824, in quo Antiochenus Maronitarum Patriarcha Josephus Petrus Habaisci confirmatur, eidemque Sacrum Pallium conceditur. ib.
- Episcopo Chelmsensi Rhuteni ritus de redditibus ab Alexandro I. Russiae Imperatore, et Poloniae Rege ad ejus Cathedralis Capituli bonum concessis, ac de Capituli ipsius forma respondet. 12
- Episcopo Novae Aureliae, Mississipii statum veluti Vicario Apost. regendum committit. 14
- Superioris Canadae Provinciam in Diaecesim proprie dictam ab Apostolica Sede immediate dependentem erigit. 15
- Ducatum Analth-Coethensem Vicarii Apostolici Saxoniae jurisdictioni committit. 16
- Josephum Rosati Episcopum Tenagrensem in part. de Luisiana tota in duas diaeceses partienda certiore facit, eidemque auctor est ut Novae Aureliae Episcopatum suscipiat, atque interea etiam S. Ludovici diaecesim administret. 19
- Statutam Luisianae totius in duas Diaeceses divisionem ad exitum perducendam esse jubet. 20
- Visitationem Apostolicam Insulae Chiensis in mari Aegaeo, Archiepiscopo Smyrnensi committit. 22
- Scotiae Regnum in tres Vicariatus Apostolicos; Orientalem, Occidentalem, et Septemtrionalem dividendum esse decernit. ib.
- Episcopatus Luisianae Superioris seu S. Ludovici confertur Episcopo Josepho Rosati, retenta interim administratione Episcopatus Novae Aureliae. 25
- Vicarium Apostolicum Londini Guillelmum Poynter Praelatum Domesticum, Pontificio Solio assistentem declarat. 26
- Persarum Hereditario Principi Abbas-Mirsae benevolas ob Catholicum Missionarium ab eo honorifice exceptum literas scribit. 27
- Acta Consistorii Secreti habiti die 28. Januarii 1828, in quo Antiochenus Syrorum Patriarcha Ignatius Petrus Giarve confirmatur, eidemque Sacrum Pallium conceditur. 28
- Vicarium Generalem Apostolicum diaecesis Philadelphiensis in foederatis Americae Septemtrionalis provinciis constituit. 34
- Eximit a vectigalibus, et tributis solvendis hospitia, domos, et bona omnia Ecclesiastica Orientalium in Urbe, comprehensis etiam bonis Monachorum S. Basilii Ritus Rutheni S. Sergii, et Bacchi Urbis. 35
- Statuit quae controversiam omnem perimunt de redditibus temporalibus inter Episcopum Cincinnatiensem, et Provinciam PP.

Tom. V.

M m

- Praedicatorum in Ohio constitutam.* 36
- Collegium Missionum Montis S. Mariae Magdalenae prope Braccaram PP. Minorum S. Francisci Observantium erigit.* 39
- Extraordinaria ratione Episcopum Berytensem Graeco-Melchitam Pontifex ipse eligit.* 40
- Ad Episcopum S. Ludovici, et Diaecesis Novae Aureliae Administratorem, de Episcoporum juribus contra Aedituorum conatus tuendis scribit.* 42
- Principi Hereditario Regni Persarum Abbas-Mirsa ob benevolum erga Catholicos Armenos Missionarios animum, gratum animi sui sensum significat, eique dona nonnulla destinat.* 44
- Societati Leopoldinae Vindobonae ad Missiones in Americae Septentrionalis foederatis Provinciis juvandas, mox institutae indulgentias impertitur.* 45
- Litterae Apostolicae Pii Papae VIII.* 46
- Diaecesim Mobiliensem erigit, quae status Alabamae, et Floridarum comprehendat, et Archiepiscopo Baltimorensi tamquam Metropolitanano subjaecat.* 46
- Dimissa ab Episcopo S. Ludovici administratione Novae Aureliae, hujus diaecesis proprium Episcopum constituit.* 47
- Diaecesim Carolinopolitanam erigit, eamque ab Apostolica Sede immediate dependere debere constituit.* 48
- Francisco I. Austriae Imperatori, et Apostolico Hungariae, ac Bohemiae Regi Catholicos Orientales commendat, ut eorum ratio habeatur in conventu inter*
- Europeos Principes, et Moham-
medanorum Imperatorem habendo.* 49
- Francorum Regi Christianissimo Carolo X. de eadem re scribit.* 51
- Vicariatus Apostolico Novae Scotiae Promontorium Britannum a Diaecesi Quebecensi separatim adscribit.* 52
- Dimissa per Congregationem Clericorum Regularium S. Pauli, et Barnabae Missione Avana, et Peguensi, Vicarium Apostolicum alio modo ibi constituit.* ib.
- Sedem Archiepiscopalem, et Primatiales pro Armenis Catholicis in Urbe Constantinopolitana erigit.* 53
- Primum Archiepiscopum Primatem Armenorum Constantinopolis eligit.* 56
- Episcopum Dromorensem Armacani Archiepiscopi Coadjutorem, cum Conciliatoris munere ad componenda Ecclesiastica negotia Galviam mittit.* 58
- Patriarcham Babylonensem Chaldaeorum, Joannem Hormez Archiepiscopum Mosulensem constituit.* 60
- Litterae Apostolicae Sanctissimi Domini Nostri GREGORII PAPAE XVI.* 62
- Erigit in Diaecesim proprie dictam Guardianatum Galviensem in Hibernia.* 62
- Visitatorem Apostolicum Coenobii S. Petri in Montorio, et Collegii Missionum ibi existentis constituit Eminentissimum S. R. E. Cardinalem Jacobum Philippum Fransonium.* 66
- Episcopi Philadelphiensis R. P. D. Henrici Conwell jurisdictione-*

- nem Episcopalem cessasse declarat, et illa R. P. D. Kenrick Coadjutorem ab Apostolica Sede donatum esse. ib.
- Erigit Vicariatum Apostolicum in Regno Coreae. 67
- Vicarium Apostolicum constituit in Regno Coreano. 69
- Visitatorem Apostolicum constituit Monasterii S. Mariae de Cabra Ordinis S. Dominici, R. P. D. Archiepiscopum Dublinensem. 70
- Patriarchae Syrorum R. P. D. Petro Giarve commendat ut ad Montem Libanum revertatur, et in Monasterio S. Ephrem resideat. 71
- Declarat cessasse Administrationem Diaecesis Graeco-Melchitarum Hierapolis Archiepiscopo Ferzulensi collatam, et novum Archiepiscopum Hierapolitanum Graeco-Melchitam eligi de more oportere. 72
- De Archiepiscopo Hierapolitano Maronitarum R. P. D. Paulo Arutin ad Montem Libanum vocando, et de regimine illius Ecclesiae interea alia ratione procurando constituit. 73
- Plura declarat quae ad Ecclesiastica Armenorum negotia recte gerenda pertinent, et ad disciplinae Ecclesiasticae bonum apud eos promovendum. 74
- Ecclesia S. Blasii in Urbe, cum Hospitio, Viridario, Aedibusque adnexis Armenae Catholicae Nationis Clero tribuit. 79
- Erigit Vicariatum Apostolicum Madraspatanum in Indiis Orientalibus. 85
- Caenobii, et Collegii Missionum in aedibus S. Petri in Montorio constituit Visitatorem Apostolicum Aloisium S. R. E. Cardinalem Lambruschinum. 86
- Collegii Missionum in Caenobio S. Antonii Patavini FF. Minorum Conventualium Visitatorem Apostolicum constituit Augustinum S. R. E. Cardinalem Riva-rola. 87
- Vicario Apostolico Bombaini Episcopo Antifellensi interini Vicarii Apostolici Madraspatani munus committit. 88
- Erigit Episcopatum Detroitensem qui comprehendat provincias Michigan, et North-West in America Septentrionali, eamque jure Metropolitico ab Archiepiscopo Baltimoreensi dependere debere constituit. 89
- Episcopum Carolopolitanum Joannem England mittit ad Insulam S. Dominici cum Apostolici Legati munere ad pertractanda Ecclesiae negotia. 91
- Confirmat quae de Coenobio, et Collegio Missionum S. Petri in Montorio Eminentissimus Cardinalis Aloisius Lambruschinus Visitator Apostolicus statuerat. 92
- Commendat Praesidi Reipublicae S. Dominici Legatum Apostolicum Episcopum Carolopolitanum. 96
- Vicariatum Apostolicum in Polonia Orientali constituit. 97
- Protectorem, ac Vicarium Apostolicum Monasterii Canningtonii Monialium Ordinis S. Benedicti in Occidentali Angliae Districtu S. R. E. Cardinalem Thomam Weld constituit. 99
- Societatem Sororum Charitatis in Hibernia erectam confirmat. 101
- Benevolas ad Missionarios Congregationis Gallicanae SS. Cor-

- dium Jesu , et Mariae in Insulis Sandwichianis laborantes litteras scribit. 102
- Patriarchae Armenorum Ciliciae de rebus ejus Ecclesiam respicientibus respondet. 103
- Tunetanae Missionis Visitatorem Apostolicum P. Angelum de Planella Ord. PP. Capuccinorum constituit. 104
- Vicariatum Apostolicum Calcuttae in Indiis Orientalibus erigit. 105
- Confirmat Madraspatani Vicariatus Apostolici erectionem. 107
- Episcopatum Vincennopolitanum in Indiana, in faederatis Americae Septemtrionalis provinciis, Archiepiscopi Baltimorensis suffraganeum erigit. 108
- Vicariatum Apostolicum Novae Hollandiae constituit. 109
- Diaecesium in Faederatis Americae Septemtrionalis provinciis limites constituit , ac decernit. 110
- Delegatum Apostolicum in Regno Graeciae Episcopum Syrensem Maris Aegei constituit. 114
- De collato Legati munere pro insula S. Dominici Episcopo Carolopolitano , deque ceteris eam rem respicientibus scribit. 115
- Othoni I. Graeciae Regi Episcopum Syrensem Delegatum Apostolicum commendat. 116
- Sardhanae Vicariatum Apostolicum Principis Joannae Sombre Begum Principatum comprehendentem in Indiis Orientalibus erigit. 117
- Principem Davidem Begum Sombre Equitem Ordinis Christi constituit. 118
- Erigit in Insula Ceylan in Indiis Orientalibus peculiarem Vicariatum Apostolicum. 120
- Revocat litteras Apostolicas Urbani VIII. , quibus ob gravia temporum adjuncta concesserat, ut Seminariorum , seu Collegiorum Hiberniae extra Hiberniam ipsam existentium Alumni, sine literis dimissoriis propriorum Ordinariorum possent ad Sacros Ordines promoveri. 121
- Erectionem Vicariatus Bengalensis Calcuttae anno 1834. factam confirmat , et Pauli V. decreto , quod in ea re opponebatur , expresse derogat. 122
- Quaestionem de Patronatus juris pertinentia in Monasterium S. Artemii Maronitarum hactenus non definitam esse affirmat. 124
- Synodum Antiochenam Graecorum - Melchitarum Carcaphae anno 1806. habitam damnat , et librum quo ejusdem acta , et decreta typis impressa continentur , proscribit. 125
- Archiepiscopum Iconiensem , Vicarium Apostolicum Alepi Joannem Baptistam Auvergne , Visitatorem Apostolicum constituit totius Patriarchatus Chaldaeorum. 127
- Acta Consistorii Secreti habiti die 1. Februarii 1836. in quo Antiochenus Graeco-Melchitarum Patriarcha Maximus Mazlum confirmatur , et eidem Sacrum Pallium conceditur. 129
- Eminentissimum Dominum S. R. E. Cardinalem Carolum Mariam Pedicinium tunc Episcopum Praenestinum , Visitatorem Apostolicum constituit Conventus , et Collegii Missionum apud S. Bartholomaeum in In-

- sula Tiberis FF. Minorum S. Francisci Observantium.* 132
- Vicariatus Apostolico Coreano Regno Lieu Kieu adjungit.* 134
- Clerum et Populum Armenum Catholicum Constantinopolitanum ad animorum concordiam, et tranquillitatem, atque ad debitam Sedi Apostolicae, et Archiepiscopo Primati obedientiam hortatur.* 135
- Civitatem et Districtum Montis Regii, seu Marianopolitani in Inferiori Canada, a Diaecesi Quebecensi disjungit, et in proprie dictam Diaecesim ab Apostolica Sede immediate dependentem erigit.* 138
- Vicarium Apostolicum caractere Episcopali insignitum constituit in ea Oceaniae parte, quae insulas omnes Oceani Pacifici Septemtrionalis, quam Australis in Occidentali plaga complectitur.* 139
- Angelum de Planella Episcopum Tipasitanum Ordinis PP. Capuccinorum, Visitatorem Apostolicum constituit Missionis PP. Capuccinorum in Insulis Maris Aegaei, Asiae Minoris, et Constantinopolis.* 141
- Collegium Hibernorum Urbis ex Ginnasiano domicilio transfert ad domicilia adjecta templo S. Agathae Gothorum, atque in Suburra appellari solito, et eidem Collegio memorata domicilia, et templum S. Agathae attribuit.* 142
- Vicariatum Apostolicum constituit Pudicherii in Ora Coromandalica, qui comprehendat loca omnia quae Seminarium Parisiense Missionum ad Exteros, per Presbyteros suos, sub Superioris, inter Seminarii ipsius Presbyteros eligendi dependentia antea procurabat.* 144
- Confirmat quae in Visitatione Apostolica peragenda Conventus, et Collegii Missionum FF. Minorum S. Francisci Observantium ad S. Bartholomaeum in Insula Tiberis, Eminentissimus S. R. E. Cardinalis Pedicinius Episcopus Praenestinus statuenda esse judicaverat.* 145
- Confirmat initum antea consilium, et exequendum statuit de Vicariatu Apostolico in Insula Ceylan in Indiis Orientalibus constituendo.* 149
- De exhibenda Apostolicis mandatis obedientia circa res Ecclesiasticas in Indiis Orientalibus, et ad animorum concordiam in ea re procurandam scribit ad PP. Augustinianos Calcuttae degentes.* 150
- De eadem re scribit ad Vicarium Capitularem Diaecesis Goanae.* 152
- Vicariatum Apostolicum in Insula Iamaica erigit in Indiis Occidentalibus, cui Vicariatus tractum adjungit insularum quae Lucayae, et Bahamae dicuntur, una cum Anglicana colonia in peninsula Yucatan.* 154
- Aegypti, et Arabiae Visitatorem Apostolicum constituit Episcopum Tipasitanum Angelum de Planella Ord. PP. Capuccinorum, eo quod novus Vicariatus Apostolicus in iis regionibus esset erigendus.* 155
- Gujanam Britannicam, seu Demerariam sejungit a Vicariatu Apostolico, cujus Sedes est in Insula SS. Trinitatis in Indiis Occidentalibus, atque in ea*

- novum Vicariatum Apostolicum erigit.* 156
Commendat Episcopo Montis Regii seu Marianopolis in Canada Inferiori domum Presbyterorum S. Sulpicii ibi existentem. 157
Principem David Dyce Sombre de Aviae morte consolatur, et benevolas de ejusdem erga Religionem studio literas scribit. 158
Ecclesiae Cathedralis Zacynthi Capitulo privilegia nonnulla largitur. 159
In Promontorio Bonae Spei Vicariatum Apostolicum ab eo Insulae Mauritii distinctum constituit. 160
Episcopatum Natchetensem erigit, cui universam subiicit Fluminis Mississippi in America Septentrionali Provinciam. 161
Dubuquensem Episcopatum erigit in Territorio Visconsin in America Septentrionali. 162
Nashvillensem Episcopatum erigit in Comitatu Davidsoniensi in America Septentrionali. 163
De Vicariatum Apostolicorum in Indiis Orientalibus facta institutione, et de revocatis circa hoc ipsum Apostolicis aliis Constitutionibus multa declarat. 164
Restituit, ac denuo erigit Vicariatum Apostolicum in Provincia Hu-quang. 169
Vicariatus Apostolicos in Provinciis Iche-Kiang et Kiangs erigit. 170
Vicariatum Apostolicum erigit in Provincia Leao-tung. 171
Isaiam Jacobi Archiepiscopum Haderbegian, Coadjutorem cum futura successione constituit Patriarchae Babylonensis Chaldaeorum. 172
Vicarium Apostolicum dignitate Episcopali insignitum Gibraltariae constituit. 173
Visitatoris Apostolici munus pro Patriarchatu Chaldaeorum committit Archiepiscopo Philippensi R. P. D. Villardell Delegato Apostolico Alepi. 174
Vicariatum Apostolicum erigit in Aegypto, et Arabia. 175
Nuntium Apostolicum in Helvetia, Visitatorem Apostolicum designat Missionum Rhetiae, Mesolcinae, et Calancae. 176
Plura constituit ad succurrendum Religioni in Tunquino Orientali ab Infidelibus vexatae. ib.
Ob gravissimam in Tunquino Occidentali ferventem persecutionem, Moderatoribus Seminarii Parisiensis Missionum ad externos committit, ut ex alumnis suis aliquem Coadjutorem Vicarii Apostolici eligant. 178
Praefectum Apostolicum Missionum, et Collegiorum de Propaganda Fide in America Meridionali constituit Augustinum Fernandez de Corduba, Archiepiscopum Attaliensem, cui facultates tribuit Commissario Generali Indiarum concedi solitas. 180
Erigit Vicariatum Apostolicum in Provincia Chan-tong. 181
Vicarium Apostolicum Missionum Septentrionalium Inferioris Germaniae Hamburgi residere debere constituit. 183
Ecclesiam Beatissimae Virginis in Monte Carmelo Basilicam minorem declarat. Ea Basilica deinde Filialis Capituli Lateranensis facta est. 184
Ad Religionis bonum in Tunquino Occidentali procurandum in

- gravissimae persecutionis discrimine, Vicarii Apostolici electioni, et successioni prospicit.* 185
- Ob ferventem in Cochinchina contra Christianos vexationem, ea statuit, quae Vicarii Apostolici electioni, et successioni provideant.* 187
- Vicarium Apostolicum eligit pro Insula Mauritii, quae diu fuerat a Visitatore Apostolico gubernata.* 189
- Gratulatur de Instituto Catholico in Anglia erecto.* 190
- Vicarium Apostolicum Verapolitanum ad Archiepiscopalis tituli in part. Sedem promovet, quia Syro-Catholici antea Archiepiscopo Granganorensi subjecti id plurimum optabant.* 191
- Nonnulla Diaecesium Leodiensis, et Namurcensis loca ex Diaecesibus illis disjungit, et ex iis aliqua tribuit Luxemburgensi Vicariatus Apostolico, ex aliis vero Limburgensem Vicariatum Apostolicum constituit.* 192
- Abbatiae S. Mauritii in Valesia honorem tribuit, ut ejusdem Abbas perpetuo sit Episcopus Bethleem in partibus.* 196
- Ex quatuor Vicariatus Apostolicis Angliae Regnum complectentibus, octo constituit, et novam Ecclesiasticae totius Regni jurisdictionis distributionem facit.* 198
- Regi Birmannorum Vicarium Apostolicum Avanum, et Peguensem commendat, eique nonnulla dona tribuit.* 201
- Committit Abyssinae Visitoris Apostolici munus, Copticae Nationis Vicario Apostolico.* 202
- Abbatiae S. Mauritii in Valesia plura confert perpetua privilegia, et honorificentiae significationes.* ib.
- Acta Consistorii Secreti habiti die 27. Aprilis 1840. In quo Babylonensi Nationis Chaldaeorum Patriarchae Nicolao Isaiae Jacobi sacrum Pallium concessum est. Hoc autem per literas Apostolicas die 13. Augusti anno eodem expeditas ad exitum perductum est.* 205
- Epistola encyclica ad omnes Patriarchas, Primate, Archiepiscopos, et Episcopos scripta, quae iis communem Ecclesiae causam impense tuendam commendat; et simul de Missionum Apostolicarum ad exterarum gentes fructu, de Societate Propagationis Fidei juvanda; deque Leopoldina societate, aliisque piis institutionibus multa sapienter pertractat.* 209
- Corpus S. Exuperii Martyris in caemeterio Callisti repertum, Societatis Propagationis Fidei Lugdunensi consilio a se dono datum commemorat Pontifex, et indulgentias perpetuo a se concessas recenset.* 214
- Vicariatum Apostolicum constituit, qui Provinciam Yun-nan comprehendat, quae a Vicario Apostolico Sutchuensi antea gubernabatur. Hic Vicariatus Apostolicus committitur Seminario Parisiensi Missionum ad exteros.* 215
- Ad Moderatorem Seminarii Parisiensis Missionum ad Exteros scribit de Vicario Apostolico Yun-nan eligendo.* 216
- Provinciam Mongoliam a Vicariatu Apostolico Leao-tung disjungit, et Vicariatum Apostoli-*

- cum ex ea constituit, atque illum Congregationi Missionis S. Vincentii de Paolis committit. 217
- De Vicariatu Apostolico Mongoliae, Congregationi Missionis commisso, ad Superiorem Generalem Congregationis Missionis scribit.* 218
- Principi Insularum Gambieres ob prosperos ibi Religionis eventus gratulatur, et nonnulla numismata ad eundem dono mittit.* 219
- Coadjutorem Vicariatus Apostolici Madraspatani, Vicarium Apostolicum Bengalensem seu Calcuttae constituit.* 220
- Archiepiscopum Latinum Smyrnaeum, Visitatorem Apostolicum mittit ad Graecorum, et Albanensium Colonias in Regno utriusque Siciliae.* 221
- Vicario Apostolico districtus Walliae Visitationem Apostolicam committit Provinciae Anglicanae FF. Minorum Sancti Francisci Strictioris observantiae.* 222
- Archiepiscopo Baltimorensi, et ejus suffraganeis Episcopis in Foederatae Americae Septemtrionalis provinciis scribit, eorum commendans virtutem, ac Religionis studium ob Concilii IV. Provincialis Baltimorensis celebrationem.* 223
- Redeunte ad Montem Libanum Presbytero Maronita Murad, illius gentis negotiorum gestore, Patriarchae Nationis Maronitarum scribit de subsidiis, quae Catholicae Nationes tribuunt ut Maronitis, et Ecclesiae apud illos ob belli vicissitudines afflictae succurrant.* 224
- Archiepiscopo Armacano ceterisque Archiepiscopis, et Episcopis Hiberniae gratulatur ob adhaesionem responsis S. Congregationis circa systema Nationalis institutionis.* 225
- Nonnulla loca Provinciae Zelandiae a Diaecesi Gandavensi disjungit, et Vicariatu Apostolico Bredano attribuit.* 226
- Praesidi Reipublicae Haitarum in Insula S. Dominici scribit de R. P. D. Josepho Rosati Episcopo S. Ludovici, quem ad componenda Ecclesiastica negotia Reipublicae ejusdem, cum Delegati Apostolici munere, illuc mittit.* 229
- Nonnulla decernit pro meliori Custodiae Terrae Sanctae, ac Finitimarum Missionum regimine.* 230
- R. P. D. Josephum Rosati Episcopum S. Ludovici, Delegatum Apostolicum designat ad componenda Ecclesiastica negotia Reipublicae Haitarum in Insula S. Dominici.* 234
- Prospectus, seu forma Collegii Urbani S. Congregationis.* 235
- Confirmatio Regulae, et Constitutionum Societatis Sororum Misericordiae Dublini erectae.* 239
- Vicariatum Apostolicum in Texensi Provincia, in Septemtrionali America ad Mexicum, constituit Pontifex, eique praeficit Vicarium Apostolicum Episcopali dignitate insignitum.* 263
- De injuria Vicario Apostolico Gibraltaricae illata conquestus Pontifex, declarat graviter quae ad ejusdem auctoritatem propugnandam pertinent.* 267

FASCICULUS QUO RECENSENTUR

ACTA AC DECRETA

SYNODORUM PROVINCIALIUM

BALTIMORI HABITARUM AB ANNO MDCCCXXIX. USQUE AD ANNUM MDCCCXL.

**QUAE SACRI CONSILII CHRISTIANO NOMINI PROPAGANDO IUDICIO SUBJECTA ,
ET AB APOSTOLICA SEDE CONFIRMATA SUNT.**

CONCILIUM I. PROVINCIALE

BALTIMORI HABITUM MENSE OCTOBRI ANNO MDCCCXXIX.

BEATISSIMO AC SANCTISSIMO PATRI

GREGORIO XVI. PONTIFICI MAXIMO

ARCHIEPISCOPUS BALTIMORENSIS, CETERIQUE FOEDERATAE
AMERICAE, PRAESULES.

BEATISSIME PATER.

Simul atque inscrutabili Divinae Providentiae iudicio, ac Sanctae Sedis auctoritate, Episcopali munere fungi caepimus, nihil antiquius habuimus quam ut verae Fidei propagationi, ac Disciplinae, quae SS. Pontificum decretis, sacrisque canonibus esset conformis, stabilien-
dae, nisi toto incumberemus. Ad haec porro sanctarum synodorum ce-
lebrationem multum conferre probe scientes, Baltimorum convenimus,
et Concilium Provinciale primum, mense Octobri, Anno 1829 ha-
bendum, indiximus.

Sacri hujus Concilii, Apostolica auctoritate firmati, Decreta, Ro-
mam ad SS. D. N. Pium, felicitis recordationis, PP. VIII. transmissa,
Beatissimi Patris approbatione munita, ac roborata ad nos tandem re-
dierunt. Eadem igitur in lucem edituri, una cum aliis documentis,
quae successoribus nostris in posterum necessaria, aut certe perutilia
fore confidimus, Opusculum tibi, SANCTISSIME PATER, dicatum et
volumus, et facimus. Id namque postulat summus Honoris et Jurisdi-
ctionis Primatus, quo Universali Ecclesiae praees, ac moderaris: sua-
det plurimorum recordatio meritorum, quibus, etiam cum in minori-
ribus ageres, Tuam erga nos benevolentiam saepissime testatus es: im-
pulsit nascentis in hisce regionibus Ecclesiae decus, honor, et incre-
mentum. Posteris enimvero, BEATISSIME PATER, jucundum, praecla-
rumque hac nostra agendi ratione exemplum relinquemus. Cum scilicet
novi orbis Praesules veterum inhaerentes vestigiis intuebuntur, atque
ad Romani Pontificis pedes provolutos, laborum suorum confirmatio-
nem, iisdemque, sibi, ab alta Petri Sede, Apostolicam Benedi-
ctionem efflagitantes.

Post acceptam ab Apostolica Sede facultatem omnia jura Metropolitana exercendi, etiam ante Pallii receptionem, Illustrissimus et Reverendissimus Archiepiscopus Baltimorensis, Jacobus Whitfield, litteris suis mense Decembri, anno 1828, datis, Praesules Provinciae Baltimorensis, ad Concilium, die prima mensis Octobris, anno 1829, in ipsa Urbe Baltimori celebrandum, convocavit. Reverendissimum quoque Episcopum Sancti Ludovici, Neo-Aureliae administratorem, Sanctae Sedi immediate subjectum, eo quod Dioeceses quibus praeest intra Foederatae Americae limites sitae sint, invitavit, ut, salvis caeteroquin suis privilegiis, Concilio interesset. Praesules Archiepiscopi votis laeti et alacres annuere. Adfuerunt igitur.

Illūnus Archiepiscopus Baltimorensis, Jacobus Whitfield, consecratus anno 1828, die vero Maii 25.

Rōnus Episcopus Bardensis, Benedictus Joseph Flaget, consecratus die 4. Novembris, anno 1810.

Rōnus Episcopus Carolopolitanensis, Joannes England, consecratus die 21. Septembris, anno 1820.

Rōnus Episcopus Cincinnatensis, Eduardus Fenwick, consecratus die 18 Januarii, anno 1822.

Rōnus Episcopus Sancti Ludovici, Administrator Neo-Aureliae, Joseph Rosati, consecratus die 25 Martii 1824.

Rōnus Episcopus Bostoniensis, Benedictus Fenwick, consecratus die 1. Novembris, anno 1825.

Admodum Reverendus Gulielmus Matthews, Vicarius Generalis Apostolicus Philadelphiensis, constitutus a Sede Apostolica, die 26 Februarii, anno 1828.

Aberant RR. DD. Joannes Dubois, Episcopus Neo-Eboracensis, et Michael Portier, Episcopus Mobiliensis, qui trans mare iter antea aggressi, ab Europa nondum reversi fuerant. Rōnus quidem Episcopus Neo-Eboracensis Procuratorem constituerat Rōnum D. Joannem Baptistam David, Episcopi Bardensis Coadjutorem; sed ob adversam valetudinem, nec ipse potuit adesse.

Die ultima Septembris Anno 1829, convenerunt Praesules in Aedibus Archiepiscopalibus; atque haec inter alia probata, ac sancita sunt: 1. Nullum decretum praelo subjicietur, quin prius Sanctae Sedis approbatione firmatum fuerit. 2. A die quarta ad decimam usque diem Octobris, Missam solemniter celebrabit unus ex Concilii Praelatis, ordine supra commemorato: Rōni autem Episcopi Carolopolitanensis et Bostoniensis brevem ad populum concionem, alternis vicibus, habebunt. 3. Illūnus Archiepiscopus, ex sententia Praelatorum, constituit Promotorem, Rōnum B. Fenwick, Episcopum Bostoniensem. Deinde Reverendum D. Magistrum J. B. L. Eduardum Damphoux in Mariana

Facultate Sacrae Theologiae Baltimorensi Licentiatum , Secretarium Concilii designavit , eique adiutorem dedit Reverendum D. Franciscum P. Kenrick. 4. Ad Synodum invitati sunt spectatissimi viri , quorum nomina sequuntur.

Admodum Rev. Pater Franciscus Dzierozynski Superior Societatis Jesu in America Foederata , et admodum Rev. Joseph Carriere , Visitor Societatis Sancti Sulpitii.

Admodum Rev. Joannes Tessier , Vicarius Generalis Archidioecesis Baltimorensis, et Marianae Facultatis Sacrae Theologiae Baltimorensis venerandus Decanus.

Rev. D. Ludovicus Deluol , Superior Seminarii Sancti Sulpitii Baltimorensis, et Marianae Facultatis Sacrae Theologiae Baltimorensis venerandus Syndicus.

Rev. D. Ioannes Baptista Ludovicus Eduardus Damphoux , Marianae Universitatis Amplissimus Rector.

Theologi Metropolitanæ Ecclesiæ Baltimorensis nominati.

Rev. D. Franciscus Patritius Kenrick , ab Episcopo Bardensi adductus Theologus.

Rev. D. Simon Gabriel Brutè , ab Episcopo Carolopolitanensi designatus Theologus.

Rev. D. Ludovicus De-Barth , ab Episcopo Cincinnatiensi designatus Theologus.

Rev. D. Augustus Jeanjean , ab Episcopo Sancti Ludovici adductus Theologus.

Rev. D. Antonius Blanc , ab Episcopo Bostoniensi designatus Theologus.

Rev. D. Michael Wheeler , a Vicario generali Apostolico Philadelphensi designatus Theologus.

His omnibus jam peractis et statutis , Anno Domini millesimo octingentesimo vigesimo nono , quarta die Mensis Octobris , Pontificatus SS. D. N. Pii , felicitis recordationis , PP. VIII. primo , post traditum Pallium Illmo Archiepiscopo ab Rmo Episcopo Bostoniensi , servatis omnibus quae in Pontificali Romanopraescribuntur , ad Dei gloriam, et Catholicae Ecclesiae in Americae Foederatis Provinciis amplificationem , Sanctum Baltimorensis Provinciale Concilium , legitime convocatum et congregatum , apertum et inchoatum est.

Absolutis post dies duodecim Concilii Decreta , Romam ad Beatissimum ac SS. Patrem Pium , felicitis recordationis , PP. VIII. , RR. PP. DD. supra commemorati , pro confirmatione miserunt in hunc modum scribentes :

BEATISSIMO AC SANCTISSIMO PATRI

PIO VIII. PONTIFICI MAXIMO

BEATISSIME PATER

Inter gratulationes quas , ob Sanctitatis Vestrae ad Supremam Petri Cathedram assumptionem , Christianus orbis Romam laetus undique mittit , haud ingratas communi fidelium Patri futuras speramus , quas ex Septentrionalis nostrae Americae adhuc infantibus Ecclesiis Beatitudo Vestra recipiet. Perjucundum quidem nobis exultantis animi sensus , ob tantum Pastorem perdifficilibus hisce temporibus , provido Dei miserantis consilio, Ecclesiae datum , his litteris communi testimonio patefacere , atque simul illius , quam Christi in terris Vicario debent omnes Ecclesiarum Pastores , venerationis , reverentiae , et obedientiae argumentum aliquod proferre. Id autem nos sincere praestituros arbitramur, nostri Baltimoriensis Provincialis Concilii decreta Beatitudinis Vestrae supremo iudicio subjiendo , ut quae Ecclesiarum nostrae curae commissarum bona decernenda censuimus , Apostolica approbatione , si quam merentur , donata , necessaria sanctione roborentur. Ea igitur Romam transnavigare volumus : ea ante Sanctitatis Vestrae tribunal sistere jubemus , ut ad trutinam revocata , ex illis , quae Petro probata fuerint , tantum approbemus , et quae ab illo rejicienda vel condemnanda judicabuntur , rejiciamus , atque damnemus. Ea autem in illis condendis , Beatissime Pater , mens nostra non fuit ut novum aliquem Ecclesiasticarum legum codicem fabricaremus , aut earum quae jam latae fuerunt ad unguem absolutam , et perfectam clero , et populo Dioecesium nostrarum collectionem exhiberemus. Absit ut hujusmodi consilia animo versaremus. Ad primum enim quod attinet , sanctissima et antiqua Ecclesiastica instituta , SS. Patrum , venerandorum Consiliorum , Summorumque Pontificum auctoritate firmata , ea qua par est veneratione prosequentes , nil nobis sanctius , nil unquam antiquius erit quam illis adhaerere , atque a novitatibus omnibus tot periculis refertis abhorrere . Quoad vero secundum : nec alii desunt fontes , ex quibus oves nostrae curae concredita Ecclesiasticarum legum doctrinam possint haurire : nec temporum adjuncta , aliaque graviora pastoralis muneris officia ad perdifficile hujusmodi opus lucubrandum otium necessarium nobis reliquissent . Igitur id nobis propositi fuit , ut scilicet praesentibus urgentioribusque Dioecesium nostrarum necessitatibus occurreremus , et in primis unam eandemque , quoad fieri posset , disciplinam restitueremus , Sacerdotibus collaboratoribus nostris in memoriam revocanda ea , quae ab Ecclesia jam decreta , vel commendata fuerunt.

Fateamur profecto oportet , et “ benedicamus Deum caeli , et coram omnibus viventibus confiteamur ei , quia fecit nobiscum misericordiam suam : etenim sacramentum regis abscondere bonum est ;

opera autem Dei revelare et confiteri, honorificum est. „ Nondum enim duorum saeculorum tempus elapsum est, ex quo primum in remoto et obscuro Marylandiae angulo, Catholici nominis homines numero pauci (Missionariis paucis praeuntibus) e patria exules, persecutionem, qua ob avitam fidem crudeliter impetebantur, fugientes, hujus Americanae Ecclesiae fundamenta jecerunt: vix quadraginta annorum spatium effluxit ex quo is fidelium numerus in Foederatis hisce Americanis Provinciis inventus fuit, qui primae Episcopalis Sedis Baltimori, Summi Pontificis judicio, erectionem postulare videretur: nondum tandem vigesies anni circulus est revolutus, ex quo Sanctissimi Pontificis Pii VII. decreto Baltimorensis Ecclesia Metropolitana dignitate et juribus cohonestata, suffraganeis Dioecesibus recenter erectis, veluti Mater filiorum laetans, foecunditatis dono caelitus accepto, prolem, quam recens Christo genuerat, in novis Ecclesiis primo circumspexit. Nihilominus tantas videmus a Deo impertitas Ecclesiis istis nascentibus benedictiones, tantumque datum vineae huic incrementum, ut et qui plantaverunt, et qui irrigaverunt, et qui vindemiant, et qui torcularia redundantia calcant, „ digitum Dei, hic omnino fateri, atque mirari cogantur. Fidelium numerus crescit in dies, templa cultu divino haud indigna passim aedificantur, Verbum Dei undequaque et non sine fructu praedicatur, odia et vulgata in Ecclesiam atque fideles evanescent praejudicia. Religio Sancta olim despecta et contemptui habita honorem ab ipsis inimicis accipiens: Christi Sacerdotes ab iis etiam qui foris sunt venerati: veritas et divinitas fidei nostrae, non in Ecclesiis et ex suggestu solum, sed ex ipsis typographicis officinis, periodicis, et longe lateque diffusis libellis proclamata, et ab haereticorum ac infidelium calumniis vindicata. Sex clericorum Seminaria, spes Ecclesiarum nostrarum, jam instituta, et sanctissima disciplina a piis doctisque Sacerdotibus gubernata; novem ad puerorum et adolescentium in pietate, bonis artibus, et scientiis etiam altioribus institutionem Collegia sub clericorum regimine, Catholici nominis decus, per diversas provincias erecta: ex his tria Universitatis nomine et privilegiis a Comitibus generalibus decorata: Sacrarum Virginum Monasteria domusque triginta tres, ex diversis Ordinibus et Congregationibus Ursularum, Visitationis, Carmelitarum, SS. Cordis, Sororum Charitatis, Lauretanarum etc. passim per Dioeceses nostras fundata, unde non solum Consiliorum Evangelicorum observantia, aliarumque virtutum omnium exercitio, sed et puellarum innumerarum pia institutione, „ Christi bonus odor, undequaque diffunditur: Religiosorum Ordinum Praedicatorum, et Societatis Jesu, Sacerdotum Saecularium Congregationis Missionis, et S. Sulpitii domus nonnullae, ex quibus Sacerdotes ad sacras missiones, veluti ex centro radii, emittuntur: Scholae non paucae, ubi pauperes utriusque sexus gratis docentur: Hospitalia, ubi regionibus istis prius ignota, Christianae charitatis exempla a Religiosis puellis quotidie, maximo animarum et Religionis lucro praebentur. En, Beatissime Pater, quae no-

bis contulit Deus, paucis ab hinc annis, insignia beneficia: ea porro a Beatitudine Vestra in praesentiarum occultare fas minime fuisset.

Ast inter tot gaudii justas causas, non desunt, Pater Sanctissime, luctus et doloris haud contemnenda motiva. Aedituorum aliquibus in locis usurpata in Ecclesias potestas: exiguus sacerdotum et operariorum numerus Dioecesium nostrarum necessitatibus omnino impar; clamor proinde parvulorum, qui Verbi Dei panem petunt, animum nostrum, veluti gladius, pertransiens, quum desint qui panem illis frangere possint; subsidia ad Sacrorum Ordinum candidatos in Seminariis alendos deficientia: eorum, qui huc aliunde veniunt clericorum et Sacerdotum, suam, qua indigemus, operam nobis offerentium, corda scrutandi, quove spiritu agantur cognoscendi, arduum negotium: deplorandi humanae istius infirmitatis effectus in quibusdam ex iis, qui ad sacerdotalia munia a nobis deputati, vitam heu! adeo sublimem statum decentem aliquando minime agunt: facilis ad Schismata in regionibus istis occasio, et ad illa praecavenda vel extirpanda non semper in nobis satis expedita potestas: varia in varias provincias, nec semper sibi constans, a Missionariis caeteroquin piis ex diversis regionibus advenientibus, inducta disciplina. Haec sunt mala, quae a nobis remedium aliquod postulare videbantur. His occurrere cupientes decreta, quae supremo Sanctitatis Vestrae iudicio subjicimus, condidimus, futurum sperantes ut Apostolica sanctione firmata, finem optatum consequantur. Id unum nobis hic adjicere liceat, in veneratione, obsequio, et obedientia quam erga Apostolicam Sedem ex animo profitemur, nullis primas partes cessuros.

Sanctitatis Vestrae

Obsequios Filios

- ✱ Jacobum, Arch. Baltimoremsem.
- ✱ Benedictum Josephum, Bardensem Episcopum.
- ✱ Joannem, Episcopum Carolopolitanensem.
- ✱ Eduardum, Episcopum Cincinnatensem.
- ✱ Josephum, Episcop. S. Ludovici, et Administratorem Apost. Neo-Aureliae.
- ✱ Benedictum, Episcopum Bostoniensem.

Datum Baltimori, Anno Reparatae Salutis 1829.)
Die vero Octobris, vigesima quarta.)

SS. Pontificis approbationem, et confirmationem Concilii Baltimorensis Decretorum, sequens ostendit Rescriptum.

DECRETUM

SACRAE CONGREGATIONIS GENERALIS DE PROPAGANDA FIDE,
HABITA DIE 28 JUNII, ANNO 1830.

“ Inter praeclara RR. PP. DD. Archiepiscopi Baltimorensis, et ceterorum Episcoporum Dioecesium in Foederatis Americae Septentrionalis Provinciis existentium, erga Religionem Catholicam merita, Sacra Congregatio de Propaganda Fide illud jure recenset, quod ad majus Ecclesiae bonum in iis regionibus procurandum, atque ad Fidei Catholicae incrementum unanimi consilio stabilius obtinendum, Provinciale Synodum mense Octobri Anno 1829, Baltimori habuerint: Excepit autem veluti novum observantiae erga Sedem Apostolicam perspicuum testimonium, Archiepiscopi et Episcoporum vota, precesque ut quae in Synodo illa statuta ac decreta fuerant, accurate ab ipsa examinarentur, ac deinde, si digna reperta fuissent, auctoritate Apostolica confirmarentur. ,,

“ Cum memoratae igitur Synodi Baltimorensis decreta in generali S. Congreg. conventu die 28 Junii, anno 1830 habito referente Eñno ac Rñno Dño Petro S. R. E. Cardinali Caprano examinata, ac mature perpensa fuissent: cunctis EEñorum ac RRñorum Patrum S. R. E. Cardinalium Sacro Consilio Christiano nomini propagando praepositorum suffragiis dignissima judicata sunt, quae amplissimis laudibus commendarentur, et confirmarentur. ,,

“ Quoniam vero S. Congregationis ea quoque mens et sententia fuit, ut ad ampliorem Synodo splendorem ac Decretis firmitatem comparandam SSñno Dño Nostro Pio Div. Prov. PP. VIII. preces fierent, ut eadem Decreta Apostolica Auctoritate sua confirmaret, Bñus Pater, audito per R. P. D. Castrucium Castracane, S. Congreg. Secretarium, EEñorum Patrum ea de re concordi suffragio, Decreta Synodi ipse perlegit, pro summa sapientia sua perpendit, ac laudans singulare illud Religionis studium quod in decretis elucet, et mirabilem illam industriam cum permagna doctrina conjunctam, qua Archiepiscopus et Episcopi utuntur in excolenda Vineam Domini iis commissa, Decreta Synodi Provincialis Baltimorensis Auctoritate Apostolica, die 26 Septembris anno 1830 confirmavit, eaque in Foederatae Americae Septentrionalis Dioecesibus servari jussit.,,

Datum Romae ex Aed. S. Congr.)

Die 16 (ctobris 1830.)

D. Maurus Card. CAPPELLARI Pref. P.

C. CASTRACANE Sec.

Caeterum S. Congregatio pauca RR. PP. DD. Praesulibus Provinciae Baltimorensis, “ per modum instructionis, insinuanda esse existimavit,, circa Synodi Baltimorensis decreta. Cum his igitur admodum levibus immutationibus, suffragio illustrissimi Archiepiscopi, et Reve-

rendissimorum Episcoporum, qui Concilio interfuerunt, probatis, decreta, ipsorum unanimi consensu, typis mandantur: Anno scilicet reparatae salutis 1831, die vero Junii 30.

D E C R E T A

Concilii Baltimorensis Provincialis Primi, habiti ab R. P. D. Jacobo Whitfield, Baltimorensi Archiepiscopo, una cum Episcopis Foederatarum Americae Provincialium.

In Nomine Sanctae, et Individuae Trinitatis, Patris,
et Filii, et Spiritus Sancti.

I. Quoniam saepius a quibusdam in dubium revocatum est an competeret Praesulibus Ecclesiae, in hisce Foederatis Provinciis, facultas Sacerdotes in quamlibet Dioeceseon suarum partem ad Sacrum Ministerium deputandi, eosque inde, prout in Domino judicaverint, revocandi, monemus omnes Sacerdotes in hisce Dioecesibus degentes, sive fuerint in iis ordinati, sive in easdem cooptati, ut memores promissionis in Ordinatione emissae, non detrectent vacare cuiuslibet Missioni ab Episcopo designatae, si Episcopus iudicet sufficiens ad vitae decentem sustentationem subsidium illic haberi posse, idque munus viribus et valetudini Sacerdotum ipsorum convenire. Hac autem declaratione nihil innovare volumus quoad illos qui Parochialia obtinerent beneficia, quorum unum tantum, scilicet in civitate Neo-Aurelia adhuc noscitur in hisce provinciis: neque ullatenus derogare intendimus privilegiis quae Religiosis fuerint a S. Sede concessa.

II. Statuimus et declaramus quemlibet Sacerdotem qui pro quacumque hujus Provinciae Dioecesi ordinatus fuerit, teneri vi promissionis in Ordinatione factae ad permanendum in eadem Dioecesi, et ad se subjiendum Praesuli suo, usquedum canonice dimissus fuerit. Statuimus quoque eadem obligatione pariter adstringi omnem Sacerdotem rite cooptatum in aliquam Dioecesim: cooptari autem declaramus quemlibet ex aliena Diocesi advenientem statim ac testimoniales et dimissoriales literae Praesulis, cui proxime subditus erat, munitae auctoritate, ab ipso Sacerdote, Ordinario cui se subicere velit exhibentur, et ab eodem in perpetuum acceptantur. His porro statutis obstare nolumus quin ea servari debeant, quae Benedictus XIV. (constitutione 25. Tom. 2. Bullarii sui, *Ex quo dilectus*) luculenter docet, circa Sacerdotes, qui ad Religiosum aliquem ordinem transire volunt.

III. Enixe hortamur Praesules omnes hujus Provinciae ne concedant facultates sacra munera exercendi Sacerdoti aliunde venienti, nisi afferat testimoniales seu dimissoriales literas Praesulis, cui proxime subditus fuerat, auctoritate firmatas: nec etiam concedant eas facultates Sacerdoti hujusmodi, si absque causa sufficienti distulerit

ultra sex menses Praesulem eligere cujus auctoritati et jurisdictioni in perpetuum subiaceat. Hoc autem decreto nolumus derogare privilegiis a S. Sede quibusdam Religiosis Societatibus, et Missionariis Apostolicis concessis.

IV. Quum repugnet legibus et consuetudini Ecclesiae bonoque animarum regimini pluribus Sacerdotibus simul *ex aequo* concedere auctoritatem pastorem regendi eandem Ecclesiam, aut Districtum; et quum magna nata sit confusio et discordia in hac provincia, pluribus Sacerdotibus simul sibi vindicantibus hujusmodi auctoritatem pastorem *ex aequo* exercendam, absque ulla ab alterutro dependentia: statuimus et decernimus unumquemque Praesulem debere, quamprimum commode poterit, designare iis in locis, in quibus plures Sacerdotes forsitan requirantur, unum singulorum locorum Pastorem, cui adjutor unus vel plures in suo munere obeundo adsignari poterunt, prout Praesuli ipsi visum fuerit. In iis vero locis in quibus specialis nulla hujusmodi dispositio a Praesule facta fuerit, statuimus Sacerdotem, qui post latum hoc Decretum primus deputatus fuerit a Praesule ad id munus obeundum, habendum esse Pastorem; alios autem Sacerdotes postea deputatos, adjutores ejus habendos, donec aliter Praesul ipse statuerit.

V. Quum saepius Aeditui laici abusi sint jure sibi a civili potestate tributo, in magnum Religionis detrimentum, non sine Fidelium scandalo, optamus maxime nullam in posterum erigi Ecclesiam aut consecrari, nisi fuerit Episcopo in cujus Dioecesi erigenda est, in cultum divinum, et utilitatem Fidelium, instrumento scripto adsignata, quandocumque id fieri poterit: Regularium etiam privilegiis sartis tectis servatis, secundum ea quae a Jure Canonico et Romanorum Pontificum constitutionibus decreta sunt. Hoc tamen Decreto nihil innovare volumus in ea ratione agendi quam in sua Dioecesi Episcopus Carolopolitanensis jam servat.

VI. Quoniam graves ortae sunt turbae, diversis temporibus, in hac Provincia, laicis hominibus, praesertim Aedituis, sibi perperam assumptibus Jus-patronatus, et (quod magis mirandum est) jus institutionis ad Ecclesias seu Missiones, adeo ut Pastores, seu Missionarios sibi eligere vellent, etiam invito Episcopo, eosque retinere in pastoralis munere contra Episcopi voluntatem; vel eos quos Episcopus probaverat rejicerent, vel dimittere aggredierentur, vel muneris sui exercitium impedire, subsidiis ad vitae sustentationem subductis, seu aliqua quavis ratione, quorum conatibus nonnulli Sacerdotes sinistros ob fines favisse aliquando noscuntur: Literis Apostolicis S. M. Pii PP. VII, et Leonis XII, ac Sac. Congreg. responsis inhaerentes, hoc nostro Decreto declaramus repugnare prorsus doctrinae et disciplinae Ecclesiae jus illud a laicis assumptum instituendi, seu dimittendi Pastores: et insuper declaramus nullum jus-patronatus cujuscumque generis quod Sacri agnoscant Canones, competere nunc alicui personae, laicorum Congregationi, Aedituorum coetui, seu aliis quibuscumque personis,

in hac Provincia. Declaramus etiam stipendia, seu subsidia quaecumque, quae solent a fidelibus tribui, vel ob loca, quae in Ecclesiis occupant; vel ob servitium, quod Ecclesiis, seu Missionibus Sacerdotes impendunt; vel ut fundus ad Ecclesiam aedificandam comparetur; vel ut Ecclesia extruatur (quae subsidia plerumque tribuuntur collatitia stipe, et nulla assignata Ecclesiae certa dote) nullum jus tribuere, quod a Sacris Canonibus agnoscatur.

VII. Insuper vehementer urgemus omnes hujus Provinciae Praesules ut Religioni, paci Ecclesiae, et Sacerdotalis ordinis dignitati consulant, saltem facultates statim revocando, vel ab omni sacro munere suspendendo, quoadusque post integram poenitentiam et satisfactionem, ipsis Praesulibus visum in Domino fuerit, quemcumque Clericum qui aliquatenus usurpationis hujusmodi fabricator, seu ei consentiens fuerit, prout a Tridentinis Patribus est statutum.

VIII. Praeterea, si plebs aliqua, seu Congregatio, seu Aedituorum coetus, seu alii quicumque aggressi fuerint aliqua ratione contra Praesulis voluntatem in Ecclesia quacumque retinere Sacerdotem aliquem qui a Praesule non fuerit approbatus, vel cujus facultates fuerint ablatae, vel qui suspensus fuerit (quamdiu non fuerit a legitimo Superiore rehabilitatus); vel si Congregatio illa, seu Aedituorum coetus molestiam inferat in suo munere obeundo alicui Sacerdoti sacrum munus exercenti cum Praesulis approbatione, aut subducat vel retineat consuetum subsidium ad illius sustentationem: Praesules urgemus omnino, ut tum demum interdicannt ipsorum Ecclesiam (quoadusque tanto malo remedium afferatur), cum caetera omnia remedia inutilia esse appareat. Hortamur etiam omnes Praesules in hac Provincia, ut saepe saepius Administratoribus rerum temporalium, quae ad Ecclesiasticos et pios usus destinantur, proponant, et inculcent, et executioni demandari curent, quae a Concilio Tridentino in hanc rem sunt sanctissime decreta. Sess. 22. in cap. 11. De Ref.

IX. Quum Sacrarum Scripturarum Depositi, a Domino Ecclesiae commisi, fidelis custodia, ab Episcopis requirat, ut totis viribus adnitantur ne verbum Dei, hominum fraude, vel incuria adulteratum, Fidelibus praebeatur: omnes hujus Provinciae animarum Pastores vehementer hortamur, ut ea omnia quae in re tanti momenti a S. Conc. Trident. decreta, a Summis Pontificibus, praesertim a Leone XII, et a Pio VIII. fel. rec. in suis literis Encyclicis commendata, atque ab Illmo ac Revermo Joanne Carroll, Archiepiscopo Baltimorensi, una cum Episcopis aliis hujus Provinciae, in Conventu habito anno 1810, statuta fuerunt, semper prae oculis habeant: Biblia ab A catholicis vitiata a suis ovibus arceant, et nonnisi ex probatis Versionibus, atque editionibus, Verbi Dei pabulum incorruptum illis desumere permittant. Statuimus igitur ut Duacensis Versio, quae in omnibus Ecclesiis quarum Fideles Anglice loquuntur recepta, et a praedecessoribus nostris usui fidelium merito proposita est, omnino retineatur. Curabunt autem Episcopi ut juxta exemplar probatissimum ab ipsis designandum, om-

nes tum Novi, tum Veteris Testamenti Duacensis Versionis editiones, in posterum, emendatissime fiant, cum adnotationibus, quae ex Sanctis Ecclesiae Patribus, vel ex doctis Catholicisque viris, tantum, desumptae sint.

X. Quum vehementer optemus, ut, quatenus fieri poterit, per nostram Provinciam accurate serventur quae salubriter in Rituali Romano praescripta sunt, utpote quae venerandae antiquitatis exemplo, et Apostolicae Sedis nituntur auctoritate; et ut tollantur abusus seu suppleantur omissiones ortae ex priorum temporum difficultatibus: injungimus omnibus Sacerdotibus in hac Provincia degentibus, ut studeant Ritualis regulas accurate servare. Eum in finem quaedam inde desumpta in memoriam revocamus:

XI. "Patrinos saltem in aetate pubertatis, ac Sacramento Confirmationis consignatos esse maxime convenit. Sciant praeterea Parochi (quod et de Sacerdotibus omnibus qui baptismum administrant, intelligendum est) ad hoc munus non esse admittendos infideles, aut haereticos: non publice excommunicatos, aut interdictos: non publice criminosos, aut infames: nec praeterea, qui sana mente non sunt: nec qui ignorant Rudimenta Fidei; haec enim Patrini, spirituales filios suos, quos de Baptismi Fonte susceperint, ubi opus fuerit, opportune docere tenentur. ,, (*Rit. Rom.*)

XII. De nominibus in Baptismo imponendis praescribit Rituale: "Quoniam iis qui baptizantur, tanquam Dei filiis in Christo regenerandis, et in ejus militiam adscribendis, nomen imponitur: curet (Sacerdos) obscoena, fabulosa, aut ridicula, vel inanium Deorum, vel impiorum Ethnicorum hominum nomina imponantur; sed potius, quatenus fieri potest, Sanctorum, quorum exemplis Fideles ad pie vivendum excitentur, et patrociniis protegantur. ,,

XIII. Quando diversa tum Sanctorum, tum familiae Nomina in Baptismo infantibus tribuuntur, si Sacerdos censuerit expedire, in prima interrogatione omnia Nomina exprimat: in sequentibus tamen formis, et precibus Nomina vulgo dicta Christiana, tantum repetat. In libro autem Baptismatum, omnia Nomina recenseantur.

XIV. Missionariis, juxta Ritualis Romani praescriptum, et praedecessorum nostrorum decreta, injungimus, ut in suis Ecclesiis libros habeant in quibus referant Baptisma, Confirmationes, Matrimonia, et Sepulturas; eosque Ordinario in sua visitatione exhibeant.

XV. Meminerint etiam Missionarii Rituale Romanum, et universalem Ecclesiae consuetudinem exigere, ut aqua in Baptismo adhibita fuerit benedicta in eum finem, vel Sabbato Sancto Paschae, vel Sabbato Pentecostes, vel alio saktē tempore ante Baptismi administrationem, forma in ipso Rituali praescripta. Curandum iis idcirco, ut Fontes Baptismales, *sub clavi*, in unaquaque Ecclesia, ubi Baptismi Sacramentum ordinarie ministratur, quamprimum erigantur: prope quos, omnia, quae ad administrationem hujus Sacramenti pertinent, nitide serventur.

XVI. Ex praeteritorum temporum difficultate, invaluit, in his regionibus, consuetudo Baptismum privatis in domibus administrandi. Cum igitur magnae gravitatis sit generalem legem in illis regionibus servandam statim ferre, cui contraria est consuetudo: etsi censemur curandum esse, quoad fieri potest, ut hoc Sacramentum in Ecclesia conferatur, tamen Episcoporum et Missionariorum iudicio relinquimus, ut statuatur quando sint urgendi fideles ut infantes ad Ecclesiam deferant, ut Baptismus iis conferatur.

XVII. Censemur Infantes A catholicorum, quos ipsi parentes afferunt, baptizandos, quoties probabilis affulget spes Catholicae eorum educationis. Curandum autem omnino est ut Patrinus, vel Matrinx, iique Catholici, habeantur. Meminerit autem Sacerdos in mortis periculo, quotiescumque occasio se obtulerit, omnes infantes baptizari non solum posse, sed etiam debere.

XVIII. Quum, non sine necessitate atque utilitate, invaluerit in hac Provincia consuetudo eandem adhibendi formam in Baptismo Adultorum ac Parvulorum, ex cuius abrogatione plura, magnaue incommoda, iudicio Praesulum, sequerentur: S. Sedi reverenter exponenda rerum adjuncta censemur, ut consuetudo jam invalescens adhuc permittatur.

XIX. Optant Praesules hujus Provinciae ut Benedictio mulieris post partum, non promiscue, atque nulla ratione habita puerperae dispositionis, neque extra Ecclesiam, vel locum ubi Sacrum fit, in posterum conferatur.

XX. Statuimus, juxta Ritualis Romani praescriptum, in Sacramentis administrandis, et in Defunctorum Sepultura, Sacerdotes omnino teneri ad adhibendam linguam Latinam: et, si censuerint expedire, explicationis causa, eorum quae recitant adjungere versionem lingua vernacula, eam tantum versionem adhibendam esse, quae fuerit ab Ordinario sancita. Ubi cumque autem consuetudo aliqua invaluerit huic Decreto adversa, eam quamprimum abrogandam statuimus.

XXI. Statuimus Confirmationis Sacramentum administrandum esse nemini minori Septennio, nisi ob peculiare rationes, v. g. in mortis periculo.

XXII. Quandocumque Confirmatio plurimis administratur, statuimus Schedulas quasdam, quibus nomina eorum qui confirmandi sunt inscribantur, a Pastore, vel Confessario unicuique dandas, quas Episcopo Sacramentum administraturo exhibeant.

XXIII. Statuimus Sacerdoti nulli, vi facultatum generalium sibi concessarum celebrandi in quocumque loco decenti, licere Missam celebrare in Aedibus privatis, nisi in Stationibus, et in iis Aedibus quas Ordinarius designaverit; aut dum, actu, Missionis exercitiis, procul ab aliqua Ecclesia, dat operam. Quod si Ordinarii alias concedant licentiam celebrandi in privatis Aedibus, ob speciales circumstantias, iis commendamus eam pro una tantum, vel altera vice, concedere.

XXIV. In divino Sacrificio celebrando detur opera diligenter, ut

omnia Altarium Ornamenta , et Sacra Vasa sint munda : non foeda Corporalia , vel Purificatoria : non Vestes lacerae , vel indecentes : indusia vero privati apparatus sub Amictu et Alba lateant , ita ut non indecoro , vel mundano more appareant ; nec quidquam Altari tremendo , vel Sacramentorum administratione indignum sit.

XXV. Vehementer hortamur Praesules , ut omni studio curent Confessionalia erigenda , in omnibus Ecclesiis publicis hujus Provinciae ; et , cum erecta fuerint , nemini Sacerdotum licebit Confessiones mulierum alio in loco excipere , sine speciali Ordinarii licentia. Hanc vero nunquam concedendam confidimus , praeterquam Sacerdotibus aetate proVectis , vel infirmis , vel ob poenitentes surdas : vel aliis in casibus , in quibus ex hujus regulae observantia gravia oricentur incommoda. Eam etiam conditionem semper adjiciendam volumus , ut nunquam Confessiones mulierum in privatis Aedibus , nisi per crates interpositas , et in loco patenti , quantum per loci rationem licebit , excipiantur.

XXVI. Pastores animarum monemus , ut sui officii memores omnem adhibeant sollicitudinem ad rite disponendos fideles qui Sacramentum Matrimonii suscipere velint : nec se peccato immunes existiment , si temere quoslibet , manifeste indignos , jungant. Revocent igitur Fidelibus in memoriam Tridentini Concilii sapientissima hac in re monita , eaque servari curent. Ea etiam omnia quae a Praedecessoribus nostris in Synodo et Conventu antehac habitis , juxta S. Sedis et Conciliorum probatorum auctoritatem , sancita sunt , sedulo sequantur , pro prudente Religionis studio , Ordinarii uniuscujusque in sua Dioecesi statutis et jussis semper prae oculis habitis.

XXVII. Sacerdotibus omnibus curandum est ut Veste talari , et Superpelliceo , in omni sacro munere obeundo utantur. Iis etiam vehementer commendamus ut vestem talarem constanter , quatenus fieri possit , gerant : quod si eam induere peculiaria rerum adjuncta non sinant , ipsis omnino injungimus iis tantum uti vestibus , quae suo congruant Ordini , scilicet , quae nigri sint coloris , et omni inani ornatu careant , sintque ab omni mundana vanitate prorsus alienae.

XXVIII. Evitent diligenter Sacerdotes omnem illicitum Ludum : atque etiam ab omnibus quibuscumque Ludis abstineant , etsi in animi diversionem , qui scandalo esse possint.

XXIX. Sacerdotes omnes , quibus cura animarum commissa est , monemus muneris , quod sibi incumbit , populum sibi creditum edocendi ; ideoque juxta Tridentini Concilii sancta Statuta , Dominicis , Festisque diebus , brevi , perspicuoque sermone , Audientium captui accommodato , eos Fidei Mysteriis instruant , et ad virtutum exercitium , et ad vitia fugienda , hortentur. Curent etiam ut , juxta ejusdem Synodi statuta , pueri rudes , iisdem diebus , aliisve opportunis temporibus , rudimenta fidei edoceantur. Nec omittant ipsi Pastores ea familiari sermone explicare.

XXX. Praesules hortamur maximopere , ut omnes Sacerdotes sae-

pius moneant sui officii munera: et ad quotidianam Meditationem, annuos Recessus, Collationes spirituales, Gratiarum Actiones post Missam, aliaque pietatis exercitia, prout sinunt cujuslibet Dioecesis circumstantiae, excitent.

XXXI. Quoniam maxime desiderantur libri Anglice conscripti, qui de Sacris Ritibus tractent, statuimus librum Caeremoniarum, qui Rituali Romano sit conformis, et Sanctae Sedis judicio subjiendus, ex probatis operibus componendum, ut Sacerdotes, Clericique omnes per hanc Provinciam accurate calleant, et servent Ritus Ecclesiae universalis. Ei autem praemitti volumus explicationem eorundem Rituum, ut Fideles sacris functionibus adsistere possint majori sensu, et aedificatione.

XXXII. Quoniam uniformitas etiam in rebus minimis maxime optanda Ecclesiae semper visa est, statuimus Superpelliceum esse debere modestum, decorum, et sacris Functionibus conveniens. Statuimus etiam ut Birretum, quum Episcopis singulis visum fuerit morem illud gestandi in suas Dioeceses inducere, Romano Birreto sit conforme.

XXXIII. Quoniam multa incommoda jam orta sunt, et in posterum oritura videntur ex eo quod in diversis hujus Provinciae Dioecibus, diversi Catechismi, et Libri precum adhibeantur, privata auctoritate editi; et quoniam uniformitas in iis maxime optanda est; curent Episcopi ut illi tantum Catecheseos Libri usurpentur qui cum eorum approbatione editi fuerint, aliis quibuscumque postpositis. Dabitur autem opera ut Catechismus componatur, qui circumstantiis hujus Provinciae magis accommodatus, Catholicam doctrinam in Catechismo Cardinalis Bellarmini expositam tradat, quique, post Sedis Apostolicae approbationem, edetur in communem Catholicorum usum. Moneant insuper fideles ut a precum Libellis, qui, sine Ordinarii approbatione a privatis quibuscumque in lucem editi, circumferuntur, abstineant.

XXXIV. Quoniam quamplurimos adolescentes ex Catholicis parentibus, praesertim pauperibus, ortos, in multis Provinciae hujus locis expositos esse, et adhuc exponi constat magno Fidei amittendae periculo, vel morum corruptelae, ob inopiam talium Magistrorum quibus tantum munus tuto committi possit, necessarium omnino censemus, ut Scholae instituantur, in quibus juvenes edoceantur Fidei, Morumque principia, dum litteris imbuuntur.

XXXV. Quum non raro plura reperiantur, in libris qui in Scholis plerumque adhibentur, quibus principia Fidei nostrae impugnantur, Dogmata nostra perperam exponuntur, et ipsa Historia pervertitur, qua ratione, puerorum animi erroribus imbuuntur, in animarum damnum gravissimum: postulat tum Religionis studium, tum Juventutis recta Educatio, et ipsum Foederatae Americae decus, remedium aliquod tanto malo afferri. Ea de causa, statuimus quamprimum edendos in Scholarum usum, erroribus omnino expurgatos, atque judicio Episcoporum approbatos, libros, quibus nihil contineatur quod Catholicae Fidei odium, vel invidiam parere possit.

XXXVI. Insuper, sapientissimis monitis Summi Pontificis Leonis XII., fel. mem. ad Archiepiscopum Baltimorem directis obsequentes, statuimus Societatem quandam ad disseminandos libros Catholicos instituendam, quae ex Praelatis hujus Provinciae, et aliis, quos sibi adsciscant, constet.

XXXVII. Confirmationem eorum omnium, quae in hoc nostro Concilio Provinciali decreta sunt, ab Apostolica Sede, cujus examini et iudicio subjiciuntur, petendam statuimus. Postquam autem S. Sedis iudicium nobis innotuerit, hortamur Praesules omnes hujus Provinciae ut Synodum Dioecesanam habeant, et executioni demandari curent ea quae S. Sedis auctoritate fuerint firmata.

XXXVIII. Statuimus denique proximum Concilium Provinciale habendum esse post triennium, nisi gravi de causa Archiepiscopo videatur illud ultra differre.

✕ Ego Jacobus, Archiepiscopus Baltimorensis, definiens, subscripsi.

✕ Ego Benedictus Joseph, Bardensis Episcopus, definiens, subscripsi.

✕ Ego Joannes, Carolopolitanensis Episcopus, definiens, subscripsi.

✕ Ego Edwardus, Cincinnatensis Episcopus, definiens, subscripsi.

✕ Ego Joseph, Episcopus S. Ludovici, et Admin. Apost. Neo-Aureliae, definiens, subscripsi.

✕ Ego Benedictus, Episcopus Bostoniensis, definiens, subscripsi.

Ego Guilielmus Matthews, Vic. Apos., et Administrator Dioecesis Philadelphiensis, subscripsi.

Una cum Decretis supra descriptis, Patres Concilii Baltimorensis Epistolam miserunt ad SS. Pontificem, qua Sanctitati Suae supplicabant pro quibusdam Privilegiis, quae in ipsorum Dioecesibus necessaria esse videbantur. Sic porro scripserunt.

BEATISSIMO AC SANCTISSIMO PATRI

PIO VIII. PONTIFICI MAXIMO.

BEATISSIME PATER.

Archiepiscopus Baltimorensis, una cum Episcopis Bardensi, Carolopolitanensi, Cincinnatensi, Sanctiludovicensi, Bostoniensi, et Vicario Generali Apostolico Philadelphensi ad pedes Sanctitatis Vestrae pro-volutus humiliter exponit:

1. In omnes Foederatae Americae Septentrionalis Dioeceses a Missionariis usum inductum fuisse baptizandi Adultos ea forma quae in Rituali Romano ad Pueros baptizandos praescribitur, praetermissa ea quae in eodem Rituali pro Adultis adhibenda assignatur. Spectatis rerum adjunctis in quibus hic Missionarii versantur, habita etiam ratione frequentiae hujusmodi Adultorum Baptismi, usus praefatus difficile mutaretur. Nam fere semper desunt Clerici, alique Ministri,

qui ad majorem illam solemnitatem requiruntur, ritus etiam valde longior, tempus exigeret quod non semper Missionariis suppetat; tandem caeremoniae quaedam, ut prostrationes, signa crucis super oculos, os, et pectus facienda, scandalum parere possent, quando speciatim puellae, vel foeminae erunt baptizandae. Ideoque Sanctitatem Vestram humiliter precantur, ut auctoritate Apostolica permittere dignentur, quandocumque Baptismus in nostris hisce regionibus Adultis erit administrandus, Ritus ad baptizandos Infantes, in Rituali Romano praescriptus, possit adhiberi.

2. Quum Missionariis ad Sacramenta in nostris hisce regionibus administranda Fidelibus in locis maxime inter se dissitis commorantibus, non raro centum, ducentorum, trecentorum passuum millium spatium percurrendum esset, cumque nullae essent, vel saltem paucissimae Ecclesiae, ubi Baptismales fontes potuissent asservari, Sacramentum Baptismi aqua communi, cum illud alibi quam in Ecclesiis administrandi sese dabat occasio, conferre consueverunt. Circumstantiis nunc saltem in partem mutatis, decretum est in Provinciali Synodo ne in posterum, excepta urgente necessitate, aqua communi Baptismus administraretur; Attamen, cum in omnibus Dioecesibus adhuc longum spatium a Missionariis percurrendum sit, et in pluribus regionibus nulli sint Fontes Baptismales, nullae Ecclesiae, valde difficile, ac vix possibile Missionariis esset aquam Sabbatis Sancto, vel Pentecostes benedictam ex fontibus ubi asservatur desumere, et secum circumferre; ideoque Sanctitatem Vestram precantur Archiepiscopus et Episcopi praedicti, ut facultatem Missionariis hujus regionis concedere dignetur benedicendi aquam Baptismalem ea breviori formula, qua Missionariis Peruanis apud Indos Summus Pontifex Paulus III. uti concessit. Atque haec ex Rituali Limae impresso anno 1797. desumpta, subnectitur.

BENEDICTIO FONTIS SEU AQUAE BAPTISMALIS.

“ Exorcizo te, creatura aquae, in nomine Dei Patris omnipotentis ✠, et in nomine Jesu Christi ✠ Filii ejus Domini nostri, et in virtute Spiritus ✠ Sancti. Exorcizo te, omnis virtus adversarii diaboli: ut omnis phantasia eradicetur, ac effugetur ab hac creatura aquae, et fiat. fons aquae salientis in vitam aeternam, ut qui ex ea baptizati fuerint, fiant Templum Dei vivi, et Spiritus Sanctus habitet in eis in remissionem peccatorum: in nomine Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem. Amen.,,

Oremus.

“ Domine Sancte, Pater Omnipotens, aeterne Deus, aquarum Spiritualium Sanctificator, Te suppliciter deprecamur ut hoc ministerium humilitatis nostrae respicere digneris; et super has aquas, abluendis

et vivificandis hominibus, praeparatas, Angelum Sanctitatis emittas, ut peccatis prioris vitae ablutis, reatuque deserto, purum sacro Spiritui habitaculum regenerationibus procuret. Per Christum Dominum nostrum. Amen. ,,

Infundat deinceps Sanctum Oleum in aquam, in modum

Crucis, dicens :

“ Conjunctio Olei unctionis, et aquae Baptismatis sanctificetur, et foecundetur. In nomine Patris ✕ et Filii ✕ et Spiritus ✕ Sancti. Amen. ,,

Deinde Chrisma aquae infundat, in modum crucis, et dicat :

“ Conjunctio Chrimatis Sanctificationis et Olei unctionis et aquae Baptismatis, Sanctificetur et foecundetur. In nomine Patris ✕ et Filii ✕ et Spiritus ✕ Sancti. Amen. ,,

Denique dicat, benedicens ipsam aquam :

“ Sanctificetur et foecundetur Fons iste, et ex eo renascentes : in nomine Patris ✕ et Filii ✕ et Spiritus ✕ Sancti. Amen. ,,

3. Tandem, quum ob locorum distantiam, operariorumque penuriam valde difficile, et aliquando etiam impossibile est, ut Sacerdotes possint audire confessiones fidelium eosque disponere ad debitam receptionem Sacramenti Eucharistiae, intra quindenam Paschalem, Archiepiscopus et Episcopi praedicti humiliter petunt Sanctitatem Vestram ut Consuetudinem per hasce regiones olim inductam (ex Apostolico, uti creditur, Indulto) prorogandi tempus ad satisfaciendum praecepto Communionis Paschalis, Auctoritate Apostolica approbare : atque a prima Dominica Quadragesimae ad Dominicam usque Trinitatis, prudenti arbitrio Ordinarii, extendere dignetur.

Datum Baltimori, Anno Reparatae Salutis

1829, die vero 24. Octobris.

De mandato Illustrissimi Archiepiscopi, ac RR. Baltimorensis Provinciae Praesulum.

Edwardus Damphoux, S. T. D.
Concilii Provin. Balt. Secretarius

Benigne concessit SS. Pontifex privilegia supra commemorata, ut sequentia decreta testantur.

DECRETUM.

*Sacrae Congregationis Generalis de Propaganda Fide,
habita die 28. Junii, Anno 1830.*

Cum in Sacra Congregatione Generali de Propaganda Fide habita die 28. Junii Anno 1830. referente Eñmo ac Rñmo Domino Petro S.R.E. Car-

dinali Caprano expositum fuerit RR. PP. DD. Archiepiscopum Baltimorem et Episcopos Dioecesium Foederatarum Americae Septentrionalis Provinciarum in Synodo Provinciali Baltimorensi, Mense Octobri Anno 1829. celebrata, congregatos, per supplicem libellum Romam missum SSmum Dominum Nostrum precatos esse, ut suprema auctoritate sua concederet, servari Consuetudinem in iis regionibus jam obtinentem baptizandi Adultos ea forma quae in Rituali Romano ad baptizandos pueros praescribitur, praetermissa ea quae in eodem Rituali pro Adultis baptizandis praescripta est: Sacra Congregatio, rerum ac locorum adjunctis mature perpensis, censuit ac decrevit supplicandum SSmo D. N. pro gratia ad viginti annos, attenta consuetudine jam vigente, Missionariorum inopia, et temporis angustiis, in quibus Missionarii versantur, ut caeteris Sacri Ministerii officiis fungi possint.

Hanc autem Sacrae Congregationis sententiam, SS. D. N. Pio, Div. Prov. PP. VIII. relatam per R. P. D. Castrucium Castracane, Sac. Cong. Secretarium, Sanctitas Sua, in audientia diei 26. Septembris 1830. benigne approbavit, et facultates necessarias, atque opportunas ad memoratam formam in Baptismo Adultorum adhibendam, ad viginti annos impertita est.

Datum Romae, ex Aed. dic. Sac. Congreg.

Die 16. Octobris 1830.

D. Maurus Card. Cappellari, *Pref. P.*
C. Castracane, *Sec.*

BEATISSIME PATER.

“ Archiepiscopus Baltimorensis, et Episcopi Foederatarum Americae Septentrionalis Provinciarum in Synodo Provinciali Baltimorensi, Mense Octobri Anno 1829. celebrata, congregati, Sanctitati Vestrae exponunt valde difficile esse in permagna locorum distantia Sacerdotes ad Baptisma conferendum aquam Sabbatis Sancto et Pentecostes benedictam, ex fontibus ubi asservatur desumere, et secum circumferre; Quare Sanctitatem Vestram precantur, ut facultatem Missionariis Americae Septentrionalis concedere dignetur benedicendi aquam baptismalem ea breviori formula, qua Missionariis Peruanis apud Indos Summus Pontifex Paulus III. uti concessit, quaeque in Rituali Limae Anno 1797. impresso, refertur. „

DECRETUM.

*Sacrae Congregationis Generalis de Propaganda Fide,
habitae die 28. Junii, Anno 1830.*

Cum in Sacra Congreg. Generali de Propaganda Fide habita die 28. Junii Anno 1830. referente Esmo ac Rmo Domino Petro S. R. E. Car-

dinali Capranę, actum fuerit de petitione superius exposita, quae RR. PP. DD. Archiepiscopi Baltimorensis, et Episcoporum Foederatarum Americae Septentrionalis Provinciarum nomine facta est, eadem Sacra Congregatio censuit ac decrevit supplicandum SS. D. N. ut petitam facultatem concedere dignaretur.

Hanc autem Sacrae Congreg. sententiam SSmo Domino Nostro Pio, Div. Prov. PP. VIII., relatum per R. P. D. Castruccium Castracane, Sac. Congreg. Secretarium, in Audientia diei 26. Septembris, anno 1830. Sanctitas Sua benigne probavit, et facultatem, de qua agitur, impertita est.

Datum Romae, ex Aed. Sac. Congreg.

Die 16. Octobris 1830.

D. Maurus Card. Cappellari, *Pref. P.*
C. Castracane, *Sec.*

DECRETUM

*Sacrae Congregationis Generalis de Propaganda Fide,
habita die 28. mensis Junii, anno 1830.*

Cum in Sacra Congregatione Generali de Propaganda Fide habita die 28. Junii Anno 1830. relatus fuerit supplex libellus ab RR. PP. DD. Archiepiscopo Baltimorensi et Episcopis Foederatarum Americae Septentrionalis Provinciarum in Synodo Provinciali, Mense Octobri anno 1829. celebrata, congregatis, exaratus, quo SSmum Dominum Nostrom precabantur, ut, habita ratione Sacerdotum inopiae, locorum distantiae, et Consuetudinis jam vigentis, facultatem concederet, pro omnibus illis Dioecesibus, prorogandi tempus ad satisfaciendum praecepto Communionis Paschalis a Prima Dominica Quadragesimae ad Dominicam SSmae Trinitatis inclusive: eadem Sacra Congregatio, referente Esmo ac Rmo Dno Cardinali Petro Caprano, censuit ac decrevit supplicandum SS. Domino Nostro pro gratia.

Hanc autem Sacrae Congreg. sententiam SSmo Domino Nostro Pio, Div. Prov. PP. VIII., relatum per R. P. D. Castruccium Castracane, Sacrae Congregationis Secretarium, Sanctitas Sua, in Audientia diei 26. Septembris 1830. benigne approbavit, et petitam facultatem concessit.

Datum Romae ex Aed. diei Sac. Congreg.

Die 16. Octobris 1830.

D. Maurus, Card. Cappellari, *Pref. P.*
C. Castracane, *Sec.*

CONCILIUM II. PROVINCIALE

BALTIMORI HABITUM MENSE OCTOBRI ANNO 1833.
DIE 20. USQUE AD 27. EJUSDEM MENSIS.

ACTA ET DECRETA CONCILII

Ex litteris convocationis Ill^mi ac R^mi Domini Jacobi Whitfield, archiepiscopi Baltimorensis, Baltimori convenerunt Praesules quorum nomina sequuntur, qui sederunt juxta ordinem consecrationis suae.

Ill^mus ac R^mus Dominus archiepiscopus Baltimorensis Jacobus Whitfield, consecratus die 25. Maii 1828.

Ill^mus ac R^mus Dominus Joannes Baptista David, episcopus Mauricastroensis, in partibus infidelium, et coadjutor Ill^mi ac R^mi Domini Benedicti Josephi Flaget episcopi Bardensis, consecratus die 15. Augusti 1818.

Ill^mus ac R^mus Dominus Joannes England, episcopus Carolopolitanus, consecratus die 21. Septembris 1820.

Ill^mus ac R^mus Dominus Josephus Rosati, episcopus sancti Ludovici, consecratus die 25. Martii 1824.

Ill^mus ac R^mus Dominus Benedictus Fenwick, episcopus Bostoniensis, consecratus die 1. Novembris 1825.

Ill^mus ac R^mus Dominus Joannes Dubois, episcopus Neo-Eboracensis, consecratus die 29. Octobris 1826.

Ill^mus ac R^mus Dominus Michael Portier, episcopus Mobilienensis, consecratus die 5. Novembris 1826.

Ill^mus ac R^mus Dominus Franciscus Patritius Kenrick, episcopus Arathensis in partibus infidelium, et coadjutor episcopi Philadelphiensis, consecratus die 5. Junii 1830.

Ill^mus ac R^mus Dominus Fredericus Bésé episcopus Detroitensis consecratus die 5. Octobris 1833.

Ill^mus ac R^mus Dominus Joannes Baptista Purcell episcopus Cincinnatiensis, consecratus die 13. Octobris 1833.

Dubium quidem ortum fuerat utrum Rev^mo episcopo David coadjutori episcopi Bardensis votum definitivum jure competeret, et inter episcopos Provinciales sedere deberet; Patribus autem visum est utrumque jure ei competere, quum S. Cong. rituum ita censuisse referatur apud Ferrarium, verbo *coadjutor*, in casu episcopi Famaugustani, coadjutoris episcopi Veronensis.

R^mus episcopus Kenrick, coadjutor episcopi Philadelphiensis cum plena potestate ad regendam et gubernandam Dioecesim Philadelphensem, sedit juxta ordinem promotionis suae; Patribus, unanimi consensu, censentibus votum definitivum ei jure competere, quum jurisdictionem omnem in Dioecesim Philadelphensem, ab episcopo Philadelphensi in eum Apostolica Sedes transtulerit.

Aberat Ill^mus ac R^mus Benedictus Josephus Flaget, episcopus Barrensis, qui ob infirmam valetudinem longum iter conficere non valuit. Officiales Concilii, proponente Ill^mo ac R^mo archiepiscopo et Patribus assentientibus, electi sunt.

Ill^mus ac R^mus episcopus Bostoniensis, et admodum Reverendus Ludovicus R. Deluol, Vic. Generalis dioecesis Baltimorensis, Promotores.

Reverendus Dominus Joannes Baptista Ludovicus Eduardus Dampoux, Rector ecclesiae metropolitanae Baltimorensis et Rev. Dominus Joannes Hockyns, Secretarii.

Rev. Dominus Joannes Joseph Chanche Vice-Praeses Collegii Sanctae Mariae Baltimorensis et Dominus Henricus H. Burgess Magistri caerimoniarum; postremo Rev. Dominus Joannes Randanne et Rev. Dominus Petrus Fredet, cantores nominati sunt.

Theologi consultores admissi sunt spectatissimi sacerdotes infra descripti:

Admodum Reverendi PP. Guillelmus M. Sherry Provincialis Societatis Jesu, et Nicolaus D. Young, Dominicanorum in foederatae Americae provinciis; Provincialis.

Admodum Rev. Joannes Tessier, Vic. Generalis Archidioecesis Baltimorensis.

Admodum Rev. Ludovicus R. Deluol, Vic. Gen. et Seminarii Sanctae Mariae Baltimorensis superior.

Rev. I. B. L. E. Dampoux, archiep. Baltimoren. Secretarius.

Rev. D. Augustus Jeanjean, e Dioecesi Neo-Aureliae.

Rev. D. Samuel Eccleston, Praeses Collegii Sanctae Mariae Baltimorensis ab archiep. designatus theologus.

Rev. D. Ludovicus Debarth ab episcopo Mauricastrensi designatus theologus.

Rev. D. Andreas Byrne ab episcopo Carolopolitano adductus theol.

Rev. D. Joannes Odin, ab episcopo Sancti Ludovici adductus theol.

Rev. D. Joannes I. Chanche ab episc. Bostoniensi designatus theol.

Admodum Rev. D. Joannes Power, ab episcopo Neo-Eboracensi adductus theologus.

Rev. D. Petrus Mauvernay ab episcopo Mobiliensi adductus theol.

Rev. D. Joannes Hughes ab episcopo Arathensi adductus theologus.

Rev. D. Guillelmus Mathevys ab episcopo Detroitensi designatus theologus.

Rev. D. Simon Bruté ab episcopo Cincinnatiensi designatus theolog.

Anno Domini millesimo octingentesimo trigesimo tertio die vero vigesima Octobris, quae fuit dominica, habita est prima Sessio sollemnis in ecclesia metropolitana. Missam de Spiritu Sancto celebravit Ill^mus ac R^mus archiepiscopus, considentibus ex utraque chori parte episcopis mitra et pluviali indutis, sacerdotibus juxta cancellos in orbem alba et casula ornatis. Post missam solemnem habita est concio ab Ill^mo ac R^mo episcopo Carolopolitano, qua finita, quae in pontificali praescribuntur accurate servata sunt. Fidei professionem juxta

formulam a Pio V. praescriptam emisserunt episcopi qui priori concilio non adfuerant.

Durante concilio, congregationes, bis singulis per hebdomadam diebus, habitae sunt, episcopis ab hora 9. usque ad meridiem in aedibus archiepiscopi convenientibus una cum promotoribus et secretariis; in ecclesia vero metropolitana ab hora 4. post meridiem ad horam sextam, omnibus theologis consultoribus adstantibus. Ut autem facilliori, expeditiorique negotio mens theologorum innotesceret de quaestionibus in concilio tractandis, visum est Patribus eas examini variarum congregationum subicere quae ad ipsos, ea quae de his sentiebant, retulerunt.

Die 24. Octobris missam solemnem defunctorum celebravit Rm̄us episcopus Sancti Ludovici pro episcopis Cincinnatiensi et Neo-Aurelianensi, qui, ab ultimo provinciali concilio, e vita migrarunt, eorumque orationem funebrem habuit Rm̄us D. Joannes B. Purcell prioris successor. Deinde vero secunda sessio publice habita est, prout in pontificali statuitur.

Die vero 27. Octobris, Praesules, sacerdotes, clerusque omnis solenni supplicatione circa metropolitanam ecclesiam processerunt, deinceps missa solennis ab episcopo Bostoniensi est celebrata. Concilio post missam habita est ab episcopo Carolopolitano, et cetera quae in Pontificali praescribuntur, peracta sessione tertia et ultima.

Quae sequuntur decretis, Patres subscripserunt.

I. Statutum est supplicandum esse Sanctissimo Domino Nostro Gregorio PP. XVI., pro erectione novae sedis episcopalis Vincennopoli, in Provincia *Indiana*.

II. Statutum est supplicandum Sanctae Sedi, ut sublata Dioecesi *Richmond*, tota *Virginiae* Provincia Archidiocesi Baltimorensi iterum adjungantur.

III. Quum Sacra Congregatio de Propaganda Eide demandaverit episcopis ut inquirerent et referrent quinam sint singularum Dioecesium limites humiliter S. Congregationi referendum duxerunt.

Archidioecesis Baltimorensis complectitur totam provinciam *Marylandiae* cum *Districtu* (uti dicitur) *Columbiae*, cui etiam Provincia *Virginiae* quae impraesentiarum Dioecesim *Richmond* constituit, ex concilii sententia videtur adjungenda.

Dioecesis Philadelphiensis complectitur totam Provinciam *Pensylvaniae* una cum Provincia *Delaware* et parte occidentali Provinciae *New Jersey* quae olim vocabatur *West Jersey*.

Dioecesis Neo-Bboracensis complectitur provinciam ejusdem nominis una cum parte orientali provinciae *New Jersey*, olim dicta *East Jersey*.

Quum autem antiqua divisio orientalis et occidentalis seu *East-et West Jersey*, jam in tabulis geographicis documentisque publicis negligatur, et limites episcopatum Philadelphiensis et Neo-Eboracensis ea ex parte idcirco incerti evaserint, videtur patribus supplicandum

S. Sedi ut declaret comitatus *Hunterdon, Warren, Burlington, Gloucester, Salem, Cumberland, Cape May*, qui olim ad occidentalem Jersey pertinebant, episcopo Philadelphensi in posterum censendos esse subjectos, ceteris comitatibus videlicet, *Sussex, Bergen, Morris, Essex, Sommerset, Middlesex*, et *Monmouth* episcopatus Neo-Eboracensi adjunctis.

Dioecesis Bostoniensis complectitur Provinciam *Massachusetts*, una cum provinciis *Connecticut, Rhode Island, Vermont, New-Hampshire* et *Maine*.

Dioecesis Detroitensis complectitur territorium *Michigan*, una cum territorio dicto *North Western*.

Dioecesis Cincinnatiensis complectitur provinciam *Ohio*.

Dioecesis Sancti Ludovici complectitur Provinciam *Missouri*, una cum territorio dicto *Arkansas*, et donec alia erecta fuerit sedes episcopalis in territorio intra limites Statuum Unitorum quod ad occidentalem plagam fluminis Mississippi jacet, spirituali jurisdictioni episcopi Sancti Ludovici territorium illud subjectum remanet.

Dioecesis Bardensis complectitur provinciam *Kentucky* una cum provincia *Tennessee*.

Dioecesis Carolopolitana complectitur provincias tres, scilicet *Carolinam Meridionalem, Carolinam Septentrionalem* et *Georgiam*.

Dioecesis Neo-Aurelianensis complectitur provincias *Louisianae* et *Mississippi*.

Dioecesis Mobiliensis complectitur provincias *Alabama* et *Floridarum*.

Quum autem nova Sedes episcopalis Vincennopoli in Provincia *Indianae* erigenda videatur, Patres censuerunt supplicandum Sedi Apostolicae ut tota Provincia *Indianae* una cum parte *Illinois* Dioecesim novam constituat, reliqua parte dioecesi Sancti Ludovici adjuncta. Quae autem pars utrique adjungenda sit dioecesi, Patres sic exposuerunt: Videtur utriusque dioecesis limitem incipere debere a flumine *Ohio* prope castellum *Massae*, atque inde excurrere Septemtrionem versus una cum finibus orientalibus comitatum, *Johnson, Franklin, Jefferson, Marion, Fayette, Shelby* et *Macon*: recta linea pergendo ad magna fluentia fluminis *Illinois* sita ad octo fere milia passuum supra oppidum *Ottawa* in comitatu *Lasalle*, et inde usque ad fines provinciae.

Quum autem apostolicae litterae quibus aliquarum ex dioecesibus jam constitutis limites definiuntur, non suppetant, supplicandum Summo Pontifici censuerunt Praesules, ut suprema sua auctoritate limites supra designatos sanciret.

IV. Quum ex litteris Emi Cardinalis Praefecti Congregationis de Propaganda Fide intellexerint Concilii Provincialis Patres gratissimum fore Sacrae Congregationi in Concilio Provinciali tractari de methodo quadam quae servari semper debeat in commendandis Sedi Apostolicae sacerdotibus ex quibus novus episcopus eligatur:

Censuerunt Patres oportere ut episcoporum totius provinciae, im-
mo foederatae Americae, donec altera erecta fuerit provincia eccle-
siastica, de singulis qui ad episcopatum promovendi videantur, ex-
quiratur sententia. Id autem facillime fieri in Concilio Provinciali pa-
tet: quapropter episcopis quoties in concilium congregantur consu-
lendum existimant, ut collatis inter se sententiis, idoneos et de Ec-
clesia bene meritos sacerdotes, qui sedes tum forte vacantes impleant,
proponant, sibi que etiam si coadjutoris opera quis se indigere existi-
mat, de eodem ex collegarum suffragiis et Sanctae Sedis auctoritate
provideant. Ne autem contingat Sedem aliquam vacare dum nulla fu-
tura est copia proxime habendi concilii, suadent Patres singulis epi-
scopis ut nomina trium quos idoneos judicent dioecesis regendae scri-
pto mandata in scriniis suis servent, chartamque habeant sigillo mu-
nitam, exterius etiam ita nota obsignatam, ut Vicarius Generalis
eam, ipsis defunctis, transmittere possit; duplexque etiam ejusdem
exemplum habendum, quorum unum ad archiepiscopum, alterum ad
episcopum propinquiorem, vel ad seniore ex duobus episcopis pro-
pinquis mittatur. Scribet autem ad archiepiscopum episcopus propin-
quior, suasque animadversiones adjiciet: litteris autem illius episco-
pi acceptis, vel, si neglexerit scribere, rationabili elapso tempore,
scribet archiepiscopus ad omnes episcopos, ne propinquiore quidem
illo episcopo excepto, et nomina illa cum suis animadversionibus
transmittet, aliorum etiam nominibus adjectis, si illi, quos episco-
pus ante obitum designavit archiepiscopo, ipsi haud idonei videantur.
Post acceptas archiepiscopi litteras, omnes episcopi ad Sac. Congre-
gationem scribent, suas sententias et suffragia de tribus illis, vel sex
ad summum exposituri. Vacante vero Sede Metropolitana, litterae Vi-
carii Generalis ad seniore suffraganeum dirigendae sunt, qui ad ce-
teros episcopos, prout supra, scribet. Quod si nulla charta nomina
illa habens in scriniis defuncti episcopi vel alias reperitur, Vicarius
Generalis episcopum propinquiorem, vel seniore ex duobus propin-
quis, ea de re statim monebit, ut episcopus ille propinquior tria
proponat nomina, pari ratione, ad archiepiscopum et episcopos ce-
teros, et ad Sac. Congregationem transmittenda. Quod si neglexerit
episcopus propinquior intra tempus rationabile tria nomina proponere,
archiepiscopus ipse ad episcopos omnes scribet, tresque nominabit, de
quibus episcopi ad Sacram Congregationem suas sententias exponent.

In seligendis autem sacerdotibus ad tantum gradum provehendis,
sequentes regulas prae oculis habendas censuerunt Patres:

Nulli episcopo invito dandum esse coadjutorem, nisi collegarum
judicio Sanctae Sedi probato, ipse episcopus jam non sit regimini ido-
neus; coadjutorem autem debere ab episcopo cui datur seligi Colle-
gis assentientibus: idcirco nomina tria eorum ex quibus episcopus
coadjutorem eligendum vult ad archiepiscopum et episcopos ceteros
et ad Sacram Congregationem transmittet. Si autem intra tres men-
ses post episcopi obitum Concilium Provinciale habendum sit, expe-

ctandum erit donec Patres convenerint antequam ad S. Congregationem scribantur.

V. Censuerunt Patres saluti Indorum (qui extra provincias foederatas et territoria jam designata, atque omnium quae hactenus erecta sunt, dioeceseon limites, constituendi sunt ex civilis potestatis auctoritate) prospiciendum, eorum curam Societati Jesu demandando: quapropter Sanctam Sedem implorandam duxerunt ut haec eis missio concedatur.

VI. Nigrorum etiam hominum, qui in *Liberiam* Africae Coloniam ex his regionibus migrant, saluti Patres consulendum ducentes, Apostolicam Sedem supplicant ut missio in eam regionem sub cura Patrum Societatis Jesu instituat.

VII. Rōmis episcopis Sancti Ludovici et Bostoniensi munus a Patribus demandatum est concinnandi, et hujus concilii nomine et auctoritate in lucem edendi Ritualis Romani accuratam editionem, necnon ejusdem breve exemplar, in usum missionariorum, atque utrisque editionibus, in modum Appendicis adjungendi modificationes hucusque a Sancta Sede concessas, una cum versione, vernacula lingua, eorum quae praedictis Praesulibus vertenda esse visa fuerint.

VIII. Episcopis commendant Patres, ut omni studio curent Seminaria in suis dioecesibus, juxta Tridentinorum patrum decreta, erigere; quatenus locorum adjuncta patiuntur, in omnibus sequi formam, quam ipsi Tridentini patres praescribunt: fidelium autem studium saepius episcoporum hortationibus accendendum duxerunt, ut eleemosynam in opus adeo ecclesiae profectui necessarium liberaliter conferant.

IX. Visum est Patribus munus seligendi, componendi, vel corrigendi libros in catholicorum collegiorum scholarum praesertim usum, et ut ab omni errore contra fidem expurgati in lucem edantur curandi, committere Praesidibus pro tempore existentibus, trium collegiorum in archidioecesi Baltimorensi, nempe Sanctae Mariae Baltimorensis, Sanctae Mariae apud Montes, et Collegii Georgiopolitani. Sanxerunt etiam Patres, ut hi libri cum approbatione duorum saltem ex Praesidibus praedictorum collegiorum atque ex auctoritate archiepiscopi Baltimorensis typis mandentur, operam omnes se adhibituros, pollicentes ut in collegiis, scholis, et ubique apud fideles recipiantur.

X. Ne vagi, ignoti, pravique sacerdotes sacra aggrediantur munera cum offensione fidelium, revocandas esse facultates, quas communi quodam pacto episcopi sibi invicem in Conventu quodam anno 1810. habito largiti sunt, censuerunt Patres: ideoque in posterum neminem ex sacerdotibus vi illius pacti posse jurisdictionem exercere, vel sacrum aliquod aggredi munus, absque ordinarii auctoritate.

XI. Statuerunt Patres proximum Concilium Provinciale habendum esse Dominica tertia post Pascha, anno Domini 1837.

Haec omnia nobis visa sunt, et consensu communi probata et fir-

mata in Sessione solemnata in ecclesia metropolitana Baltimorensi die 27. octobris anno Domini 1837.

Haec omnia nobis visa sunt, et consensu communi probata et firmata in Sessione solemnata in ecclesia metropolitana Baltimorensi die 27. octobris anno Domini 1837.

- ✕ Ego Jacobus archiep. Baltim. definiens, subscripsi.
- ✕ Ego Joannes Baptista episcopus Mauricastrensis in partibus infidelium et coadjutor episcopi Bardensis definiens, subscripsi.
- ✕ Ego Joannes Episcopus Carolopolit., definiens, subscripsi.
- ✕ Ego Benedictus, episcopus Bostoniensis, definiens, subscripsi.
- ✕ Ego Joannes, episcopus Neo-Eboracensis definiens, subscripsi.
- ✕ Ego Michael, episcopus Mobiliensis, definiens, subscripsi.
- ✕ Ego Franciscus Patricius episcopus Arathensis, in partibus infidelium et coadjutor episcopi Philadelphiensis, definiens, subscripsi.
- ✕ Ego Fredericus, episcopus Detroitensis, definiens, subscripsi.
- ✕ Ego Joannes Bapt. episcopus Cincinnatensis, definiens, subscripsi.

Ego infrascriptus Secretarius concilii Baltimorensis Provincialis secundi, testor acta et decreta supra memorata juxta exemplar ab ipsis Praesulibus propria manu subscriptum fuisse expressa, atque eidem in omnibus conformia reperiri.

E. Damphoux.

E P I S T O L A

S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE

De Synodi II. Baltimorensis Provincialis confirmatione.

Illūme ac Rñe Domine.

Perspiciuum novumque Amplitudo Tua et Episcopi Foederatae Americae Dioecesium ediderunt testimonium singularis quo praestant erga religionem amoris, alterum provinciale Concilium praeterito mense Octobri Baltimori celebrando. Ea enim omnia quae ibi gesta, ac statuta sunt ex studio profecta esse intelliguntur, quo omnes incensistis Ecclesiae utilitatis procurandae. SS̄mus Dñus Noster Gregorius PP. XVI. scriptis a se ad vos litteris suis, quas huic Epistolae adjectas reperietis, id auctoritate sua testatum voluit. Nunc meum est Sacrae Congregationis nomine ad vos scribere et vestrae virtuti iterum ex animo gratulari, et eos observantiae sensus confirmare, quibus vos omnes de Religione optime meritos jure prosequimur.

Venio autem ad ea, quae in Concilio illo pertractata, et Sedis Apostolicae judicio a vobis subjecta sunt. Equidem arbitror jam ad Amplitud. Tuam pervenisse S. Congregationis epistolam die 17. Maii scriptam, qua Brevia Apostolica continebantur de Sedis Episcopalis Vincennopolitanae erectione, deque R. P. D. Simonis Bruté ad illum Episcopatum electione.

His litteris nunc adjectam accipies SS̄mi D. N. Gregorii PP. XVI. Bullam Apostolicam, qua Dioecesium omnium in America Foederata existentium limites statuuntur. Ita omnis dubiorum occasio circa jurisdictionem a singulis Episcopis exercendam penitus auferetur.

Quod pertinet ad spiritualem curam gerendam missionum ad Indos, qui extra provincias foederatas, et territoria jam designata, atque omnium quae hactenus erectae sunt Dioecesium limites ex civilis potestatis auctoritate constitui debent, placuit S. Congregationi Patribus Societatis Jesu tale negotium esse committendum. Ita quoque placuit nigrorum hominum qui ex istis Regionibus in *Liberiam* Africae Coloniam migrant, spiritualem curam eidem Societati Jesu commendandam esse. Egimus utraque de re cum Rño P. Societatis Jesu Generali Ministro, certumque habemus PP. Societatis omnem operam daturus esse, ut Vestra, et S. Congregationis Vota felicem exitum consequantur.

De methodo servanda in istarum Dioecesium episcopis eligendis, mitto ad Amplitud. Tuam Decretum Sacrae Congregationis jussu et auctoritate editum. Curabis ut ad singulos foederatae Americae Episcopos ejusdem decreti exemplar mittatur, ut omnes in tam gravi negotio normam tenendam agnoscant.

Denique, ut par erat, amplissimis laudibus Sacra Congregatio pro-

d

sequuta est initum ab Amplitudine Tua et Episcopis Collegis Tuis consilium de nova facienda Ritualis Romani editione, deque libris componendis qui ad institutiones Philosophicas, et Theologicas tradendas in scholis adhibeantur. Erit vero S. Congregationi gratissimum tum Ritualis, tum librorum de quibus sermo est exemplar, postquam editum fuerit, recipere.

Praecipua haec sunt, quae circa ecclesiastica negotia in Concilio Baltimorensi Provinciali secundo pertractata S. Congregationis nomine Tibi, ceterisque Episcopis Collegis Tuis significare debebam. Reliquum est, ut Amplitudini Tuae, ac memoratis RR. PP. DD. Episcopis Americae Foederatae fausta omnia preces, et D. O. M. exorem ut ad Ecclesiae utilitatem vos omnes diu incolumes, ac felices servet.

Amplitudinis Tuae

Romae ex Aedibus Sacrae Congregationis De Propaganda Fide die 26. Julii 1834.

Ad officia paratissimus
Carolus Maria Episcopus Praenestinus
S. R. E. Cardinalis Praefectus.

Angelus Majus a Secretis.

Breve Epistolare Sanctissimi Domini Nostri Gregorii PP. XVI. ad Archiepiscopum Baltimorensis, et Episcopos ejus suffraganeos de Synodi II. Baltimorensis Provincialis celebratione.

Venerabilibus Fratribus Jacobo Archiepiscopo Baltimorensi, et ejus Suffraganeis.

G R E G O R I U S P A P A X V I.

Ven. Fratres Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Perlatae dudum ad Nos fuerant Epistolae Vestrae, una cum Decretis Concilii Provincialis proximo anno a Vobis celebrati, quae Auctoritati Nostrae Apostolicae obsequentissimo, ut par erat, animo subjecistis. Haec omnia expensa Nobis jubentibus sunt a Nostra Propagandae Fidei Congregatione, quae opportunum Vobis dabit circa illa responsum. Accipietis simul Apostolicas Nostras Litteras super nonnullis eorum, quae statuistis seu postulastis. Verum et volumus nostrum erga Vos studiosissimum animum hac item Epistola declarare. Siquidem ex memorata Synodo, atque ex iis, quae ad Nos hac occasione scripsistis, mirifice confirmata est quae de vestro pro Dei honore, animarumque salute spectatissimo zelo, et singulari erga communitatem omnium Ecclesiarum Matrem ac Magistram Romanam Sedem obsequio Nobis jamdiu insita erat existimatio; eoque ipso auctam in Nobis sensimus caritatem illam, qua Fraternitates Vestras effuse in

Domino prosequeremur. Pergite itaque, ut facitis, Ven. Fratres; et quoniam justorum semita crescit usque ad perfectam diem, urgete alacriori quotidie sedulitate saluberrimam talentorum negotiationem quae est de animabus Christo lucranda; vigilate super creditas Vobis Dominicae Vineae partes, plantate, rigate in spe ac patientia; nihil quidem vestris tribuentes viribus, sed omnia ad Ejus gloriam referentes, qui operatur in Vobis et velle et perficere pro bona voluntate. Ita de fructu pastoralis curae in multorum salutem amplificato gaudebitis, ac per bona opera certam vestram vocationem et electionem facientes, uberrimam accipietis in aeternitate mercedem. Ad Nos quod attinet, persuasum habetote, Ven. Fratres, auctoritatem et studia nostra nunquam, quantum cum Domino poterimus, esse Vobis defutura. Ac Fraternitatibus vestris novam semper virtutem ex Alto implorantes, pignus nostrae praecipuae benevolentiae Apostolicam Benedictionem, cum creditis etiam fidei vestrae ovibus communicandam, peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die 23. Aprilis an. 1834. Pontificatus Nostri anno quarto.

Litterae Apostolicae SS^mi Domini Nostri Gregorii PP. XVI. quibus dioecesium Americae Septemtrionalis limites definiuntur *Tom. V. Bullarii* pag. 110. relatae sunt.

De methodo servanda in Episcoporum dioecesium Foederatarum Americae Septemtrionalis Provinciarum electione.

D E C R E T U M

S. Congregationis Generalis de Propaganda Fide habitae die 18. Martii 1834.

Cum ad Religionis incrementum in foederatae Americae regionibus stabilius procurandum in primis conferat, ut Episcoporum dioecesium ibi statutarum electionis gravissimum negotium rite sancteque absolvetur, S. Congregatio de Propaganda Fide valde opportunum esse ad hoc consequendum existimans, ut certa methodus ubique in illis dioecesibus servanda statuatur, qua fiat ut Sedes Apostolica exploratam notitiam habere possit meritorum Sacerdotum, pro quibus commendationes afferuntur, in Generali conventu die 18. Martii anno 1834. habito, referente E^mo et R^mo D. J. Antonio S. R. E. Cardinali Sala censuit ac decrevit in ea re esse servanda quae sequuntur.

Cum aliqua Sedes Episcopalis vacaverit, requirendum est Episcoporum omnium provinciae Ecclesiasticae suffragium de Sacerdotibus singulis, qui Sedi Apostolicae commendandi esse videntur pro nova Episcopi electione. Quoniam vero id in Concilio provinciali facillime,

et accurate fieri potest, si intra tres menses ab obitu Episcopi, Concilium provinciale habendum est, expectanda erit Concilii celebratio antequam ad commendandos Sacerdotes qui Episcopatu digni censentur, ad s. Congregationem scribatur. In concilio autem, collatis inter se sententiis Episcopi statuunt, quos Sacerdotes S. Sedi commendent vere idoneos, et de Ecclesia benemeritos, qui Sedes vacantes obtineant, vel Coadjutoris officium suscipiant illius Episcopi qui auxilio Coadjutoris indigere censeatur.

Quod spectat vero ad casus quibus, prout superius statutum est, Concilii provincialis celebratio non ita proxima sit, ne Sedes Episcopalis aliqua diu vacet, primum hoc magnopere opportunum factu est, ut singuli episcopi literas subscriptas, et sigillo munitas duplici exemplo apud se habeant, quibus contineantur nomina trium saltem Sacerdotum quos idoneos arbitrentur ad diaecesim regendam: Eae autem literae ita exterius obsignari debent, ut adveniente Episcopi morte, Vicario Generali tradendae esse intelligantur: Vicarius vero Generalis alterum earum literarum exemplum ad Archiepiscopum, alterum ad propinquorem vel ad seniore ex duobus Episcopis propinquieribus deferendum curet. Eo literarum exemplo accepto Episcopus propinquior ad Archiepiscopum scribet, suasque animadversiones adiiciet. Epistola Episcopi propinquieris ad Archiepiscopum delata, vel si neglexerit is scribere, rationabili elapso temporis spatio, Archiepiscopus ad omnes Episcopos ne propinquiori quidem excepto scribet, et nomina illa cum suis animadversionibus communicabit, aliorum etiam nominibus additis, si illi quos Episcopus designaverat, Archiepiscopo idonei minime videantur. Post acceptas Archiepiscopi literas, omnes Episcopi ad S. Congregationem sine mora scribent suas sententias, et suffragia de tribus illis, vel sex commendatis exposituri. Vacante Sede Metropolitana literae Archiepiscopi demortui nomina trium Sacerdotum designantis a Vicario Generali ad Episcopum propinquorem, et ad suffraganeum Episcopum seniore miltendae sunt: Episcopus autem senior suffraganeus faciet ea omnia quae de Archiepiscopo superius statuta sunt ubi agitur de Episcopi electione.

Quod si apud Episcopum, vel Archiepiscopum demortuum literae memoratae de trium Sacerdotum designatione non reperiantur, Vicarius Generalis Episcopum propinquorem, vel seniore ex duobus propinquieribus de ea re certiore statim faciet, ut Episcopus propinquior tria designet Sacerdotum nomina in epistola ad Archiepiscopum mittenda: Archiep. ea accepta ad omnes Episc. scribet, et ea omnia fient, quae jam indicata sunt circa agendi rationem tenendam ubi literae Episcopi, aut Archiepiscopi Sacerdotum nomina ante mortem designantis fuerint repertae: Si Episcopus propinquior ad Archiepiscopum scribere neglexerit, Archiepiscopus ipse tria nomina Sacerdotum suffraganeis omnibus, propinquiori non excepto, designabit. Si agatur de Archiepiscopi electione, senior Episcopus suffraganeus faciet omnia

quae in Episcopi electione , ab Archiepiscopo facienda esse decretum est. Quod pertinet ad electionem Coadjutorum excepto casu , quò Sedes Apostolica alia ratione agendum esse statuerit , Episcopus qui Coadjutorem petit , nomina trium Sacerdotum Archiepiscopo et Episcopis suffraganeis significabit; supplicem libellum de ea re ad S. Congregationem mittet, et Archiepiscopus, et Episcopi S. Congregationi mentem suam de Coadjutore eligendo communicabunt.

Haec sunt quae in commendandis Sedī Apōstolicae Sacerdotibus pro Faederatae Americae Episcoporum electione S. Congregatio servanda praescripsit. Ea vero decernens notum omnibus esse voluit , in literis de hac pertractantibus ad S. Sedem transmittendis nihil inveniri debere , quod electionem , nominationem , postulationem innuat , sed proprie dictam commendationem , ut etiam ex literarum forma pateat nullam in S. Sedem inferri obligationem eligendi aliquem ex commendatis : Salva enim manere debet et illaesa Sedis Apostolicae libertas in eligendis Episcopis : Commendationes vero lumen tantum et cognitionem S. Congregationi non autem obligationem afferent.

Datum etc. die 14, Junii 1834.

Ad officia paratissimus
 Carolus Maria Episcopus Praenestinus
 S. R. E. Cardinalis Praefectus.

Angelus Majus a Secretis.

CONCILIUM III. PROVINCIALE

BALTIMORI HABITUM MENSE APRILIS ANNO MDCCCXXXVII.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

GREGORIO PAPA E XVI.

Haud quidem fas esset Episcopis in Provincia Baltimosensi tertio Concilio congregatis, ex illo discedere, quin prius commune, et solemne testimonium ejus, qua revera erga Apostolicam Sedem, Sanctitatemque Vestram, venerationis, obedientiae, et devotionis afficiuntur, exhibeant. Hujus ergo debiti, nobis profecto omnibus, utpote amantissimis filiis quam maxime grati, solvendi gratia, hasce litteras mentis animique nostri, fortasse non adeo, ut vehementer optamus, fideles interpretes, Romam ad Sanctitatis Vestrae pedes mittimus, una cum Decretis, quae, Ecclesiarum nostrarum necessitatibus occurrentes, condenda censuimus. Haec Apostolicae Sedis judicio, ut par est, subjicimus; ut, si Sanctitati Vestrae probentur, necessaria sanctione firmata, optatum effectum feliciter consequantur. Pauca quidem decernenda judicavimus, sed praesentibus temporis, rerumque adjunctis accommodata; ejusque naturae, ut si, una cum praecedentium Provinciae nostrae Conciliorum statutis, fideliter serventur, gloriam Dei, animarum salutem, incrementumque Religionis, divinae gratiae auxilio, in nostris dioecesibus omnino promoveant. Deum bonorum omnium datorem benedicamus oportet, quia fecit nobiscum misericordiam suam, atque ineffabili Providentia Ecclesias hasce nostras, sive nascentes, sive adhuc infantes, sive adolescentes, sive etiam jam adultas, scuto inexpugnabili potentiae suae protexit. Quo impetu, qua versutia, quoque conatu portae inferi adversus illas, apud nos incessanter pugnaverint, Sanctitatem Vestram minime latere arbitramur: Monasteria flammis adusta, mortuorum sepulcra violata, sacrarum virginum instituta, Cleri, populi que catholici universi mores calumniis ad nauseam usque repetitis, et longe lateque innumeris imprudentissimis libellis diffusis, impetiti; sanctae matris Ecclesiae dogmata, doctrina, leges, ritus, disciplina, tum voce, tum scriptis, tum publice tum private, tum libris, tum periodicis foliis impugnata, et a privatis hominibus, et a Societatibus eo fine institutis, ut pecunia, operaque sua Catholicae religionis profectum, quocumque modo fieri possit impediunt. Haec omnia, Beatissime Pater, Ecclesiis nostris, in regionibus istis, certum, ultimumque exterminium minitari videbantur; sed non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Sagittae parvulorum factae sunt plagae eorum, et infirmatae sunt contra eos linguae eorum; laqueus, quem nobis pa-

raverant, comprehendit eos, et inciderunt in foveam, quam fecerant; et nedum Sanctae Ecclesiae non nocuerunt, sed ad illius propagationem, et gloriam odio, invidia, calumniis, magis profuerunt, quam si conatibus suis operam ad illius defensionem contulissent. Inde factum est, ut veritatem a sapientissimo magnoque Ecclesiae doctore Augustino jam proclamatam experti simus: novit Deus de bonis mala facere, quam mala nulla esse permittere. Dogmatum catholicorum veritatis, ecclesiasticaeque disciplinae sanctitatis assertores, et defensores invicti non defuerunt inter primi et secundi ordinis sacerdotes, qui ea tum voce, tum scriptis, propria luce, meridiana clariore, exponerent, probarent, vindicarent. Proindeque praejudicia multa evanuerunt, calumniae manifesto apparuerunt, veritas, erroribus fugatis, ut sol, nubibus dissipatis, post tempestatem splendidior apparuit, atque illis innotuit, ad quos fortasse nunquam secus pervenisset. Virgines sacrae, monasteria, collegia, aliaeque omnes tum ad juventutem in litteris, et pietate instituendam, tum ad opera charitatis erga aegrotos, orphanos, et pauperes exercenda, quae in nostris dioecesibus extant, domus, omnipotentis, et protegentis Dei auxilio suffultae, hostium invidiam, et conatus irritos expertae, nedum aliquid publicae aestimationis amiserint, a majore, sanioreque civium parte quam maximi fiunt, et venerationi habentur: illarum in dies numerus increscit, sicut et puellarum, atque puerorum, qui eorum curae, tum a catholicis, tum a protestantibus ipsis committuntur. Religiosorum quoque ordinum, Ecclesiasticarumque Congregationum, Societatis Jesu, Praedicatorum, Sacerdotum Missionis, Sancti Sulpitii, et SS. Redemptoris Communitates, in hisce regionibus, velut granum sinapis, initio exiguas, feliciter crescere, stabilem, regularemque formam accipere, mirabiliter florescere, et undequaque Christi bonum odorem effundere, atque strenuam vineae Domini operam dare laetantes videmus. Numerus etiam ovium nostrarum multiplicatur in dies, tum naturali regiones nostras incolentium incremento, quod vix credi posset ab illis, qui id suis oculis non vident, tum magna catholicorum frequentia ex Europa in Americam advenientium, tum etiam frequentibus protestantium ad catholicam fidem conversionibus. Numerus etiam Ecclesiarum, parochiarum, seu, ut apud nos vocantur, Congregationum augetur ubique, multoque magis auferetur, sed heu! Beatissime Pater, numerus operariorum, quamvis etiam increverit, et in dies increscat, valde inferior est illi, quo opus est, longe impar necessitatibus animarum nostrae curae commissarum; et nemo est ex nobis, qui hac necessitate pressus, operariorum penuriae effectus religioni infaustos deplorare non cogatur. Denique, et sedium Episcopali in hac nostra Provincia, Sanctitatis Vestrae provida et sapienti ordinatione, auctus est numerus, atque nova dioecesis erecta jam experitur quantum ad religionis incrementum gratia Episcopali ordini, Dei misericordia concessa, proficere possit. Re quidem vera nil felicius, nil optatius in foederatis Americae Septentrionalis provinciis religioni contingere pote-

rat, quam sedium Episcopaliū, quotquot nunc in ea reperiuntur erectio. Vastissimae, quae ad Occidentalem plagam, longe, lateque patent regiones, et in qua nunc quinque, Cincinnatiensis scilicet, Bardensis, Detroitensis, Vicennopolitana, et Sanctiludovicensis dioeceses florescunt catholicis institutis, terra deserta, et inuia, et inaquosa, et vasta, solitudines in iis, quae ad religionem spectant, remansissent, nisi Episcopales Sedes ibi erectae fuissent. His adducti rationibus, Sanctitatem Vestram supplices precati sumus, ut novas Episcopales Sedes erigere dignetur in statu Mississipi, et Tennessee. Remanent etiam, Beatissime Pater, ad Occidentalem plagam regiones immensae. Catholici, qui tum ex Europa in Americam transnavigant, vel ex antiquioribus ipsius Americae provinciis, novas sedes quaerentes, ad occidentales migrant, gressus dirigunt ad territoria, quae inter superiorem Mississipium, et Missurium flumen continentur. Tres tantum abhinc annis, civitas Dubuque nuncupata condi coepit, et jam frequentes incolas numerat. Hic etiam novam dioecesim creandam Sanctitati Vestrae humiliter insinuamus. Aliae etiam formandae fuissent, si numerus sacerdotum, quos Sanctitati Vestrae ad Episcopale munus obeundum commendare possumus, major fuisset. Necessitas quidem urget, periculum procul dubio in mora: nam experientia constat, in novis istis regionibus, Sedes Episcopales in ipsis novarum societatum incunabilis erectas, et facilius et securius Ecclesias aedificare, et religionem modis omnibus promovere posse, tum ob minora ex parte sectariorum obstacula superanda, tum ob exiguas expensas ad comparandos situs, terras, et praedia pro Ecclesiarum, Seminariorum et Collegiorum aedificatione et sustentatione. His omnibus mature consideratis, futurum speramus, ut apud Sanctitatem Vestram praecipitationis censuram consilium nostrum non incurrat; futurum etiam speramus, ut Sanctitas Vestra precibus nostris aurem benignam porrigat, atque nobis permittat, inter sacerdotum nomina, quos commendamus tanquam ad Episcopale munus idoneos, aliquos ex Regularibus, Congregationibusque inseramus. Nullatenus enim honori Cleri nostri saecularis derogare censemus, quum fatemur, ob exiguum horum numerum, ex communitatibus, sive regularibus, sive ecclesiasticis, aliquos commendandos: nullo enim nostro privato commodo adducti hoc humiliter petimus; solo Dei gloriae, et animarum salutis intuitu, id a nobis praestandum putamus. Agitur de munere Angelorum humeris formidando; agitur de testimonio a nobis juxta conscientiae dictamen dando; agitur tandem de Ecclesiae honore, de ordinis nostri decore, quae omnia Sanctitati Vestrae quam maxime cordi esse minime dubitamus. Si a regularium, vel ecclesiasticarum communitatum membrorum nominibus, inter commendandos ad Episcopatum inscribendis nobis erit abstinendum, maximo Religionis detrimento, de Sedibus erigendis nil in posterum agendum erit, et etiam Sedes jam erectae vacantes relinquendae.

Ad Sanctitatis Vestrae pedes provoluti, inviolabilem Sedi Aposto-

licae ex imo corde profitentur obedientiam, venerationem et obsequium.

Sanctitatis Vestrae

Obsequentissimi filii

- ✱ Samuel Archiepiscopus Baltimorensis
- ✱ Joannes Episcopus Carolopolitanus
- ✱ Joseph Episcopus S. Ludovici
- ✱ Benedictus Episcopus Bostoniensis
- ✱ Franciscus Patricius Episcopus Arathensis, et Coadjutor Philadelphiensis
- ✱ Joannes Baptista Episcopus Cincinnatensis
- ✱ Guido Ignatius Bolinensis, Episcopus, et Bardenensis Episcopi Coadjutor.
- ✱ Simon Episcopus Vincennopolitanus.
- ✱ Gulielmus Episcopus Oriensis, et Coadjutor Carolopolis.
- ✱ Antonius Episcopus Neo-Aurelianensis.

Baltimore die 22. Aprilis 1837.

D E C R E T A

Concilii Baltimorensis provincialis tertii, habiti ab Illustrissimo, ac Reverendissimo Domino Samuele Eccleston, Archiepiscopo Baltimorensi, una cum Episcopis Foederatarum Americae Provinciarum, anno R. S. 1837. mense Aprili.

Decretum 1. Cum ex apostolico indulto consueverint plerumque Clerici saeculares ordinari, in his foederatis provinciis, titulo missionis, monemus Episcopos ut eos tantum, eo titulo, ad sacros ordines evehant, qui idonei sacris missionibus videantur, vel alias religionis profectui, Episcopi judicio, inservituri, emisso prius jusjurando se perpetuo Missioni, cui deputantur, operam duros.

2. Ne sacerdotes, cum sacri ordinis dedecore, mendicare, vel egestatem pati cogantur, Episcopos hortamur, ut fideles moneant muneris, quo tenentur, eis praecipue, qui in verbo, et doctrina laborant, congruam sustentationem suppeditare. Quod si aegritudine, vel casu aliquo jam non valeant sacris fungi muneribus, ne afflictis addatur afflictio, curent ut ea subsidia, quae necessaria judicaverint, ipsis, a fidelibus, quibus inservierint, subministrentur. Si autem Congregatio, cui inservierit sacerdos aegrotus, vel alias impeditus, fuerit adeo inops, ut nequeat hujusmodi subsidia suppeditare, Episcopos hortamur ut, ea, qua fieri possit, ratione, aliorum sacerdotum, et fidelium charitatem, ad iis succurrendum, excitent. Cupimus autem maxime ut, in singulis dioecesibus, Episcopi, quamprimum com-

mode potuerint, sacerdotum ipsorum adhibito consilio et opera, certum quemdam modum et stabilem statuunt, quo infirmis, vel aetate proVectis, vel alias impeditis, provideatur. Indignis autem sacerdotibus, vel qui legitima suorum Episcoporum auctoritati repugnaverint, vel qui aes ad fundum hujusmodi generalem conferre recusaverint, hoc decretum prodesse nolumus.

3. Caeremoniale editum juxta Concilii Baltimorensis Provincialis primi decretum XXXI., in omnibus provinciis foederatis servandum volumus, ut rituum uniformitas ubique vigeat, et in omnibus S. Romanae Ecclesiae consuetudines aemulemur (a).

4. Ne fidelium pia voluntas suo fraudetur effectu, et quae Deo dicaverint, in Ecclesiae utilitatem, ad alios transferantur usus, monemus Episcopos, sacerdotes et alios omnes, penes quos bona sunt mobilia, vel immobilia, ad Ecclesiasticos usus data, ut ea, quae in singulis foederatis provinciis tutissima videbitur ratione, quamprimum curent ea, juxta leges civiles, usibus a donatoribus designatis servanda. Quod si quis Clericorum, vel Laicorum, hujusmodi bona a designatis usibus contra donatorum voluntatem averterit, se in poenas a Concilio Tridentino latas (Sess. XXII., c. XI. de Reform.) incurrere noverit.

5. Placuit ut Rituale edatur Romano conforme, adjectis in appendice quae ad aedificationem fidelium conducere visa fuerint, quod Baltimori edatur, auctoritate Ill^mi et Rev^mi Archiepiscopi, et ubique per foederatas provincias servetur: ne autem peculiare ritus cujusque arbitrio inducantur, districte vetamus ne sacerdotes a forma sibi in Rituali praescripta, consuetudinis obtentu, vel alio quocumque praetextu, discedant (b).

6. Cum grave fidelibus oriatur scandalum, et Ecclesiastico ordini dedecus, dum causae ecclesiasticae ad civilia deducuntur tribunalia, hortamur omnes, quorum interest, ut controversias inter eos forte orituras, de rebus, vel personis ecclesiasticis, amice componant, vel saltem judicio Episcopi submittant. Quod si ecclesiastica, vel religiosa utriusque sexus persona, aliam personam ecclesiasticam, vel religiosam, utriusque sexus, coram civili tribunali temere citaverit, de re juris stricte ecclesiastici, noverit se in censuras a jure latas incidere.

7. Cum ex sacerdotum vagorum, et ignotorum discursu ad elemosynas a fidelibus colligendas gravia oriantur incommoda, visum est districte prohibere, ne sacerdos aliquis, absque Episcopi sui venia, scripto concessa, extra Congregationem sibi commissam, elemosynas petat; vel in alia dioecesi, absque Ordinarii licentia. Quod si sacerdos aliquis hanc legem transgredi praesumpserint, hortamur Epi-

(a) N. Caeremoniarum liber, juxta praescriptum S. C. de Propaganda Romam missus, a SS. D. N. Gregorio Pp. XVI. approbatus fuit.

(b) N. Ut Rituale ab Episcopo S. Ludovici in lucem edi possit concessum fuit a SS. D. N. Gregorio Papa XVI.

scopos , ut suspensionis censura eum statim innodent. Religiosi autem meminerint sui superioris licentiam secum afferre.

8. Ut omnia juxta ordinem fiant , et solemnes ecclesiae ritus integri serventur , monemus Rectores Ecclesiarum ut sedulo invigilent ad abusus eliminandos , qui in cantu ecclesiastico , in his regionibus invaluerunt. Curent igitur ut sacro-sancto Missae sacrificio , et aliis divinis officiis musica , non vero musicae divina officia inserviant. No-verint , juxta Ecclesiae ritum , Carmina vernaculo idiomate , inter missarum solemnia , vel vespers solemnes , decantare non licere.

9. Visum est S. Sedi humillimas porrigere preces , ut habita ratione gravissimarum , quibus subjacent difficultatum fideles in his provinciis inter acatholicos degentes , obligatio , quae in plerisque dioecesi-bus viget , servandi feriam secundam Paschatis , et Pentecostes , tanquam dies festos , auctoritate Apostolica tollatur ; ita , ut jam non teneantur Missam audire , vel ab operibus servilibus abstinere.

10. Cum varia sit disciplina diaeceseon in foederatis provinciis de jejuniis in feria quarta , et sexta servando singulis hebdomadibus ad-ventus supplices litteras ad Sedem Apostolicam dirigendas censuimus , ut a consuetudine illis diebus jejunandi , omnes in his provinciis de-gentes , solvantur , et ab obligatione abstinentiae feria quarta earum hebdomadam.

11. Statuimus proximum Concilium Provinciale post triennium , quarta dominica post Pascha , anno scilicet millesimo octingentesimo quadragesimo habendum , nisi Archiepiscopo citius illud convocare visum fuerit.

- ✕ Ego Samuel Archiepiscopus Baltimorensis definiens subscripsi.
- ✕ Ego Joannes Episcopus Carolopolitanus definiens subscripsi.
- ✕ Ego Joseph Episcopus S. Ludovici definiens subscripsi.
- ✕ Ego Benedictus Episcopus Bostoniensis definiens subscripsi.
- ✕ Ego Franciscus Patricius Episcopus Arathensis , et Coadjutor Philadelphiensis definiens subscripsi.
- ✕ Ego Joannes Baptista Episcopus Cincinnatensis definiens subscripsi.
- ✕ Ego Guido Ignatius Bolinensis Episcopus , et Bardensis Episcopi Coadjutor definiens subscripsi.
- ✕ Ego Simon Episcopus Vincennopolitanus definiens subscripsi.
- ✕ Ego Gulielmus Episcopus Oriensis , et Coadjutor Carolopolis definiens subscripsi.
- ✕ Ego Antonius Episcopus Neo-Aurelianensis definiens subscripsi.

Atque haec ego infrascriptus, testor exemplari Illustrissimorum ac RR. Concilii Patrum Chyrogapho munito, in omnibus conformia. In cujus rei fidem, Illm̄i, ac Revm̄i Archiepiscopi sigillum, ipsius jussu apposui.

Baltimori Anno R. S. 1837. Die 27. Aprilis.

E Damphoux S. T. D. Secretarius

Beatissime Pater

Animarum ut subveniatur necessitatibus, novam Sedem Episcopalem in urbe Natches in Provincia Mississippi, quae totam regat Provinciam, erigendam duximus, si ita S. Sedi placuerit. Idonei autem ejusdem regimini Rev. * * * * visi sunt, quos idcirco Beatitudini Vestrae commendamus, ut ex iis, si ita videatur, seligatur, qui eam Episcopali auctoritate regat.

Baltimori 22. Aprilis 1837.

- ✠ Samuel Archiepiscopus Baltimorensis
- ✠ Joannes Episcopus Carolopolitanus
- ✠ Joseph Episcopus S. Ludovici
- ✠ Benedictus Episcopus Bostoniensis
- ✠ Franciscus Patricius Episc. Arath. et Coadj. Philadelphiensis
- ✠ Joannes Bapt. Episc. Cincinnatensis
- ✠ Guido Ignatius Bolinensis Episcopus et Bardensis Episc. Coadjutor.
- ✠ Simon Episc. Vincennopolitanus.
- ✠ Gulielmus Episc. Oriensis et Coadj. Carolopolis.
- ✠ Antonius Episcopus Neo-Aurelianensis.

Beatissime Pater

Fidelibus jam per novum territorium, quod Wisconsin, vulgo audit, haud parvo numero sparsis, visum est e re Religionis esse ut nova in eo erigatur Sedes Episcopalis, in urbe scilicet Dubuque, cui Occidentalis pars praedicti territorii, quod ultra flumen Mississippi, citra flumen Missouri jacet, subjiciatur. Sacerdotes autem novae Sedi regendae visi sunt idonei, admodum Rev. * * * * quos propterea Beatitudini Vestrae commendamus, ut ex iis designetur Episcopus, si ita visum fuerit. Rogamus igitur Beatitudinem Vestram, ut dignetur novae Sedi designato Episcopo providere.

Baltimori Aprilis 22. 1837.

- ✠ Samuel Archiepiscopus Baltimorensis
- ✠ Joannes Episcopus Carolopolitanus
- ✠ Joseph Episcopus S. Ludovici
- ✠ Benedictus Episcopus Bostoniensis.

- ✠ Franciscus Patricius Ep. Arath. et Coadjutor Philadelphiensis
- ✠ Joannes Bapt. Episc. Cincinnatensis
- ✠ Guido Ignatius Bolinensis Episcopus et Bardensis Episc. Coadjutor.
- ✠ Simon Episc. Vincennopolitanus
- ✠ Gulielmus Episc. Oriensis et Coadj. Carolopolis
- ✠ Antonius Episcopus Neo-Aurelianensis.

Sanctissime Pater.

Ad religionis profectum maxime conducere nobis in Concilio Provinciali congregatis visum est, si nova Sedes Episcopalis in urbe Nashville erigeretur, cui tota provincia Tennessee subiceretur. Ei autem regendae Rev. *** commendandos duximus, ut ex iis Beatitudo Vestra unum ejusdem Episcopum designet. Rogamus igitur enixe ut nostris dignetur annuere precibus in Dei gloriam et animarum salutem.

Baltimore 22. Aprilis 1837.

- ✠ Samuel Archiep. Baltimorensis
- ✠ Joannes Episcop. Carolopolitanus
- ✠ Joseph Episc. S. Ludovici
- ✠ Benedictus Episc. Bostoniensis
- ✠ Franciscus Patricius Ep. Arath., et Coad. Philadelphiensis
- ✠ Joannes Bapt. Episcop. Cincinnatensis
- ✠ Guido Ignatius Bolinensis Episc., et Bardensis Episcopus Coadjutor
- ✠ Simon Episcopus Vincennopolitanus
- ✠ Gulielmus Episcopus Oriensis, et Coadjutor Carolopolis
- ✠ Antonius Episcopus Neo-Aurelianensis.

Sanctissime Pater

Quum Illūnus, et Revīnus Dominus Joannes Dubois, Episcopus Neo-Eboracenus, annis jam gravatus et laboribus, Patres in Concilio Provinciali congregatos, litteris missis, rogaverit, ut sibi ab Apostolica Sede Coadjutorem petenti faverent, tresque nominaverit Sacerdotes qui tanto muneri illi videntur idonei, piissimi praesulis votis annuendum censuimus. Eisdem igitur Beatitudini Vestrae commendamus, scilicet, Rev. *** ut ex iis, si ita videatur, Beatitudo Vestra Coadjutorem praeaudato Episcopo designet.

Baltimore 22. Aprilis 1837.

- ✠ Samuel Archiepiscopus Baltimorensis
- ✠ Joannes Episcopus Carolopolitanus

- ✠ Joseph Episcopus S. Ludovici
- ✠ Benedictus Episcopus Bostoniensis
- ✠ Franciscus Patricius Episcopus Arath. et Cadj. Philadelphiensis
- ✠ Joannes Bapt. Episcopus, Cincinnatensis
- ✠ Guido Ignatius Bolinensis Episcopus et Bardensis Episcopus Coadjutor
- ✠ Simon Episcopus Vincennopolitanus
- ✠ Gulielmus Ep. Oriensis et Coadj. Carolopolis
- ✠ Antonius Episcopus Neo-Aurelianensis.

Beatissime Pater.

Gravissimis adductis rationibus, Reverendissimus Dominus Fredericus Resè Episcopus Detroitensis, litteris ad Concilii provincialis patres missis, nos fecit certiores, se cupere, suae dioecesis administrationem dimittere, vel saltem Coadjutoris uti opera. Nos igitur precibus ejus annuendum duximus, et Beatitudinem Vestram implorandam, ut resignationem praedicti Episcopi acceptare dignetur, et alium designare qui ejusdem dioecesis regimen suscipiat. Nobis autem in id munus commendandi visi sunt Rev. *** Precamur igitur Beatitudinem Vestram, ut ex iis, si ita videatur, unus designetur Episcopali caractere insigniendus, qui dioecesim Detroitensem regat.

Baltimore 22. Aprilis 1837.

- ✠ Samuel, Archiep. Baltimorensis
- ✠ Joannes Episcopus Carolopolitanus
- ✠ Joseph Episcop. S. Ludovici
- ✠ Benedictus Episc. Bostoniensis
- ✠ Franciscus Patricius Ep. Arath. et Coadj. Philadelphiensis
- ✠ Joannes Bapt. Epis. Cincinnatensis
- ✠ Guido Ignatius Bolinensis Episc. et Bardensis Episc. Coadjutor
- ✠ Simon Episc. Vincennopolitanus
- ✠ Gulielmus Episc. Oriensis, et Coadj. Carolopolis
- ✠ Antonius Episc. Neo-Aurelianensis.

Reverendissimi Patres in Synodo Provinciali Baltimorensi congregati.

Aegro quidem animo consecrationem, necnon et Episcopatum, uti constat, suscepi; et re quidem vera brevi tempore, experientia ipse satis cognovi, erectionem novae Dioeceseos, ejusque administrationem, plurimasque difficultates, et molestias undique erumpentes, esse pondus valde nimis supra humeros meos, ideoque saepius in mente mea constitui, Dioecesim meam in manus Sanctissimi et Summi Pontificis

nostri resignare, vel saltem Coadjutorem idoneum a Sancta Sede petere. Hoc autem in praesentiarum executioni mandare cupio, et hac de causa duos jam Vicarios Generales, scilicet Rev. D. Badin et De Bruyn constitui, ut conjunctim jurisdictionem in absentia mea exercent, donec aliter statuatur. Haec sunt Reverendissimi Patres, quae vobis proponenda judicavi, et precor ut veniam mihi concedere dignemini, si Synodo huic Provinciali adesse non possim; et adjuvetis ut felicem exitum desideriorum meorum consequi merear, si bonum in Domino videbitur.

Ex aedibus Seminarii Baltimorensis

Die 15. Aprilis 1837.

✠ Federicus Rese Episc. Detroitensis.

Rev. Patribus in Synodo Balt. congregatis.

Beatissime Pater.

Gravissimis difficultatibus quum fideles subjaceant in hisce regionibus, quoad dierum festorum observationem, Beatitudinem Vestram implorandam duximus, ut dignetur eos solvere obligatione quae plerisque in dioecesibus viget, servandi feriam secundam Paschatis, et Pentecostes, ita ut jam non teneantur Missam audire, vel ab operibus servilibus abstinere iis diebus. Precamur igitur Beatitudinem Vestram, ut habita ratione difficultatum specialium, dignetur fideles omnes in hisce provinciis degentes, onere servandi praedictos dies tamquam festivos solvere.

Baltimore 22. Aprilis 1837.

- ✠ Samuel Archiep. Baltimorensis
- ✠ Joannes Episcopus Carolopolitanus
- ✠ Joseph Episcopus S. Ludovici
- ✠ Benedictus Episcopus Bostoniensis
- ✠ Franciscus Patricius Ep. Arath., et Coadj. Philadelphiensis
- ✠ Joannes Baptista Episc. Cincinnatensis
- ✠ Guido Ignatius Bolinensis Episcop. et Bardensis Episc. Coadjutor
- ✠ Simon Episc. Vincennopolitanus
- ✠ Gulielmus Epis. Oriensis et Coadj. Carolopolis
- ✠ Antonius Episc. Neo-Aurelianensis.

Beatissime Pater.

Quum varia sit Ecclesiarum, quibus praesumus, disciplina de jejunio singulis feriis quartis et sextis Adventus servando, visum est Beatitudinem Vestram implorare ut Apostolica auctoritate consuetudinem, quae in pluribus dioecesibus obtinuit, iis diebus jejunandi haud amplius obligare declaret; abstinentiae etiam feriis quartis obligatio-

nem solvat. Ad has porrigendas preces, gravissimis, quibus fideles inter A catholicos degentes premuntur difficultatibus, adducti sumus, sicut et uniformis disciplinae studio. Precamur igitur Beatitudinem Vestram, ut velit nostris annuere humillimis precibus.

Baltimore 22. Aprilis 1837.

- ✠ Samuel Archiep. Baltimorensis
- ✠ Joannes Episcopus Carolopolitanus
- ✠ Joseph Episcopus S. Ludovici
- ✠ Benedictus Episcopus Bostoniensis
- ✠ Franciscus Patricius Episcopus Arath. et Coadj. Philadelphiensis
- ✠ Joannes Baptista Epis. Cincinnatensis
- ✠ Guido Ignatius Bolinensis Episc. et Bardensis Episc. Coadjutor
- ✠ Simeon Episc. Vincennopolitanus
- ✠ Gulielmus Epis. Oriensis, et Coadj. Carolopolis
- ✠ Antonius Epis. Neo-Aurelianensis.

Eminentissime ac Reverendissime Pater.

Instante Illmo, et Reño Domino Francisco Patricio Kenrick in Concilio Provinciali, ut preces Beatissimo Papae porrigerentur ob novae Sedis Episcopalis in civitate Pittsburgi erectionem, visum est quidem e re Ecclesiae fore, ut quamprimum erigeretur: ceterum graviore dioeceseon jam existentium necessitates Patres coegerunt, ut quos novae Sedi regendae magis commendandos judicarent, S. Sedi proponerent in Episcoporum aetate provectorum adjutorium, vel ad aliarum dioeceseon regimen promovendos. Ea de causa nihil inpraesentiarum innovandum in dioecesis Philadelphiensis limitibus censuerunt: quod Eminentiae VV. RR. probandum consilium confido.

✠ Samuel Archiepiscopus Baltimorensis.

EPISTOLA

S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE

De Synodi III. Baltimorensis Provincialis confirmatione.

Illm̄e ac Rm̄e Domine.

Synodi Baltimorensis decreta, mense Aprili hoc anno celebrata, S. Congregatio perpendit: Laudavit autem summopere S. Congregatio A. Tuae et Episcoporum qui Synodo interfuerunt sapientiam, ac simul commendarunt perspicuum illud studium Religionis boni procurandi et Ecclesiasticae disciplinae custodiendae, quod in decretis ipsis perspicue apparet.

Nonnulla quidem in decretis illis reperta sunt quae immutari debere S. Congregatio existimavit, prout in instructione his literis adjecta continetur. Sed hoc minime impedire S. Congregatio censuit quominus Bm̄um Dominum Nostrum Gregorium PP. XVI. precaretur, ut Apostolica Auctoritate dignaretur Decreta ipsa confirmare: Itaque his literis adjectum accipies quoque decretum, ex quo intelliges Sanctitatem Suam decreta Synodi confirmasse: Certum enim habet immutationes de quibus in instructione agitur, Vos libenti animo esse facturos.

Quod spectat ad novarum Sedium Episcopaliū erectionem, hoc est Natchetensis, Dubuquensis, Nashvillensis a Synodo commendatam eam a SSm̄o Domino Nostro libenter, probato S. Congregationis consilio, factam esse, Brevia Apostolica, quae ad A. T. mitto, demonstrabunt: Eadem Brevia docent Sedem Episcopalem Natchetensem R. D. Thomae Heydem collatam esse, Sedem Dubuquensem D. Matthiae Loras, Sedem autem Nashvillensem R. P. Riccardo Miles Ordinis PP. Praedicatorum esse tributam. Accipies etiam Brevia Apostolica his literis adnexa quibus Sacerdos D. Joannes Hughes Coadjutor R. P. D. Joannis Dubois Episcopi Novi Eboraci designatur. De abdicatione autem R. P. D. Rese Episcopi Detroitensis accipienda, vel de Coadjutore potius ei destinando, Sanctitas Sua sententiam differendam iudicavit, eo quod ipse Episcopus Detroitensis Romam quamprimum venturus sit. Placet vero SSm̄o Domino Nostro illum audire, antequam rem definiat. Circa dispensationes super festorum, ac jejuniorum quorundam observatione, quid S. Congregatio et Sanctitas Sua statuerit, in peculiaribus decretis, atque epistola quam ad A. T. mitto luculenter significetur.

Precor Deum etc.

Romae ex Aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide die 2 Septembris 1837.

Jacobus Philippus Card. Fransoni.
 Praefectus.

Angelus Majus a Secretis

D E C R E T U M

*S. Congregationis Generalis de Propaganda Fide
habita die 9. Julii 1837.*

Cum RR. PP. DD. Archiepiscopus Baltimorensis, et Episcopi dioecesium in faederatis Americae Septemtrionalis provinciis existentium in Synodo Provinciali mense Aprili anno 1837. celebrata congregati, SS^mum Dominum Nostrum Gregorium PP. XVI. precati fuerint ut decreta ab eadem Synodo edita apostolica auctoritate sua dignarentur confirmare, si, instituto de iisdem iudicio, confirmatione digna reperta fuissent, S. Congregatio Generalis de Propaganda Fide habita die 3. Julii 1837., referente E^mo ac R^mo Domino Jacobo Philippo S. R. E. Cardinali Franonio S. Consilii Praefecto, commendata plurimum Synodi sapientia, Religionis amplificandae studio, atque Ecclesiasticae disciplinae custodiendae proposito, censuit ac decrevit supplicandum Sanctitati Suae ut memoratae Synodi Decretis confirmationem apostolicam impertiretur.

Hanc autem S. Congregationis sententiam SS^mo Domino Nostro relatum ab R. P. D. Angelo Majo S. Consilii Secretario in audientia diei 9. Julii anni 1837. Sanctitas Sua benigne in omnibus probavit, et decreta de quibus agitur, suprema auctoritate sua confirmata in foederatae Americae Septemtrionalis dioecesibus servari jussit.

Romae ex aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide die 2. Septembris 1837.

Jacobus Philippus Card. Franonius
Praefectus.

Angelus Majus a Secretis.

E P I S T O L A

S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE

*De petita dispensatione super jejuniis feriis sextis
adventus obtinente.*

Ill^me ac R^me Domine

Inter ea quae in Synodo Provinciali mense Aprili habita, A. Tua et Episcopi dioecesium istarum, a Sede Apostolica petenda esse stauerunt, illud quoque, prout tibi notum est, continetur, ut videlicet dispensatio super jejuniis feriis sextis Adventus servando concedatur.

S. Congregatio de ea petitione agens vehementer optare se professam est ut jejunii iis diebus obtinentis observatio perseveret: Hoc etiam

47
placeret in primis SS^{mo} Domino Nostro Gregorio PP. XVI. cui sup-
plex libellus vester de ea re relatus est.

Jussit tamen Sanctitas Sua A. Tuae scribi ut collatis cum Episcopis
Collegis Tuis super eo negotio consiliis, omni studio videatis jejunii
memoratis diebus observationem retinere: Quod si vero post maturam
negotii considerationem, talia esse rerum adjuncta cognoscatis ut ad
vitandum peccati periculum necesse esse censeatis Catholicos ab ea
obligatione solvi, tum SS^{mus} Dominus Noster facultatem A. T. tri-
buit dispensationis super eo jejunio, nomine suo concedendae.

Precor Deum interea etc.

Romae ex Aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide die
2. Septembris 1833.

Jacobus Philippus Card. Fransoni
Praefectus
Angelus Majus a Secretis.

DECRETUM

*S. Congregationis Generalis de Propaganda Fide
habita die 3. Julii 1837.*

Cum RR. PP. DD. Archiepiscopus Baltimorensis, et Episcopi
dioecesium in faederatis Americae Septemtrionalis provinciis existen-
tium, in Synodo Provinciali, mense Aprili anno 1837. Baltimori cele-
brata congregati, SS^{mo} D. N. Gregorio PP. XVI. supplici libello Ro-
mam misso retulerint, gravem esse difficultatem quominus catholici
in iis regionibus morantes, feria secunda Paschatis, et Pentecostes
ab operibus servilibus abstinere, et SS. Missae sacrificio interesse pos-
sint, atque idcirco Sanctitatem Suam precati fuerint ut super memo-
rati utriusque diei festi observatione dignaretur dispensare; S. Con-
gregatio Generalis de Propaganda Fide habita die 3. Julii anno 1837.
referente E^{mo} et R^{mo} D^{no}. Jacobo Philippo Fransonio S. Consilii
Praefecto, censuit, ac decrevit supplicandum SS. D. N. pro gratia
juxta petita.

Hanc autem S. Congregationis sententiam SS. D. N. relatam ab R. P. D.
Angelo Majo S. Consilii Secretario in audientia diei 9. Julii, Sancti-
tas Sua benigne in omnibus probavit, et petitam dispensationem au-
toritate apostolica concessit.

Romae ex Aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide die
2. Septembris 1837.

Jacobus Philippus Card. Fransoni
Praefectus.

Angelus Majus a Secretis.

f2

D E C R E T U M

*S. Congregationis Generalis de Propaganda Fide
habita die 3. Julii anno 1837.*

Cum RR. PP. DD. Archiepiscopus Baltimorensis et Episcopi dioecesium in foederatis Americae Septemtrionalis provinciis existentium, in Synodo Provinciali mense Aprili anno 1837. celebrata congregati, SS^{mo} Dno N. Gregorio PP. XVI. supplici libello Romam misso retulerint, magnam esse difficultatem quominus catholici in iis regionibus morantes, feriis quartis Adventus jejunare, et a carnibus abstinere possint, atque idcirco Sanctitatem Suam precati fuerint ut super ea re dispensationem impertiri dignaretur, ratione etiam habita, quod non communis sit in diversis illis dioecesibus de jejunii et abstinentiae obligatione memoratis quartis feriis observatio; S. Congregatio Generalis de Propaganda Fide habita die 3. Julii anno 1837. referente E^{mo} et R^{mo} D. Jacobo Philippo Fransonio, S. Consilii Praefecto, censuit ac decrevit, supplicandum SS. D. N. pro gratia juxta petita.

Hanc autem S. Congregationis sententiam SS. D. N. relatam ab R. P. D. Angelo Majo S. Consilii Secretario in audientia diei 9. Julii Sanctitas Sua benigne in omnibus probavit, et petitam dispensationem apostolica Auctoritate concessit.

Romae ex Aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide die 2. Septembris 1837.

Jacobus Philippus Card. Frasoni
Praefectus.
Angelus Majus a Secretis.

R E S C R I P T U M A P O S T O L I C U M

De adhibendo in dioecesibus faederatae Americae libello de caeremoniis ab R. P. D. Josepho Rosati Episcopo S. Ludovici, anglico idiomate composito.

Datum fuit in Concilio Provinciali Baltimorensi ut Manuale Caeremoniarum, quo in sacris ritibus peragendis a Sacerdotibus et Clero provinciae, quorum plerique ex diversis dissitisque regionibus adsciti varios patrios usus sequebantur, una eademque juxta S. Romanae Ecclesiae morem ratio servari posset, typis vulgaretur; Hujus autem libri edendi cura R. P. Josepho Rosati Episcopo S. Ludovici mandata fuit. Igitur Patrum Concilii votis se abunde satis facturum arbitratus est Episcopus S. Ludovici quin novum opus concinnaret: nam id sibi praestandum fore judicavit ut ex latino in anglicum sermonem verteret opusculum jamdiu jussu Benedicti XIII. editum at-

que a S. Rituum Congregatione approbatum pro minoribus Ecclesiis quae unius solummodo Sacerdotis et clericorum aliquorum ministerio utuntur; et ex Italico idiomate opus aliud a Sacerdote Josepho Baldeschi Romae, superioribus approbantibus, evulgatum pro majoribus Ecclesiis: et tandem ex Caeremoniali Episcoporum quae ad pontificales ritus pro Ecclesiis Cathedralibus spectant desumeret utque in anglicam linguam verteret. Quod reipsa fideliter et meliori quo potuit modo praestitit; atque opus quod ex jam probatis fontibus haustum nulla nova approbatione indigere putatum est, in lucem prodiit Baltimori sub titulo „A manual of the Ceremonies used in the catholic Church. „ De hujus autem libri editione rescriptum fuit a S. Congregatione de Propaganda Fide ad Baltimorensis Archiepiscopum ut priusquam typis vulgaretur, authographum Romam mitteret approbandum. Arbitrati sunt procul dubio Eminentissimi Patres Caeremoniales illud novum esse opus et novos vel peculiare ritus continere in provinciam Baltimorensis subintroducendos. Sed quum liber nil novi, nihilque a consuetis Romanae Ecclesiae Ritibus et caeremoniis nedum contrarium, sed nec alienum quidem praeseferat, et opusculis jam a superioribus approbatis et Romae vulgatis, vel excerptis ex Episcoporum Caeremoniali conflatus fuisset, nova approbatione indigere minime videbatur, vulgatusque fuit, ne Clerus Americanus necessario ad sacras caeremonias rite obeundas adminiculo diutius privaretur. Exemplar hujus caeremoniarum manualis typis impressum una cum Decretis manuscriptis ultimi Concilii Baltimorensis ad Sacram Congregationem transmissum est, ex quo constare poterit de expositorum veritate; quae omnia ut a Beatitudine Vestra rata habeantur atque approbentur humillime petunt Archiepiscopus Baltimorensis ejusque Suffraganei.

Ex Audientia SSmi die 17. Januarii 1841.

SSmus Dominus Noster Gregorius Divina Providentia PP. XVI., referente me infrascripto Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Secretario mature perpensis superius narratis, et habita simul Episcopi supplicantis doctrinae, ac meritorum ratione, expositum ab eodem Episcopo factum probavit, et libellum de caeremoniis, sacrisque ritibus ab ipso digestum, atque anglicano idiomate scriptum, in Ecclesiasticorum usum adhiberi libere posse declaravit.

Datum Romae ex aedibus S. Congregationis die et anno quibus supra.

Gratis sine ulla omnino solutione quocumque titulo.

I. Archiepiscopus Edessenus
A Secretis.

RESCRIPTUM APOSTOLICUM

De adhibendo in diaecesibus foederatarum Americae Septentrionalis Provinciarum compendio Ritualis Romani, ab R. P. D. Josepho Rosati Episcopo S. Ludovici composito.

Quum Ritualis Romani exemplaria rara sint et magno pretio emanantur in Statibus Unitis Americae, statutum fuit a Conciliis Provincialibus Baltimorensibus ut denuo typis mandaretur in aliqua ex eorundem Statibus civitate, et ad minuendas impensas, quae maximae sunt in illis regionibus, omitterentur quae in Sacri ministerii exercitio ibidem nunquam occurrunt, ideoque minime necessaria videntur. Ad calcem autem et velut in Appendice ad majorem Missionariorum, praesertim eorum qui vel in anglico sermone, vel in ministerio ipso parum sunt exercitati, utilitatem, exhortationes quaedam ante et post administrationem Sacramentorum faciendae ut adderentur optaverunt Patres Concilii; et ne quid subreperet in opus tanti momenti, quod S. Romanae Ecclesiae in Sacramentorum administratione, et Sacris ritibus probatissimae disciplinae ad unguem conforme non esset, exemplar Ritualis Romae editi ut authographum adhibendum esse decreverunt. Cura autem hujus editionis demandata fuit Episcopo S. Ludovici, qui Beatitudinem Vestram humiliter precatur, ut id a se praestari possit, praefixo titulo: "Compendium Ritualis Romani ad usum Dioecesium Provinciae Baltimorensis",.

Ex Audientia SSmi die 21. Januarii 1841.

SSmus D. N. Gregorius Divina Providentia PP. XVI. referente me infrascripto Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Secretario, re tota sapientissime perpensa, et ratione habita, tum consilii a Synodo Baltimorensi Provinciali suscepti, tum R. P. D. Josephi Rosati Episcopi S. Ludovici doctrinae, ac meritorum, cui res absolvenda commissa est, memoratum in supplici libello *Compendium Ritualis Romani ad usum Diaecesium Provinciae Baltimorensis* ab eodem Episcopo fieri, et per diaeceses foederatarum Americae Septentrionalis provinciarum adhiberi libere posse apostolica auctoritate benigne concessit.

Datum Romae ex aedibus dictae Sacrae Congregationis die, et anno quibus supra.

Gratis sine ulla omnino solutione quocumque titulo.

I. Archiepiscopus Edessenus
A Secretis.

CONCILIUM IV. PROVINCIALE

BALTIMORI HABITUM MENSE MAJO ANNO MDCCCXL.

ACTA ET DECRETA CONCILII

Die 14. Maii Ill^mus ac Rev^mus Archiepiscopus cum jus canonicum eam ad rem pertinens omnibus Rev^mis Patribus qui aderant, nempe R^mis Episcopis Flaget, Rosati, Purcell, Blanc, Loras, et de la Hailandiere, clare retulerit, sensum eorum exquisivit, utrum necne expediret invitare Rev^mum de Forbin Ianson Episcopum Nanceiensem, Lotharingiae Primatem, ad consedendum in Concilio Provinciali proxime habendo cum voce deliberativa, atque etiam cum voce decisiva. Placuit Patribus utrique ex quaesitis affirmative respondere.

COETUS PRAEPARATORIUS.

Die 16. Maii, hora quinta P. M. habitus est coetus praeparatorius in Aedibus Archiepiscopi, praesentibus Ill^mo ac Rev^mo D. D. Samuele Eccleston Archiepiscopo Baltimorensi.

Ill^mo ac Rev. D. Benedicto Joseph Flaget Episcopo Bardensi, Joseph Rosati Episcopo S. Ludovici, Garolo de comitibus De Forbin Ianson Episcopo Nanceiensi ac Tullensi et Lotharingiae Primate, qui in itinere versans invitatus est;

Ill^mo ac Rev. D. Francisco Patritio Kenrik Episcopo Arath. et Coadjutore Episcopi Philadelphiensis.

Ill^mo ac Rev. D. Joanne Baptista Purcell, Ep. Cincinnatiensi,
Antonio Blanc Episcopo Neo-Aureliae,

Gaelestino Renato Laurentio Guynemer De la Halandiere Episcopo Vincennopolitano,

Plura disceptata sunt et accomodata pro recto ordine Concilii.

SESSIO PRIMA.

Dominica quarta post Pascha, die 17. Maii, anno R. S. 1840. incoeptum est Concilium Baltimorensis Provinciale Quartum in Ecclesia Metropolitana, hora undecima A. M.

Post solemnes supplicationes ab Aedibus Archiepiscopalibus, Missa solemniter celebrata est ab Ill^mo et Rev. D. D. Samuele Eccleston, Archiepiscopo Baltimorensi, et post concionem ab Ill. ac Rev. D. Joanne England Episcopo Carolopolitano, apertum est Concilium juxta

formam in Pontificali praescriptam, emissa fidei professione ab Ill. ac RRev. Dominis Carolo Augusto Maria Joseph de Forbin Ianson Episcopo Nanceiensi ac Tullensi Lotharingiae Primate, Michaele Portier Episcopo Mobiliensi, Mathia Loras Episcopo Dubuquensi, Ricardo Pio Miles Episcopo Nashvillensi, et Caelestino Renato Laurentio Guynemer De la Hailandiere Episcopo Vincennopolitano.

Praefuit Illmus ac Rev. D. Samuel Eccleston Archiepiscopus Baltimorensis.

Aderant Illmus ac Rev. D. Benedictus Joseph Flaget Episcopus Bardensis,

Illmus ac Rev. D. Joannes England Episcopus Carolopolitanus,

Illmus ac Rev. D. Joseph Rosati Episcopus S. Ludovici,

Illmus ac Rev. D. Carolus Augustus Maria Joseph de Forbin Ianson Episcopus Nanceiensi ac Tullensi Lotharingiae Primas,

Illmus ac Rev. D. Benedictus Ioseph Fenwick Episcopus Bostoniensis,

Illmus ac Rev. D. Michael Portier Episcopus Mobiliensis,

Illmus ac Rev. D. Franciscus Patritius Kenrick Episcopus Arathensis et Coadjutor Episcopi Philadelphiensis, cum plena potestate in Dioecesim Philadelphensem.

Illmus ac Rev. D. Joannes Baptista Purcell Episcopus Cincinnatiensis,

Illmus ac Rev. D. Antonius Blanc Episcopus Neo-Areliae,

Illmus ac Rev. D. Mathias Loras Episcopus Dubuquensis,

Illmus ac Rev. D. Ricardus Pius Miles Episcopus Nashvillensis,

Illmus ac Rev. D. Caelestinus Renatus Laurentius Guynemer De la Hailandiere Episcopus Vincennopolitanus,

Placuit Patribus, proponente Illmo ac Rev. Archiepiscopo, designare officiales Concilii Provincialis:

Illmos ac Rev. DD. Joseph Rosati, et Benedictum Joseph Fenwick, Promotores;

Reverendos DD. Joannem Baptistam Ludovicum Eduardum Dampoux S. T. D. et Carolum Ignatium Aloysium White, Secretarios;

Reverendum D. Franciscum L'homme, Magistrum Caeremoniarum, ejusque adiutorem Magistrum Jacobum Benedictum Donelan;

Reverendos DD. Joannem Blasium Randanne et Petrum Fredet, Cantores.

PRIMA CONGREGATIO PRIVATA.

Die 18. Maii, hora nona, A. M. habita est Congregatio prima privata in Aedibus Archiepiscopalibus.

Praefuit Illmus ac Rev. D. Archiepiscopus. Aderant Illmi ac Rev. DD. Episcopi supra memorati, cum secretariis.

Proponente Episcopo Bostoniensi, Patres consueverunt, non expedire

ut Episcopi ordinarie assumantur ex sacerdotibus qui jure civitatis in foederatis Americae septentrionalis provinciis non gaudent.

De erigenda sede nova Episcopali in civitate Pittsburgii actum est, et Patribus visum est oportere ut erigatur juxta detretum prioris Concilii.

Rogante Episcopo Arathensi permissum est referri inter acta Concilii eum cum Episcopis Neo-Aurelianensi et Dubuquensi dissentire ab Episcoporum designatione in Promotores, eo quod sit contra morem Conciliorum Provincialium.

PRIMA CONGREGATIO PUBLICA.

Die 18. Maii, hora quarta P. M. habita est prima congregatio publica in Ecclesia Metropolitana.

Praefuit Ill^mus ac Rev. D. Archiepiscopus. Aderant Ill^mi ac Rev. DD. Episcopi supra memorati, cum secretariis. Aderant insuper admodum Rev. DD. Carolus P. Montgomery Provincialis Ordinis S. Dominici in foederatis Americae Statibus, et Josephus Prost Superior Societatis S. Ligori;

Admodum Rev. Ludovicus R. Deluol, Superior Seminarii S. Sulpitii Baltimorensis,

Rev. D. Joannes S. Chanche, DD. Praeses Collegii S. Mariae Baltimorensis,

Rev. D. Nicolaus Kerny,

} Theologi
} Metropolitanae
} Ecclesiae.

Rev. Petrus Chazelle S. J. ab Episcopo Bardensi adductus theologus, Admodum Rev. D. Joannes Power et Rev. D. Joannes Barry, ab Episcopo Carolopolitano adducti theologo,

Rev. D. Joseph Lutz, ab Episcopo S. Ludovici adductus theologus, Admodum Rev. D. Vincentius Badin, ab Episcopo Nanceiensi designatus theologus.

Rev. D. Henricus B. Coskery, ab Episcopo Bostoniensi designatus theologus.

Rev. D. Michael O'Connor, ab Episcopo Arathensi adductus theologus.

Rev. D. Joannes M. Elroy S. J. ab Episcopo Cincinnatiensi designatus theologus.

Rev. D. Joannes Boullier Cong. Missionis ab Episcopo Neo-Aureliae adductus theologus.

Rev. D. Gilbertus Raymond, ab Episcopo Dubuquensi designatus theologus.

Rev. D. Benedictus Bayer, ab Episcopo Nashvillensi designatus theologus.

Rev. D. Petrus R. Lefevere, ab Episcopo Vincennopolitano adductus theologus.

Durante Congregatione, lectis primum a Promotoribus quae pri-

vatae theologorum Congregationes retulerant de quaestionibus ipsorum discussioni traditis, theologorum de his sententiae ab Illmo ac Rev. Archiepiscopo rogatae sunt.

SECUNDA CONGREGATIO PRIVATA.

Die 19. Maii habita est 2. Congregatio privata eodem loco et hora quibus prima.

Illmus et Rev. Episcopus Carolopolitanus recitavit precum libellum a quibusdam viris Catholicis rei navali addictis porrectum Patribus, ut eorum conscientiae tranquillitati consulatur, jussum est ut libellus servetur, deinceps considerandus.

Recitatis litteris a quibusdam civibus oppidi Springfield in statu Illinois, quibus precabantur ut erigeretur sedes episcopalis in eo oppido, visum est Patribus non adhuc expedire, cum Episcopi sustentationi, et Seminarii et cathedralis erectioni satis consuli nequeat. Jusserunt Patres ut Secretarii ita responderent.

Quum S. Sedes ad Concilium remisisset petitionem Episcopi Bardensis de transferenda sede Bardensi ad Ludovicopolim, visum quidem est Patribus expedire ut Episcopus sedem habeat Ludovicopoli; sed de translatione Sedis Bardensis et de tempore novae erigendae iudicium S. Sedi relinquendum, cum quaedam prius necessario disponenda sint ut bonorum ecclesiasticorum securitati et Episcopi convenienti sustentationi consulatur.

SECUNDA CONGREGATIO PUBLICA.

Die 19. Maii habita est 2. Congregatio publica eodem loco et hora quibus prima.

Discussio quaestionum in privatis theologorum Congregationibus expensarum continuata est.

TERTIA CONGREGATIO PRIVATA.

Die 20. Maii habita est 3. Congregatio privata eodem loco et hora quibus prima.

Sic Patres statuerunt.

Decr. Sacerdotibus omnibus hujus Provinciae in memoriam revocamus, antiquae Ecclesiae lege quam SS. Pontifices non desierunt inculcare, vetari matrimonia Catholicorum cum acatholicis, cum et sanctitas sacramenti postulet ut uterque fide et aliis animi dispositionibus gratiae sacramenti suscipiendae idoneus sit, et plura graviaque incommoda et mala ex hujusmodi connubiis saepe sequantur, nempe discordia domestica, et catholicae partis et prolis perversio.

Quod si rerum adjuncta aliquando suadeant ea esse permittenda,

inprimis curandum erit, ut conscientiae securitati et libero religionis exercitio a Catholica parte consulatur, sicut et prolis utriusque sexus in fide Catholica educationi, solemniter coram Deo promissione iis de rebus emissa; secus nullatenus licebit sacerdoti iis connubiis adstare. Meminerint insuper sacerdotes pluribus SS. Pontificum decretis vetari, ne ullus sacer ritus fiat vel vestis sacra adhibeatur dum foedera hujusmodi ineuntur, quae neque intra ecclesiam ineunda sunt.

Patribus adnotandum placuit, sacerdotes veste talari indutos, Episcopos insuper rochetto, epomide ac cruce pectorali ornatos his mixtis connubiis adstare licitum esse.

Statutum a Patribus est, quatuor Concilia Provincialia Baltimorensia typis mandanda esse, statim atque S. Sedes quarti decreta probaverit, et mille exemplaria cum Alphabetico indice edenda.

Decret. Nihil innovantes in his quae in primo Canone Primi Concilii Provincialis Baltimorensis de potestate Episcopi in pastoribus designandis et amovendis, necnon firmare volentes quae in canone quarto ejusdem Synodi declarata fuere, de unico pastore in singulis congregationibus designando, declaramus Pastori soli ita designato competere administrationem ecclesiae seu congregationis, atque aliis sacerdotibus illi in ministerii adiutorium adjunctis non licere aliquid aggredi praeter pastoris voluntatem.

Decr. Ne turpis lucri cupido sacerdotalem inficiat ordinem, vel aliqua oriatur inter sacerdotes simul commorantes dissensio, propter elemosynas quas fideles occasione sacramentorum Baptismi vel Matrimonii administrandorum sponte conferunt, monemus Episcopos ut in prima sua synodo dioecesana, vel alias prout illis in Domino visum fuerit, consilio sacerdotum etiam adhibito, justam statuam rationem qua inter sacerdotes simul ita commorantes distribuantur, potioris juris et graviorum onerum pastoris non neglecta consideratione.

Decr. Dominici, Festorumque dierum sanctificationem iterum atque iterum populis suae curae commissis pastores commendare modis omnibus curabunt verbi Dei praedicatione, catechesibus, aliisque pietatis Christianae publicis exercitiis. Moneant frequenter oves suas de vitandis cauponis, et caupones a sacramentis arceant qui potantium excessus fovent, praesertim diebus Dominicis.

Deinde de emendationibus in decretis quibusdam concilii Baltimorensis Provincialis tertii, juxta litteras Roma missas, actum est.

Decr. Cum immania scandala ex nimia potatione oriantur, hortamur pastores et per viscera Jesu Christi obsecramus, ut omne studium in ebrietatis vitio eliminando ponant. Eum in finem laudandum censemus fidelium eorum zelum, qui ab omni liquore ardenti se abstinent, ad excessuum periculum tutius declinandum. Qui autem sponte societatem inter se ineunt ut mutuis virtutum exemplis sese adjuvent ac roborent, inprimis adhibere debent subsidia illa quae Christus Do-

minus in Ecclesia reliquit, quibus vitia humana emendentur, et infirmitas sustentetur; atque oratione, sacramentorum frequenti susceptione, aliisque pietatis exercitiis auxilium supernum sibi comparare; nec sibi nec suis propositis, sed Deo sine quo nihil prodest humanus conatus, fidere.

TERTIA CONGREGATIO PUBLICA.

Die Maii 20. hora quarta P. M. habita est 3. Congregatio Publica, eodem loco et modo quibus heri.

Praeter Rev. Dominos theologos supra commemoratos, adfuit Rev. D. Patritius Moriarty S. T. D., superior O. S. A. in foederatis Americae provinciis.

SESSIO SECUNDA.

Die Maii 21. hora nona, post Missam solemnem Defunctorum ab Illmo ac Rev. D. Episcopo Vincennopolitano, et concionem ab Ill. ac Rev. D. Episcopo Cincinnatensi, habita est sessio secunda in Ecclesia Metropolitana juxta formam in Pontificali Romano praescriptam. Lectae fuerunt solemniter SS. D. N. Gregorii PP. XVI. litterae Apostolicae de Nigritarum commercio non exercendo.

QUARTA CONGREGATIO PRIVATA.

Die Maii 22. hora nona A. M. habita est quarta Congregatio privata eodem loco quo prima.

Quum ex S. Sedis indulgentia obligatio servandi de praeepto festum SS. Petri et Pauli relaxata sit in hisce foederatis Provinciis, relicta in nonnullis Dioecesibus obligatione jejunandi in vigilia ejusdem festi, quae tamen in aliis Dioecesibus non viget; censuerunt Patres supplicandum S. Sedi ut jejunii obligatio in praedicta vigilia tollatur, ut eadem sit disciplina ea de re per omnes foederatas Provincias. Censuerunt pariter supplicandum esse S. Sedi ut dispensatio ab abstinentia sabbato, ad decennium concessa fidelibus hujus Provinciae, perpetua fiat.

Decr. Cum constet publicae educationis rationem plerumque in his provinciis ita iniri ut haeresibus inserviat, puerorum Catholicorum mentibus sensim sine sensu falsis sectarum principiis imbutis, monemus pastores ut omni quo valent studio catholicorum puerorum Christianae et Catholicae educationi prospiciant, et diligenter invigilent ne versione protestantica Bibliorum utantur, vel sectarum cantica aut preces recitent. Ideo invigilandum erit ne in publicas scholas libri vel exercitia hujusmodi introducantur, cum libertatis conscientiae quam leges civiles ipsae tuentur detrimento, et cum fidei pietatisque discrimine. Constanter autem et moderate hisce sectarum cona-

tibus ubique resistendum est, eorum, qui auctoritate valent opportunum adhibere remedium, implorato auxilio.

Decr. Propter gravissimas rationes vetuerunt SS. Pontifices, ne fideles secretas societates quovis nomine nuncupatas ineant, jurejurando sese adstringentes ad arcana servanda; nam foedera hujusmodi clanculum inita mali suspicionem et periculum prae se ferunt, et jusjurandum temere adhibetur. Idcirco monemus sacerdotes omnes neminem posse absolutione sacramentali donari nisi ab hujusmodi societatibus prorsus recedat. Hortamur autem, et in Domino obsecramus fideles omnes, ut occulta illa foedera omnino declinent, mente revolventes, se Christi membra esse, et Ecclesiae quae est Mater nostra mandatis teneri; eosque ut filios lucis debere ambulare juxta sanctissima et divina illa documenta, quae Christus Dominus tradidit.

Decr. Praesules omnes monemus, ut securitati bonorum ecclesiasticorum sedulo prospiciant omni qua valent ratione, ideoque legum seu auctoritatis civilis praesidium quaerant, ubicumque haberi possit, salvo tamen libero Episcoporum jure. Quod si nequeant illud obtinere saltem testamento juxta legis dispositiones rite facto, cujus duplicatum habeant, caveant ne bona sibi in usus ecclesiasticos commissa a suis finibus avertantur. Habeant etiam bonorum ecclesiasticorum inventarium, et instrumenta omnia et titulos rite disposita. Et si contigerit eos extra Dioecesim versari, litteras procurationis apud quemdam virum probatum relinquunt, qui ea bona valeat usibus ecclesiasticis servare. Monemus insuper Episcopos, ne sinant sacerdotes penes se retinere suo nomine quae a fidelibus in publicos et ecclesiasticos usus donata sunt eorumque fidei commissa.

Decr. Commendamus Episcopis libros habere in quibus accurate recenseantur ordinationes, clericorum ex aliis Dioecesibus in suas cooptationes, designationes Pastorum, tituli ecclesiarum, aliaque omnia quae ad statum ecclesiasticum respiciunt.

QUARTA CONGREGATIO PUBLICA.

Die Maii 22. hora quarta P. M. habita est Congregatio quarta publica, eodem loco et modo quibus tertia.

QUINTA CONGREGATIO PRIVATA.

Die Maii 23. hora nona A. M. habita est quinta Congregatio privata eodem loco quo prima.

Censuerunt Patres Rituale quod paratum est in hujus Provinciae usum, Romam deferendum per Episcopum S. Ludovici, ut praelo demandetur postquam fuerit a S. Sede probatum.

Statutum est navalibus ducibus, qui Patribus supplicarunt pro formula precum in navium usus, respondendum per secretarios Conci-

lium ab Illmo ac Rev. Archiepiscopo rogasse ut cum praefatis ducibus collatis consiliis hac de re statuat.

Statuerunt Patres supplicandum SS. Pontificem pro concessione officiorum quae sequuntur.

Desponsationis B. M. V. dupl. Maj.

23. Januarii, festo S. Raymundi de Pennafort translato ad diem 28. Jan.

S. Irenaei Ep. et Mart. dupl.

S. Gabrielis Archangel. duplex Maj. 18. Martii.

SS. Passionis D. N. J. C. dupl. Maj. Fer. 6. post Dom. Quinquag.

SS. Spinae coronae, dupl. Maj. Fer. 6. post Dom. 1. Quadrag.

De Lancea et clavis, dupl. Maj. Fer. 6. post Dom. 2. Quadrag.

De quinque vulneribus, dupl. Maj. Fer. 6. post Dom. 3. Quadrag.

Pretiosissimi Sanguinis, dupl. Maj. Fer. 6. post Dom. 4. Quadrag.

Patrocinii S. Joseph, dupl. 2. cl. Domin. tertia post Pascha.

S. Joannis Napomuceni Martiris dupl. 22. Maii.

S. Joannis Francisci Regis Confessoris dupl. 16. Junii.

SS. Cordis Jesu, dupl. Maj. Fer. 6. post oct. SS. Sacramenti.

S. Aloysii Gonzagae Confessoris dupl. 21. Junii.

S. Patritii Ep. et C. dupl. 17. Martii.

S. Raphaelis Archangelis dupl. Maj. 24. Octob.

S. Stanislai Kostkae Confessoris dupl. 14. Novemb.

Officium SS. Sacramenti per annum semidupl.

Officium Conceptionis B. M. V. per an. semid.

S. Alphonsi de Ligorio, dupl. 2. Augusti.

B. Mariae titulo Auxilium Christianorum dupl. Maj. 24. Maii.

Maternitatis B. M. V. dupl. Maj. Dom. 3. Octobris.

Patrocinii B. M. V. dupl. Maj. Dom. 2. vel 3. Novembris.

Expectationis Partus B. M. V. dupl. Maj. 18. Decembris.

Primo Concilio Baltimorensi inhaerentes censuerunt Patres, in Ritualis editione interrogationum et precum quarundam, Archiepiscopi judicio, versionem lingua vernacula, ad paginae calcem inserendam, uti adhiberi possit quaecumque videatur expedire in fidelium edificationem, latina formula precum nunquam omissa.

Rogarunt Patres Illmum Archiepiscopum ut editionem minorem Ritualis typis edi curaret in commodum missionariorum.

Rogarunt Patres ut Episcopus Arathensis litteras pararet Romam, Concilii nomine, mittendas de gratiis a Sede Apostolica impetrandis.

Proponente Episcopo Carolopolitano rogarunt Patres Illmum Archiepiscopum, ut dimidium totius summae quam apud eum deposuerant Patres ultimi Concilii, velit penes quosdam viros sibi probatos ponere, ut viro catholico Walter nomine subsidia praestentur ad libros edendos catholicos, fide praestita de pecunia debito tempore restituenda.

Patres singuli viginti quinque nummos apud Illmum Archiepisco-

pum deposuerunt, ut impensis decreta imprimendi aliisque Concilii impensis solvendis satisfacere possit.

Deinde proponente Episcopo Carolopolitano Ill^mus Archiepiscopus recedere rogatus est; et ipso absente statutum est quae sequuntur per Rev^mum D. Flaget legenda nomine omnium Praesulum: "Episcopi hujus Concilii Provincialis Venerando Archiepiscopo gaudenter faciunt notam existimationem et amicitiam quibus erga eum semper afficiuntur, quantique faciunt modum omnibus probatum quo Synodi congregationibus praefuit, suumque gratum sensum munificae ejus blandaque hospitalitatis,,.

Visum est Patribus statutum edere de vita et honestate clericorum ex variis Synodi Tridentinae decretis excerptum, quod decimi hujus Concilii Baltimorensis decreti locum habet.

Decr. Censuerunt Patres proximum Concilium Provinciale habendum esse Baltimori anno 1843. quarta post Pascha Dominica.

SESSIO TERTIA ET ULTIMA.

Dominica quinta post Pascha, die 24. Maii, hora undecima A. M. convenerunt in Ecclesia Metropolitana Ill^mus ac Rev^mus Archiepiscopus una cum ceteris Concilii Patribus, Officialibus et theologis. Missam celebravit Ill^mus ac Rev. Episcopus Bardensis. Concionem habuit Ill^mus ac Rev. Episcopus Carolopolitanus. Deinde aperta est sessio tertia et ultima, et servatis omnibus quae in Pontificali Romano praescribuntur rite peracta et absoluta.

Ed. Damphoux S. T. D. Sec.
Carolus Ignatius White, Sec.

DECRETA.

Concilii Baltimorensis Provincialis Quarti Mense Maio 184c.

Decretum I. Sacerdotibus omnibus hujus provinciae in memoriam revocamus, antiquae Ecclesiae lege, quam SS. Pontifices non desierunt inculcare, vetari matrimonia catholicorum cum acatholicis, quum ut sanctitas Sacramenti postulet, ut uterque fide et aliis animi dispositionibus gratiae sacramenti suscipiendae idoneus sit, et plura graviaque incommoda et mala ex hujusmodi connubiis saepe sequantur, nempe discordia domestica, et catholicae partis et prolis perversio.

Quod si rerum adjuncta aliquando suadeant ex auctoritate Apostolica, ea esse permittenda, imprimis curandum erit ut conscientiae securitati et libero religionis exercitio a Catholica parte consulatur, sicut

et prolis utriusque sexus in fide catholica educationi, solemniter coram Deo promissione iis de rebus emissa, secus nullatenus licebit sacerdoti iis Connubiis adstare. Meminerint insuper Sacerdotes pluribus SS. Pontificum decretis vetari, ne ullus sacer ritus fiat, vel vestis sacra adhibeatur dum foedera hujusmodi ineuntur, quae neque intra Ecclesiam ineunda sunt.

II. Nihil innovantes in his quae in primo Canone I. Concilii Provincialis Baltimorensis de potestate Episcopi in pastoribus designandis et amovendis, necnon firmare volentes quae in Canone quarto ejusdem Synodi declarata fuere de unico pastore in singulis Congregationibus designando, declaramus pastori soli ita designato competere administrationem ecclesiae seu Congregationis, atque aliis sacerdotibus illi in ministerii adiutorium adjunctis, non licere aliquid aggrederi praeter pastoris voluntatem.

III. Ne turpis lucri cupido sacerdotalem inficiat ordinem vel aliqua oriatur inter sacerdotes simul commorantes dissensio, propter eleemosynas quae fideles occasione sacramentorum Baptismi vel Matrimonii administrationis sponte conferunt, monemus Episcopos ut in prima sua synodo Dioecesana, vel alias prout illis in Domino visum fuerit, consilio sacerdotum etiam adhibito, justam statuam rationem qua inter sacerdotes simul ita commorantes distribuuntur, potioris juris et graviorum onerum pastoris non neglecta consideratione.

IV. Dominici festorumque dierum sanctificationem iterum atque iterum populis suae curae commissis pastores commendare modis omnibus curabunt; verbi Dei praedicatione, catechesibus aliisque pietatis christianae publicis exercitiis. Moneant frequenter oves suas de vitandis cauponis, et caupones a sacramentis arceant qui potantium excessus foveant, praesertim diebus dominicis.

V. Quum immania scandala ex nimia potatione oriantur, hortamur pastores et per viscera Jesu Christi obsecramus, ut omne studium in ebrietatis vitio eliminando ponant. Eum in finem laudandum censemus eorum fidelium zelum, qui ab omni liquore ardenti se abstinere ad excessuum periculum tutius declinandum. Qui autem sponte societatem inter se ineunt ut mutuis virtutum exemplis sese adjuvent ac roborent, imprimis adhibere debent subsidia illa quae Christus Dominus in Ecclesia reliquit, quibus vitia humana emendentur et infirmitas sustentetur; atque oratione, sacramentorum frequenti susceptione, aliisque pietatis exercitiis, auxilium supernum sibi comparare, nec sibi nec suis propositis, sed Deo sine quo nihil prodest humanus conatus, fidere.

VI. Quum constet publicae educationis rationem plerique in his provinciis ita iniri, ut haeresibus inserviat, puerorum catholicorum mentibus sensim sine sensu falsis sectarum principiis imbutis, monemus pastores ut omni quo valent studio catholicorum puerorum

christianae et catholicae educationi prospiciant; et diligenter invigilent ne versione protestantica bibliorum utantur; vel sectarum cantica aut preces recitent. Ideo invigilandum erit, ne in publicas scholas libri vel exercitia hujusmodi introducantur, cum fidei pietatisque discrimine. Constanter autem et moderate hisce sectarum conatibus ubique resistendum est, eorum, qui auctoritate valent opportunum adhibere remedium, implorato auxilio.

VII. Propter gravissimas rationes vetuerunt SS. Pontifices ne fideles secretas societates quovis nomine nuncupatas ineant, jurejurando sese adstringentes ad arcana servanda. Nam foedera hujusmodi clanculum inita mali suspicionem et periculum prae se ferunt, et jurandum temere adhibetur. Idcirco monemus sacerdotes omnes neminem posse absolute sacramento donari, nisi ab hujusmodi societatibus prorsus recedat. Hortamur autem et in Domino obsecramus fideles omnes ut occulta illa foedera omnino declinent, mente revolventes se Christi membra esse, et Ecclesiae quae mater nostra est mandatis teneri, eosque ut filios lucis debere ambulare juxta sanctissima et divina illa documenta quae Christus Dominus tradidit.

VIII. Praesules omnes monemus ut securitati bonorum ecclesiasticorum sedulo prospiciant omni qua valent ratione, ideoque legum seu auctoritatis civilis praesidium quaerant ubicumque haberi possit, salvo tamen libero Episcoporum jure. Quod si nequeant illud obtinere, saltem testamento juxta legis dispositiones scite facto, cujus duplicatum habeant; caveant ne bona sibi in usus ecclesiasticos commissa a suis finibus avertantur. Habeant etiam bonorum ecclesiasticorum inventarium, et instrumenta omnia, et titulos, rite disposita. Et si contigerit eos extra dioecesim versari, litteras procurationis apud quemdam virum probatum relinquunt, qui ea bona valeat usibus ecclesiasticis servare. Monemus insuper Episcopos ne sinant sacerdotes penes se retinere suo nomine quae a fidelibus in publicos et ecclesiasticos usus donata sunt eorumque fidei commissa.

IX. Commendamus Episcopis libros habere in quibus accurate recensentur ordinationes clericorum, ex aliis dioecesibus in suas cooptationes, designationes pastorum, tituli ecclesiarum, aliaque omnia quae ad statum ecclesiasticum respiciunt.

X. Admonet synodus clericos omnes in sortem Domini vocatos ut semper memores sint, nihil esse quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat quam eorum vita et exemplum qui se divino ministerio dedicarunt. Cum enim a rebus saeculi in altiore sublati locum conspiciantur, in eos tanquam in speculum, reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt quod imitentur. Quapropter sic studeant vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus, nihil nisi grave, moderatum ac religione plenum prae se ferant. Levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant veneratio-

nem. Abstineant a luxu et pompa vestium, a mundanarum personarum societate, a commensationibus, potationibus, illicitisque lusibus et venationibus, ac demum quibuscumque omnibus clericali statu indignis, necnon saecularibus negotiis. Cum mulieribus nullam consuetudinem habeant, neque sibi famulas accipiant vel retineant, nisi talis aetatis et probatae virtutis, de quibus nulla possit haberi suspicio. Fiant igitur forma gregis ex animo; sint exemplum fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate; sint sobrii, prudentes, ornati, pudici, modesti, conversationem suam inter gentes habentes bonam, ut bene facientes obmutescere faciant imprudentium hominum ignorantiam, et obstruatur os loquentium iniqua. Sic autem pastores vigilant super gregem sibi commissum, non coacte, sed spontanee secundum Deum; neque turpis lucri gratia, sed voluntarie; sic illum pascant et regant sedula in suis Ecclesiis residentia, verbi divini praedicatione, puerorum et ignorantium instructione, sacramentorum administratione, pia sacrificii oblatione, paterna infirmorum et pauperum cura, omniumque bonorum exemplo, ut cum apparuerit Princeps pastorum ab ipso percipiant immarcescibilem gloriae coronam.

XI. Censuerunt Patres proximum Concilium Provinciale habendum esse Baltimori anno millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, quarta post Pascha Dominica.

- ✕ Ego Samuel Archiepisc. Balt. Definiens subscripsi.
- ✕ Ego Benedictus Iosephus Bard. Ep. Definiens subscripsi.
- ✕ Ego Ioannes Episc. Carolopol. Definiens subscripsi.
- ✕ Ego Ioseph Episc. S. Ludov. Definiens subscripsi.
- ✕ Ego Carolus Maria Ioseph Augustus Ep. Nanceiensis et Tullensis Definiens subscripsi.
- ✕ Ego Benedictus I. Ep. Bostoniensis Definiens subscripsi.
- ✕ Ego Michael Ep. Mobiliensis Definiens subscripsi.
- ✕ Ego Franciscus Patritius Ep. Arath. Definiens subscripsi.
- ✕ Ego Ioannes Baptista Ep. Cincin. Definiens subscripsi.
- ✕ Ego Antonius Ep. Neo-Aureliae Definiens subscripsi.
- ✕ Ego Mathias Ep. Dubuquensis Definiens subscripsi.
- ✕ Ego Ricardus Pius Ep. Nashvill. Definiens subscripsi.
- ✕ Ego Caelestinus Renatus Laurentius Ep. Vincennopolitanus Definiens subscripsi.

Concordat cum originali in Archivis nostris deposito.

✕ Samuel Archiep. Balt.

BEATISSIMO PATRI NOSTRO GREGORIO

DIVINA PROVIDENTIA PAPAE XVI.

*Archiepiscopus Baltimorensis, Episcopi ejusdem Provinciae,
atque eorum confratres in Concilio quarto Baltimorensi
habito mense Maio 1840.*

Inter plurima quae diebus nostris Ecclesiam perturbant et paterno cordi Sanctitatis Tuae molestiam afferunt, non leviora habenda sunt quae derivantur ex persecutionibus quibus in variis Europae ditioribus ab ambitione vel a pravitate religio opprimitur. O portentum maxime dolendum! In illis ipsis regionibus ubi olim reges inclyti, religiosi atque potentes appellationibus Catholicissimi vel Fidelissimi gloriabantur, hodie inter perditos mores procerum virtute pariter atque bonorum aestimatione carentium fides spreta, disciplina eversa, Sancta Sedes despecta, altaria spoliata, monasteria vacua, sanguine sanctorum respersa, orbis terrarum atque summo coelo triste testimonium perhibetur turpiter dejectas esse gentes, antiqui honoris immemores, ac priscæ pietatis oblitæ. Eheu! lacrymas ac preces potius quam indignationem clamant.

Aliae quoque potestates sibi nomen Catholicum vindicantes, specie politici juris sanctuarii regendi partem sibi arrogant, Caesarisque auctoritate haud contentæ, quæ Dei sunt non solum ambiunt sed invadunt. Ideo etiam Beatitudini Tuae acerbitas pessima oborta.

Talia inter domesticos fidei contemplantes mirari non debemus, si inter inimicos Ecclesiae similia inveniantur. Regis Borussiae dominatio nec justitiæ memor, nec jure gentium restricta, nec aestimans fidem publicam Sanctæ Sedi datam, nec regis ipsius verbum solemniter oppignoratam ad terras Catholicorum obtinendas nobis occasio doloris sed non stuporis fuit.

Post strages Poloniae, post mala in istis regionibus religioni illata, vox Tua a solio principis Apostolorum lugubria referens, perfidiam aliquorum Episcoporum Ruthenæ gentis annuntians, nobis non inopinantibus ad aures pervenit; jam enim fama nuntiabat imperatorem illarum regionum curasse ut omnia ad hoc ante parata essent; sed, quanquam perfida plurimorum defectio ibi ploranda sit, non tota gens virtutis oblita; sanguis martyrum inter Ruthenos Polonosque rubescit, confessoresque gloriosi fidelitatem patrum antiquorum æmulantur.

Extra fines Europæ autem inter barbaros Sinenses persecutio quoque viget; atque in aliquibus Oceani Pacifici insulis, instigantibus pseudoministris ex hac ipsa foederatione egressis, incultus Regulus eadem jura politica prætexens Catholicos vexabat, donec Galliarum Rex ad cives suos immunes servandos hominem cohibuit. Quantum

differt tum a subdola illarum gentium se-cultas gloriantium perfidia, tum ab agendi ratione barbarorum eandem malitiam sed non eandem calliditatem exhibente, generosa liberalitas Imperatoris Turcarum! Dum illi fidei struunt insidias vel aperte conantur subvertere, hic qui avitus habebatur Christiani nominis hostis vincula fidelium disrum-pens eos in plenissimam libertatem vindicavit.

Ingentibus fluctibus ab antiquo orbe divulsi procul haec omnia con-templantes, animoque volventes quantopere Sanctitas Tua, quam so-llicitudo omnium Ecclesiarum premit, zelo domus Domini devorata sit atque tristitia oppressa; nos quoque capiti nostro compatibles af-flicti fuimus obnixisque precibus a Domino rogavimus te columen deusque nostrum gratia superna confortari, ut tota Dei domus in-columis servetur. Cordibus ergo nostris solamen pergratum ac in propriis angustiis sustentaculum optimum fuere Sanctitatis Tuae sere-na constantia, invicta mansuetudo, fides immota, ac verae humilitati innixa insuperabilis fortitudo. Dextram Salvatoris agnovimus Petrum super undas instabiles hujus saeculi sustententem et ad litus ducentem; recordati sumus verbi ejus, *super hanc petram aedificabo Ec-clesiam meam et portae inferi non praevalent adversus eam*; atque iterum, *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*. Coelum et terra praeteribunt, verba autem Christi Domini non praeteribunt. Descendant itaque imbres, perfliant venti, mugiant tonitrua, illuviesque absumant terrena, domus quam sapiens divina manus super hanc petram erexit inter feri maris fluctus firma semper manebit.

Sic per octodecim saecula ex quo piscator Galilaeus, ut princeps Apostolorum fieret, claves a manu Jesu recepit ad populum Christia-num regendum, *gentes fremuerunt populique meditati sunt inania, astiterunt reges terrae et principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus*. Qui habitat in Coelis irride-bat eos et Dominus subsanabat eos. Ubinam nunc isti potentes? *Quasi gigantes nominati illi qui ab initio fuerunt scientes bellum. Non hos elegit Dominus; neque viam disciplinae invenerunt: propterea perierunt, et quoniam non habuerunt sapientiam, interierunt pro-pter suam insipientiam*. Nos nosipsi vidimus illum cui datum fuit ad tempus gloriari in malitia, qui inter diademata tanquam inter crepundia ludebat: ipsum vidimus potentem in iniquitate Sanctam Se-dem aggredi, manus sacrilegas patrimonio Petri injicere, Praedeces-sorem Tuum beatae memoriae in carcerem turpiter detrudere, illum vidimus ex solio manu Dei excussum, dedecore fugientem, captum, scopulo in mediis undis toto orbe spectante alligatum, lentisque su-spiriis animam per annos misere agentem periisse. Ubinam, Beatissi-me Pater, ubinam inveniendi hi qui gladio suffulti Ecclesiam oppresse-re? Ex ruina tumbae Neronis videre licet mausoleum Vaticanum! En scopulum Sanctae Helenae dum Christiano orbe plaudente Roma tri-

umphans gremio suo excipit reducem Pium. Per haec saecula quot et quanti tyranni qui se dominatores familiae Dominicae esse cupiebant indigne perierunt? Hodie quot millia millium cathedram Petri sustentant?

Inter illos qui nostris diebus antiquorum martyrum fortitudinem aemulantes pro fide atque disciplina sese tyrannis objecerunt, de Ecclesia optime merentes Sanctitatis Tuae praefonia obtinuerunt atque fidelium cordibus gaudium attulerunt, Venerabiles fratres nostros Clementem Augustum ex Baronibus liberis de Droste ex Vischering Coloniensem Archiepiscopum, atque Martinum a Dunin Posnaniensem atque Guesnensem Archiepiscopum admiratione contemplati sumus. Perdifficile nobis est dicere utrum cum his Christi Athletis de injuriis illatis condolere debeamus an gratulari potius quod digni habiti sint pro nomine Jesu contumeliam pati. Clerus noster populusque fidelis zelum atque devotionem illustrium praesulum mirantes, suum erga eos affectum exprimere ardent; nosque eorum studia approbantes ac amore pro fratribus arrepti corda nostra illis exponere optavimus. Dum pro eis indesinenter Patrem misericordiarum supplicamus, epistolas mittere decrevimus quarum exemplaria Beatitudini Tuae subjici cupimus, ut patri compertum sit filios suos quamquam fluctibus, civili regimine, aliisque divisos, fide atque charitate conjunctissimos esse, ac pro Ecclesiae Capitisque ejus juribus et honoribus conservandis aemulatione sancta flagrare.

Interea omnia fausta Sanctitati Tuae a honorum omnium Datore ex corde precantes, Apostolicam benedictionem nobis nostrisque gregibus imploramus.

Samuel Archiep. Balt.

B. J. Bardensis Ep.

Joannes Ep. Carolopolitanus.

Joseph Ep. S. Ludovici.

Carolus Aug. M. Joseph Episc. Nanceiensis ac
Tullensis.

Benedictis J. Ep. Boston.

Michael Ep. Mobiliensis.

Franciscus Patritius Ep. Arath.

J. B. Ep. Cincinnatiensis.

Antonius Ep. Neo-Aureliae.

Mathias Ep. Dubuquensis.

Ricardus Pius Ep. Nashvillensis.

Caelestinus Epi. Vincennopolitanus.

Sanctissime Pater.

Ob graves quibus laborant fideles harum provinciarum incolae difficultates, concessa est, Apostolicae Sedis indulgentia, dispensatio ad decennium a lege abstinentiae singulis sabbatis, in quibus jejunan-

dum non sit: sed quum eadem adhuc sint adjuncta, censuimus, in Concilio provinciali congregati, supplicandum esse S. Sedi ut dispensatio fiat perpetua, praesertim quum ea ratione facilius reddatur A Catholicorum ad Ecclesiam reditus. Quod de Sanctitatis Vestrae sapientia et gratia humiliter speramus.

Sanctittis Vestrae.

Baltimori 24. Maji 1840.

Addictissimi filii

- ✠ Samuel Archiep. Balt.
- ✠ B. J. Bardensis Episcopus.
- ✠ Joannes Episcopus Carolopolitanus.
- ✠ Joseph Episcopus S. Ludovici.
- ✠ Benedictus J. Episcopus Bostoniensis.
- ✠ Michael Episcopus Mobiliensis.
- ✠ Franciscus Patritius Ep. Arath.
- ✠ Joannes B. Ep. Cincinnatensis.
- ✠ Antonius Ep. Neo-Aureliae.
- ✠ Mathias Ep. Dubuquensis.
- ✠ Ricardus Pius Ep. Nashvillensis.
- ✠ Caelestinus Ep. Vincennopolitanus.

Sanctissime Pater:

Ut uno ore glorificetur Deus ubique per foederatas has provincias, Archiepiscopus Baltimorensis, et Episcopi diaecesium omnium foederatae Americae in Concilio Provinciali congregati supplicant Sanctitati Vestrae, ut dignetur indulgere, ut officia quaedam aliquibus dioecesibus jam concessa, et alia nonnullis aliis locis communia, quorum catalogum adnectimus, possint ubique per foederatam Americam recitari. Quod de indulgentia Sanctitatis Vestrae speramus.

Officia de quibus agitur, haec sunt.

Desponsatio B. Mariae Virg. Dupl. Maj. 23. Januarii, festo S. Raymundi de Penn. translato ad diem 28. Januarii.

S. Irenaei Ep. et Martyris, duplex.

S. Gabrielis Archangeli, dupl. maj. 18. Martii.

SS. Passionis D. N. J. C. dupl. maj. Fer. 6. post Dom. Quinquag.

SS. Spinae Coronae, dupl. maj. Fer. 6. post Dom. 1. Quadrag.

De Lancea et Clavis, dupl. maj. Fer. 6. post Dom. 2. Quadrag.

De Quinque Vulneribus, dupl. maj. Fer. 6. post Dom. 3. Quadrag.

Pretiosissimi Sanguinis, dupl. maj. Fer. 6. post Dom. 4. Quadrag.

Patrocinium Sancti Joseph, dupl. 2. cl. Dom. 3. post Pascha.

S. Joannis Neptumoceni, M. dupl. 22. Maii.

S. Joannis Francisci Regis, Q. dupl. 16. Junii.

S. Aloysii Gonz. Conf. duplex. 21. Juni.
 SS. Cordis Jesu, dupl. majus. Fer. 6. post oct. SS. Sacramenti.
 S. Patritii, duplex.
 S. Raphaelis Archang. dupl. maj. 24. Octobris.
 S. Stanislai Kostkae, Conf. dupl. 14. Novembris.
 Officium SS. Sacramenti, per annum, semid.
 Officium Concep. B. M. V. per annum, semid.
 S. Alphonsi de Ligorio, dupl. 2. Aug.
 B. Mariae titulo Auxilium Christ. dupl. maj. 24. Maii.
 Maternitatis B. M. V. duplex maj. Dom. 3. Octobris.
 Patrocinii B. M. V. duplex maj. Dom. 2. vel 3. Novemb.
 Expectatio partus B. Mariae Virg. 18. Decembris. dupl. maj.

Sanctissime Pater.

Quae in concilio quarto Baltimorensi, quod per hebdomadam elapsam celebravimus, censuimus vel egimus, ad Sanctitatem Vestram remittenda duximus, supremo probanda vel emendanda iudicio. Ex quo altera vice conveneramus, defunctum deflevimus fratrem nobis charissimum, Simonem Gabriel Brutè, episcopum Vincennopolitanum, qui tanto effulsit virtutum splendore, ut de beatitudine ejus et gloria certam omnibus reliquerit fiduciam. Utinam detur, Sanctitate Vestra aspirante, ejus premere vestigia, et praemia assequi.

Sanctitatis Vestrae.

Baltimore 24. Maji 1840.

Filii devotissimi.

Samuel Archiep. Balt.
 B. J. Bardensis Ep.
 Joannes Ep. Carolopolitanus.
 Joseph Epis. S. Lud.
 Carolus Aug. Maria Joseph Epis. Nanceiensis ac
 Tullensis.
 Benedictus Ep. Bostoniensis.
 Michael Ep. Mobiliensis.
 Franciscus Patritius Ep. Arath.
 Joannes B. Ep. Cincinnatensis.
 Antonius Ep. Neo-Aureliae.
 Mathias Ep. Dubuquensis.
 Ricardus Pius Ep. Nashvillensis.
 Gaelestinus Ep. Vincennopolitanus.

Sanctissime Pater.

In concilio provinciali congregati ut de negotiis communibus ageremus, ea omnium fuit sententia optandum imprimis esse, ut renunciatio a Revmo Domino Friderico Rese, Episcopo Detroitensi, S. Sedi ante triennium oblata quamprimum acceptetur, ipseque liber a regimine

illius dioecesis habeatur. Quae gravissimae rationes illud nobis persuasum faciunt, a tribus collegis nostris, episcopis scilicet S. Ludovici, Neo-Aureliae, et Mobiliensi, exponentur: Sanctitatis autem Vestrae sententiam et iudicium humiliter expectamus.

Sanctitatis Vestrae.

Baltimore 24. Maji 1840.

Humillimi Filii.

Samuel Archiep. Balt.
 B. J. Bardensis Ep.
 Joannes Ep. Carolopolitanus.
 Joseph Ep. S. Lud.
 Benedictus Ep. Boston.
 Michael Ep. Mobiliensis.
 Franciscus Patritius Ep. Arath.
 Joannes B. Ep. Cincinnatensis.
 Antonius Ep. Neo-Aureliae.
 Mathias Ep. Dubuquensis.
 Ricardus Pius Ep. Nashvillensis.
 Caelestinus Ep. Vincennopolitanus.

Sanctissime Pater.

Patribus Concilii provincialis quarti Baltimorensis visum est Sanctitatem Vestram supplicare, ut ex tribus sacerdotibus, quos commendamus, unum dignetur designare, qui episcopali munere ornatus, dioecesis Detroitensis regimen suscipiat. Qui nobis idonei videntur sunt *** Dignetur igitur Sanctitas Vestra unum ex illis sacerdotibus, si ita videatur, designare qui episcopale munus suscipiat.

Sanctitatis Vestrae.

Baltimore 24. Maii 1840.

Humillimi Filii.

Samuel Archiep. Balt.
 B. J. Bardensis Ep.
 Joannes Ep. Carolopolitanus.
 Joseph Ep. S. Lud.
 Benedictus Ep. Boston.
 Michael Ep. Mobiliensis.
 Franciscus Patritius Ep. Arath.
 Joannes B. Ep. Cincinnatensis.
 Antonius Ep. Neo-Aureliae.
 Mathias Ep. Dubuquensis.
 Ricardus Pius Ep. Nashvillensis.
 Caelestinus Ep. Vincennopolitanus.

Sanctissime Pater.

Patribus concilii provincialis quarti Baltimore nuper celebrati vi-

sum est, Sanctitati Vestrae commendare tres sacerdotes ex quibus, si placeat, seligatur qui episcopus Natchetensis constituatur, nempe ***

Sanctitatis Vestrae.

Baltimore 24. Maii 1840.

Humillimi Filii.

Samuel Archiep. Balt.

B. J. Bardensis Ep.

Joannes Ep. Carolopolitanus.

Joseph Ep. S. Lud.

Benedictus Ep. Bost.

Michael Ep. Mobiliensis.

Franciscus Patritius Ep. Arath.

Joannes B. Ep. Cincinnatensis.

Antonius Ep. Neo-Aureliae.

Mathias Ep. Dubuquensis.

Ricardus Pius Ep. Nashvillensis.

Caelestinus Ep. Vincennopolitanus.

Sanctissime Pater.

Quum Archiepiscopus Baltimorensis Patribus concilii quarti provincialis significasset, se cupere ut ab onere administrandi dioecesim Richmondiensem in statu Virginiae solveretur, et episcopus ei praeficeretur, placuit omnibus consilium, qui et commendandos censuerunt tres quos Archiepiscopus ipse proposuit sacerdotes, ut ex iis, si ita Sedi Apostolicae videatur, designetur Episcopus Richmondiensis; Nomina autem eorum sunt ***. Eos igitur Sanctitati Vestrae commendamus, ut ex iis episcopus illi sedi praeficiatur.

Sanctitatis Vestrae.

Baltimore 24. Maji 1840.

Humillimi Filii.

Samuel Archiep. Balt.

B. J. Bardensis Ep.

Joannes Ep. Carolopolitanus.

Joseph Ep. S. Lud.

Benedictus Ep. Bost.

Michael Ep. Mobiliensis.

Franciscus Patritius Ep. Arath.

Joannes B. Ep. Cincinnatensis.

Antonius Ep. Neo-Aureliae.

Mathias Ep. Dubuquensis.

Ricardus Pius Ep. Nashvillensis.

Caelestinus Ep. Vincennopolitanus.

Sanctissime Pater.

Ea est disciplinae diversitas intra foederatas has provincias, quod in quibusdam dioecesibus in vigilia festi SS. Petri et Pauli jejunetur, in aliis vero non ita, quin festus ipse dies ullibi tamquam de praeccepto servetur: ideo supplicandum Sanctitati Vestrae censuimus, re in concilio provinciali mature perpensa, ut dignetur obligationem jejunii in vigilia praedicta prorsus tollere per totam provinciam, singulasque dioeceses, ut ubique eadem vigeat disciplina. Quod de gratia et indulgentia Sanctitatis Vestrae speramus.

Sanctitatis Vestrae.

Baltimori 24. Maji 1840.

Filli devotissimi.

Samuel Archiep. Balt.

B. J. Bardensis Ep.

Joannes Ep. Carolopolitanus.

Joseph Ep. S. Lud.

Benedictus Ep. Bost.

Michael Ep. Mobiliensis.

Franciscus Patritius Ep. Arath.

Joannes B. Ep. Cincinnatensis.

Antonius Ep. Neo-Aureliae.

Mathias Ep. Dubuquensis.

Ricardus Pius Ep. Nashvillensis.

Caelestinus Ep. Vincennopolitanus.

Excellentissimo Principi Vincentio Odoardo Milde Vindobonensi Archiepiscopo, Leopoldinae Institutionis dignissimo Praesidi, caeterisque sapientissimis Modératoribus, atque universis per Austriacas ditiones sociis munificentissimis, Provinciae Baltimorensis in America Septentrionali Metropolitanus, Episcopi-que omnes in Concilio congregati, salutem et gratias plurimas.

Inter innumera quae nobis nostrisque Ecclesiis divina Providentia larga manu concessit beneficia, illud quidem haud infimum locum tenet quod tantam scilicet erga nos nostrasque oves in cordibus vestris supremus Pastor excitaverit charitatem. Studio enim verae fidei per novum hunc orbem propagandae, et divinae gloriae promovendae, acti, tum precibus ad Deum ferventer fuis, tum largitionibus ad plerosque nostrum subsidio indigentes liberaliter missis, operi divino infirmitati nostrae commisso, cooperati estis. Quo fructu qualive felici successu non facile dixerimus. Novae dioeceses erectae, veteres auctae et confirmatae, collegia, seminaria, monasteria, Xenodochia, Orphanotrophia, scholae, Ecclesiae aedificatae; novae auxiliares copiae sacrarum virginum, religiosorum hominum, sacròrum ministrorum Evangelii praeconum comparatae; ad ovile Christi non pau-

cae ex errantibus ovibus reductae, regni Dei fines ampliati, et Christi sui imperio gentes quae illum ignorabant, gladio verbi a Missionariis nostris subactae; panisque verbi Dei parvulis innumeris per regiones hasce nostras vastissimas dispersis, qui illum diutissime frustra petierant, tandem aliquando fractus et distributus; religio Sancta a calumniis inimicorum vindicata, pietas inter domesticos fidei, Missionibus spiritualibusque exercitiis rediviva. Supremo bonorum omnium Datori haec omnia procul dubio tribuenda, omne namque datum optimum et omne donum perfectum desursum est. Sed dum illi gratias habendas, et referendas profiteamur, gratiasque humiliter agimus propter magnam gloriam suam, Vobis ministris providi erga nos consilii sui, gratias et habere et referre ad majorem gloriam ejus et communem fidelium aedificationem nostrum esse confitemur. Sincerissimas, plurimasque quamvis beneficiis impares vobis omnibus gratias agimus, et solemne hoc nostri erga vos animi testimonium ex imo corde proferimus mittimusque. Hoc unum addemus, magnum hic nobis ostium adhuc apertum, regiones ad messem albescere, messem multam, operarios autem paucos, sperantes vos et Dominum messis, sicuti fecistis, rogaturos ut mittat operarios in messem suam atque Ecclesiis nostris ministros, et dispensatores providentiae ut fuistis in posterum etiam futuros.

Baltimore, die 22. Maii 1840.

S. Samuel Archiep. Balt.

B. J. Bardensis Ep.

Joannes Ep. Carolopolitanus.

Joseph Ep. S. Ludovici.

Carolus Aug. M.J. Episcopus Nanceiensis ac
Tullensis.

Benedictus J. Episcopus Bostoniensis.

Michael Ep. Mobiliensis.

Franciscus Patritius Ep. Arath.

Ricardus Pius Ep. Nashvillensis.

Joannes B. Ep. Cincinnatensis.

Antonius Ep. Neo-Aureliae.

Mathias Ep. Dubuquensis.

Caelestinus Ep. Vincennopolitanus.

Venerabilibus in Christo Fratribus inclytisque Fidei Confessoribus Clementi Augusto ex liberis Baronibus de Droste ex Vischering Coloniensi, et Martino a Dunin Posnaniensi et Gnesnensi, Archiepiscopus Baltimorensis provinciae Metropolitanus et Suffraganei, Episcopique omnes Baltimori in Concilio congregati.

Salutem, gratiam, laudem, honorem et gloriam.

Unius ejusdemque mystici corporis membra, uno eodemque spiritu acti, unius ejusdemque capitis vivifico influxu copulati, non potuimus quamvis longo terrae marisque spatio separati, quaecumque passi estis, inclyti confessores, non sentire. Charitate enim Christi nos urgente, flendum erat cum flentibus, gaudendum cum gaudentibus. Vestrorum praeclare gestorum fama ad nos usque pervenit. Audivimus potentium in vos et in Ecclesiam inimica consilia, calumnias, minas, persecutiones, exilia, carceres. Audivimus episcopalis animi robur invictum, constantiam, fidem. Audivimus dignam Apostolorum successoribus mitissimam patientiam, prudentissimam sapientiam. Audivimus et mirati sumus. Mirum profecto nostris hisce temporibus, quae tantis laudibus extolluntur ob excultos mores, politiores artes, altiores scientias liberalioresque disciplinas, mirandum in regionibus evangelii luce illustratis, mirandum sub principibus religionem Christianam profitentibus, persecutorum saecula, insidias et saevitiam revixisse. Sed Deo, qui se Ecclesiae suae usque ad consummationem saeculi affuturum promisit, benigniter sapienterque providente, Constantiis, Valentibus et Julianis nostrorum temporum novos Athanasios et Basilios opposuit, qui pro muro essent Ecclesiae suae, et avitam fidem, patrumque instituta, jura et leges tuerentur.

Flevimus quidem super contritione filiae populi nostri; flevimus super dispersos lapides sanctuarii, lacrymas fudimus super oves pastoribus orbatas; flevimus, sed et gaudio superabundavimus in tribulatione nostra, gavisi sumus de Christi confessorum perseverantia, de martyrum constantia, et de fidei Athletarum victoria. Eia! Confessores, Martyres, Athletae Christi, Eia! Qui pro vobis, qui vobiscum legitime certavit, ipse vos coronabit.

Ne dedignemini testimonium amoris, admirationis et reverentiae, quod ex corde promunt vestrum amantissimi in Christo fratres in provinciali Concilio Congregati.

Baltimori, die 20. Maii 1840.

Samuel Archiep. Balt.
B. J. Bardensis Ep.
Joannes Ep. Carolopolitanus.
Joseph Ep. S. Ludovici.

73

Carolus Aug. M. J. Ep. Nanceiensis ac Tul-
lensis.
Benedictus Ep. Boston.
Michael Ep. Mobiliensis.
Franciscus Patritius Ep. Arath.
Joannes B. Ep. Cincinnat.
Antonius Ep. Neo-Aureliae.
Mathias Ep. Dubuquensis.
Ricardus Pius Ep. Nashvillensis.
Caelestinus Ep. Vincennopolitanus.

E P I S T O L A

S. CONGREG. DE PROPAGANDA FIDE

De Synodi IV. Baltimorensis Provincialis confirmatione.

Illm̄e ac Rm̄e Domine

Pergratum S. Congregationi fuit Acta, et Decreta Concilii Quarti Provincialis Baltimorensis mense Majo anno 1840. celebrati accipere ac perpendere. Nam illa jamdiu conceptam de A. Tuae et RR. PP. DD. Episcoporum, qui Concilio interfuerunt, sapientia, Religionis amplificandae studio, et disciplinae Ecclesiasticae tuendae voluntate opinionem impense confirmarunt. Quamobrem S. Congregatio plurimum commendans vestrum omnium virtutem, supplicandum SSmo Domino Nostro Gregorio PP. XVI. esse censuit, ut Apostolica auctoritate sua dignaretur ea confirmare; id quod Sanctitatem Suam libenti animo fecisse ex adjecto decreto intelligetis.

Duo tantum circa decreta ipsa existimavit S. Congregatio esse notanda, videlicet in decreto I. paragr. 2. ubi agitur de matrimoniis mixtis post verba, *Quod si rerum adjuncta aliquando suadeant*, addenda esse censuit verba *ex auctoritate Apostolica*. Etenim constare etiam ex decreti contextu debet, dispensationem Apostolicam super eo impedimento quoque requiri. Praeterea in decreto sexto, ubi sermo est de adolescentium ac puerorum in scholis institutione, ad omnem non satis probatae interpretationis praetextum auferendum, S. Congregatio verba illa delenda esse arbitrata est *cum libertatis conscientiae, quam leges civiles ipsae tuentur, detrimento*.

Circa petitiones, Synodi nomine SSmo Domino Nostro factas de Episcopis Richmondiensis, Natchetensis, et Detroitensis diaecesium regimini destinandis; huic epistolae adjectas A. T. accipiet Sanctitatis Suae literas Apostolicas, ex quibus intelliget Richmondiensem Episcopum electum esse R. D. Richardum Whelan, Natchetensem vero R. D. Joannem Josephum Chanche, Detroitensem denique Coadjutorem

seu Administratorem cum omni in illam diaecesim Episcopali jurisdictione, a cujus exercitio R. P. D. Rese suspensus manet, electum esse a SSmo Domino Nostro R. D. Joannem Baptistam Odin Congregationis Missionis, qui ad Episcopatum promotus est. Memoratae litterae Apostolicae continentur in epistolis ad singulos tres istos Praesules a S. Congregatione scriptas, quas A. Tua illis tradendas curabit. Tu ipse vero rem gratissimam S. Congregationi facies, singulos plurimum hortando ut collatum iis ab Apostolica Sede munus libenti animo suscipiant.

De plurium Sanctorum officiis in omnibus Faederatae Americae Septemtrionalis diaecesibus in posterum adhibendis, deque indulto super praecepto abstinentiae die sabato, quando jejunium non obligat, peculiaria item huic epistolae adjecta rescripta accipies.

Praeterea quod spectat ad festum, ac pervigilium SS. Apostolorum Petri et Pauli, haec tibi significanda SSmo Domino Nostro probante S. Congregatio arbitrata est, scilicet, optare se ut festum illud celebretur in omnibus superius memoratis diaecesibus die Dominico diem 29. Junii immediate sequenti, nisi festum ipsum in diem dominicum incidat. Mens etiam est S. Congregationis ut Episcopi diaecesanos suos ad jejunium sabato quod pridie illius festi est, servandum adhortentur.

Denique quod spectat ad pulcherrimam, et publica quoque commendatione celebrata epistolam vestram synodalem ad SSmum Dominum Nostrum; responsum a Sanctitate Sua ipsa subscriptum huic epistolae adjicio.

Haec sunt quae de quarto Provinciali Baltimorensi Concilio Tibi a me erant significanda. Reliquum est ut A. Tuae ipsi ob singularia illa ornamenta vehementer gratuler, quibus cum tanta Religionis utilitate Archiepiscopi munia obeunda curas, et precor Deum etc.

Romae ex Aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide die 19. Decembris 1840.

Jacobus Philippus Card. Frasoni Praefectus.

I. Archiepiscopus Edessenus a Secretis.

DECRETUM

*S. Congregationis Generalis de Propaganda Fide
habitae die 16. Novembris anno 1840.*

Cum Synodum Quartam Provinciale Baltimorensis, RR. PP. DD. Archiepiscopus Baltimorensis, et Episcopi diaecesium in foederatis Americae Septemtrionalis provinciis existentium, mense Majo anno 1840. celebrantes SSmum Dominum Nostrum Gregorium PP. XVI. precati fuerint ut decreta ab eadem Provinciali Synodo condita Apostolica auctoritate confirmaret, si post accuratam eorumdem de-

cretorum considerationem, confirmatione sua digna illa esse judicasset, S. Congregatio Generalis de Propaganda Fide habita die 16. Novembris anno 1840., referente Eñno, ac Rñno Dño Jacobo Philippo S. R. E. Cardinali Fransonio, Sacri Consilii Praefecto, Synodi sapientiam, Religionis incrementa procurandi studium, et Ecclesiasticae disciplinae custodiendae sollicitudinem quae in iis decretis perspicue apparet, magnopere commendans censuit, ac decrevit supplicandum Sanctitati Suae, ut Archiepiscopi, et Episcoporum memoratis superius precibus annuere, et decreta, de quibus agitur, confirmare dignaretur.

Hanc autem S. Congregationis sententiam SSmo Domino Nostro relatam ab R. P. D. Ignatio Cadolinio Archiepiscopo Edesseno S. Congregationis Secretario in audientia diei 22. Novembris 1840. Sanctitas Sua in omnibus benigne probavit, et decreta de quibus sermo est, Apostolica confirmatione roborata, in diaecesibus Faederatae Americae Septemtrionalis servanda esse mandavit.

Datum Romae ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide die 12. Decembris 1840.

Jacobus Philippus Card. Fransoni Praefectus.

I. Archiepiscopus Edessenus a Secretis.

Venerabilibus Fratribus Samueli Archiepiscopo Baltimorensi,
et ejus suffraganeis.

GREGORIUS PAPA XVI.

*Venerabiles Fratres, Salutem et Apostolicam
Benedictionem.*

Plures accepimus litteras, quas in exitu Concilii Provincialis Baltimorensis IV. a Vobis mense Majo celebrati, ad Nos dedistis tum ut vestrum erga Personam humilitatis Nostrae Sanctamque hanc Sedem obsequium repetita, una omnes, declaratione confirmaretis, Nostrumque animum ex afflictis non uno in loco Ecclesiae rebus sollicitum, vehementerque dolentem, amantissime consolaremini; tum vero ut de omnibus Concilii Actis more majorum ad supremam Petri sedem referentes enixe precaremini, ut Decreta in illo edita probare vel etiam ubi opus fuerit emendare velimus, atque insuper nonnulla indulgere ac decernere, quae Vobis istic in Religionis bonum cessura visa sunt. Jam vero ad memoratas petitiones vestras responsum accipietis per Nostram Propagandae Fidei Congregationem, cui Concilii Acta cognoscenda mandavimus, ac Nostram super illis mentem significavimus. Et habebitis quidem in ejusdem Congregationis Litteris novum documentum singularis benevolentiae, qua Vos, Venerabiles

Fratres, Ecclesiasque vestras impense prosequimur. Verum abstinere non possumus, quominus hac etiam Nostra Epistola meritis celebremus laudibus pastoralementem sollicitudinem, qua inducti rursus ex Canonum praescripto convenistis in unum, et invocato lumine Spiritus Sancti, consiliisque invicem communicatis, tueri studuistis Cleri disciplinam, et pietatem fovere fidelis populi, atque adeo convellere vitiorum germina, seductionis pericula propulsare, ac prospicere ut pueri puellaeque ad veram Fidem solidamque virtutem accuratius informentur; denique Vos ipsos excitare ad Ecclesiae jura sarta tecta servanda, et partes vestri muneris in animarum salutem alacriori usque sedulitate implendas. Profecto in iis, quae in Synodo a Vobis gesta scriptaque sunt, libentissime recognovimus zelum, quo inflammati estis, ut de Catholica Ecclesia, de Sancta hac Sede, ac de vestris Dioecesi-bus bene mereamini. Hinc autem firmiori vobiscum spe nitimur fore, ut Deo bene juvante floreat istic quotidie magis Religio Nostra sanctissima, et merito juxta atque numero Catholicus Populus augeatur. Nos interea, licet indigni, non desistimus Fraternitates Vestras, creditosque Vobis greges Deo, et verbo gratiae ipsius suppliciter commendare, nec dubitamus quin Vos pariter minime intermittatis Patrem Misericordiarum per Jesum Christum Filium suum fervidis precibus obsecrare, ut infirmitatem Nostram difficillimis hisce temporibus sub immenso supremi Apostolatus pondere laborantem omnipotenti sua virtute sustentet, omnesque actus Nostros dirigat atque ad bonum exitum adducat. Denique Nostrae in Vos propensissimae voluntatis pignus adjungimus Apostolicam Benedictionem, quam ex imo corde depromptam Vestrum singulis, atque istarum Ecclesiarum Clericis Laicisque fidelibus universis peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die 19. Decembris anni 1840. Pontificatus Nostri anno decimo.

D E C R E T U M

*S. Congregationis Generalis de Propaganda Fide habitae die 16. Novembris 1840, quo concessum fuit illa Sanctorum officia in foederatis Americae Provinciis peragere de quibus agitur in sup-
plici libello pag. 66. Synodi.*

Cum in S. Congregatione Generali de Propaganda Fide die 16. Novembris 1840. habita, referente Eñno ac Rño Dño Jacobo Philippo S. R. E. Cardinali Fransonio S. Consilii Praefecto, actum fuerit de petitione superius exposita quam ex synodo Quarta Provinciali Baltimorensi, mense Majo anno 1840. celebrata, RR. PP. DD. Archiepiscopus Baltimorensis et Faederatarum Americae Septemtrionalis Provinciarum Episcopi SSñum Dñum Nostrum communi suffragio faciendam statuerunt, S. Congregatio censuit, ac decrevit Sanctitati Suae sup-

plicandum ut rubricarum praescripto diligenter servato, Synodi memoratae precibus annuere dignaretur.

Hanc autem S. Congregationis sententiam SSmo Dño Nostro Gregorio PP. XVI. relatam ab R. P. D. Ignatio Cadolinio, Archiepiscopo Edesseno S. Congregationis Secretario in audientia diei 22. Novembris 1840. Sanctitas Sua benigne probavit, et pro omnibus foederatae Americae Septentrionalis dioecibus petitam superius facultatem impertita est.

Datum Romae ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide die 12. Decembris 1840.

J. Philippus Card. Fransoni Praefectus.

I. Archiepiscopus Edessenus a Secretis.

S. Congregationis Rituum responsa ad nonnulla quaesita circa Officia Sanctorum quae nuper ab Apostolica Sede peragenda in Americae Septentrionalis dioecibus concessa sunt.

BALTIMOREN.

Decimo Kalendas Decembris superiori Anno 1840. ad enixas preces Patrum quartae Synodi Provincialis Baltimoren. Sanctissimus Dominus Noster Gregorius Papa XVI. impertitus est pro omnibus Foederatae Americae Septentrionalis dioecibus nonnulla intra annum officia Sanctorum, quae dum in kalendariis ordinabantur, nonnulla excitata sunt dubia, ad quorum solutionem Sacrorum Rituum Congregationis sententiam requirendam constituit alter ex Directoribus Seminarii Sanctae Mariae Baltimorensis, cui cura demandata est nonnulla Foederatae ipsius Americae kalendaria efformare pro regulari iisdem in dioecibus divinatorum officiorum celebratione. Proposita itaque dubia sunt sequentia, nimirum.

1. Concessum est Officium Sancti Irenaei Episcopi martyris nulla assignata die, qua recitari debeat. Quum autem hoc festum in martyrologio pronuncietur die 28. Junii, quaeritur an de eo fieri debeat hac ipsa die 28. Junii, festo Sancti Leonis ad diem septimam Julii fixe translato.

2. In indulto Apostolico exprimitur Officium Sancti Irenaei simpliciter, et sine addito. Porro ea fuit mens Patrum Concilii Baltim. petere pro hoc Officio prout Lugduni in Gallia celebratur: at ex quibusdam Romani Breviarii editionibus videtur quod id festum Lugduni celebretur de Sancto Martyre Irenaeo Episcopo, et sociis ejus. Quaeritur itaque utrum in hisce Foederatae Americae Dioecibus faciendum sit de Sancto Irenaeo tantum, vel de Sanctis Martyribus Irenaeo Episcopo, et sociis ejus?

3. Si Officium sit de Sancto Irenaeo tantum, unde nam sumendae sunt lectiones secundi, et tertii Nocturni, ac Missa?

4. Si fiat de Sancto, Irenaeo et sociis ejus possunt, ne tamquam approbatae haberi illae lectiones Lugduni in Gallia recitatae ab illis, qui Romano Breviario utuntur?

5. In Seminario, et Collegio Sanctae Mariae Baltimorensi die 28. Junii fit de die octava Sancti Aloysii. Posito igitur quod de Sancto Irenaeo, vel de Sancto Irenaeo et sociis ejus, hac eadem die fieri debeat in Provincia Baltimorensi, quaeritur utrum in praedicto Seminario, et Collegio festum Sancti Irenaei, vel Sanctorum Irenaei et sociorum ejus transferri possit ad diem 3. Julii, et Sancti Leonis festum ad diem 7. Julii?

6. Sanctitas Sua benigne concessit sequentia Officia singulis Feriis sextis quadragesimae ad libitum recitanda sub ritu duplicis majoris, nempe Commemorationis Passionis Domini Nostri Jesu Christi, Spinae Coronae, Lanceae, et Clavorum, Sacrorum quinque vulnerum, et Pretiosissimi Sanguinis. Si autem in dictis diebus occurrat festum altioris ritus, quaeritur an supra memorata Officia transferri possint ad primam diem non impeditam intra Quadragesimam.

7. Inter Officia nuper concessa omnibus Foederatae Americae Septentrionalis Dioecibus sunt Officia tum Sanctissimi Sacramenti in Feriis quintis, tum Conceptionis Beatae Mariae Virginis in Sabbatis per annum. Porro haec eadem Officia jamdudum a Pio VI. saepe concessa fuerant Baltimorensi, et quibusdam aliis Dioecibus cum eo privilegio, ut iis Presbyteris qui in praedictis Feriis, iter aliquod suscipere deberent pro visitandis catholicis, quorum spiritualis cura ipsis incumbit, liceret ea recitare, et Missam respectivam celebrare etiam in Feriis Adventus, quatuor temporum, et Quadragesimae. Quaeritur an recenti concessione supra memoratum privilegium revocatum, sublatumque fuerit, vel adhuc perseveret: et posito quod perseveret utrum ad omnes Foederatae Americae Septentrionalis Dioeceses extendatur, et pertineat?

8. Utrum in Anniversariis Creationis, et Consecrationis Summi Pontificis pro tempore regnantis in universa Ecclesia dici debeat, vel possit in Missa Oratio "Deus omnium fidelium," et quatenus affirmative, an haec Oratio dicenda sit etiam in Festis primae, et secundae classis?

Emus itaque ac Rmus Dominus Cardinalis Carolus Maria Pedicini Episcopus Portuen., Sanctae Rufinae, et Centumcellarum, Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellarius, et Sacrorum Rituum Congregationi Praefectus, vigore facultatum sibi specialiter ab eodem Sanctissimo Domino Nostro tributarum, omnibus maturo examine liberatis, rescribi mandavit.

Ad 1. Servetur dies Martyrologii Romani.

Ad 2. et 3. De Sancto Irenaeo tantum cum lectionibus secundi Nocturni adprobatis die 27. Aprilis 1784.

Ad 4. Iam provisum.

Ad 5. In primam diem non impeditam.

Ad 6. Affirmative, et intra Quadragesimam tantum.

Ad 7. Praecedens Indultum manet in suo robore, nec extendi potest sine nova concessione.

Ad 8. Collecta pro Summo Pontifice in diebus Creationis, et Coronationis dici debet, et sub unica conclusione in duplicibus secundae Classis.

Die 22. Maii 1841.

C. M. Ep. Portuen. Card. Pedicinius S. R. E. V. Cancellarius
S. R. C. Praefectus.

I. G. Fatati S. R. C. Secretarius.

In Festo Sancti Irenaei Episcopi Martyris. Duplex, omnia de Communi unius Martyris praeter haec propria ut in Officio proprio ejusdem Sancti a Sacra Rituum Congregatione adprobato pro Clero Parmensi die 27. Aprilis 1784.

ORATIO.

Deus qui Beato Irenaeo Martyri tuo atque Pontifici tribuisti, ut et veritate doctrinae expugnaret haereses, et pacem Ecclesiae feliciter confirmaret, da, quaesumus, plebi tuae in sancta Religione constantiam, et pacem tuam nostris concede temporibus. Per Dominum.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Irenaeus non longe ab Urbe Smyrna in Asia Proconsulari natus jam inde a puero sese Polycarpo Joannis Evangelistae Discipulo eidemque Episcopo Smyrnaeorum tradiderat in disciplinam. Hoc tam excellenti magistro progressus in doctrina, praeceptisque Christianae Religionis insignes fecit. Polycarpo in Coelum martyrii gloria sublato, etsi erat Irenaeus in sacris litteris egregie versatus, quod tamen incredibile studio flagraret discendi, quae dogmata depositi loco custodienda coeteri accepissent, quos Apostoli instituerant, horum quam potuit plures convenit, quaeque ab iisdem audivit, memori mente tenuit, ea deinceps opportune adversus haereses allaturus, quas quum

k 2

videret ingenti populi christiani damno latius in dies manare, diligenter, copioseque refellere cogitarat. In Gallias inde profectus a Pothino Episcopo Presbyter est ordinatus Ecclesiae Lugdunensis. Quod munus sic laborando in verbo, et doctrina gessit, ut (testibus Sanctis Martyribus qui, Marco Aurelio Imperatore, strenue pro vera pietate certarunt) aemulatorem sese praestiterit Testamenti Christi.

Lectio V.

Quum Martyres ipsi, Clerusque Lugdunensis de pace Ecclesiarum Asiae, quam Montanistarum factio turbarat solliciti cumprimis essent, Irenaeum, cujus esse potissimum habendam rationem praedicabant, unum omnium maxime delegerunt, quem Romam ad Eleutherium Pontificem mitterent rogatum, ut novis Sectariis, auctoritate Sedis Apostolicae reprobatis, discordiarum causa tolleretur. Jam Pothinus Episcopus Martyr decesserat. Huic Irenaeus quum successisset, tam feliciter munus obiit Episcopatus, ut sapientia, oratione, exemploque suo non modo brevi cives Lugdunenses omnes, sed multos etiam aliarum Galliae urbium incolas superitionem, atque errorem abjecisse, dedisseque christianae militiae nomina viderit. Interea quum de die celebrandi Paschatis orta esset contentio, ac Victor Romanus Pontifex Asianos Episcopos ab collegis reliquis fere omnibus dissidentes, aut prohibuisset communionem Sacrorum, aut prohibere minatus esset, eum Irenaeus sequester pacis decenter monuit, exemplisque usus Pontificum superiorum induxit ut ne tot Ecclesias ob ritum, quem a majoribus accepisse dicerent, avelli ab unitate catholica pateretur.

Lectio VI.

Multa scripsit, quae Eusebius Caesariensis, et Sanctus Hieronymus memorant, quorumque pars magna intercidit injuria temporum. Extant ejus adversus haereses libri quinque anno circiter centesimo octogesimo perscripti dum adhuc Eleutherius rem christianam publicam gereret. In tertio libro vir Dei ab iis doctus quos auditores constat fuisse Apostolorum, grave in primis, atque praeclarum de Romana Ecclesia, deque illius Episcoporum successione divinae traditionis fidei perpetua certissima custode dixit testimonium. Atque ad hanc, dixit, Ecclesiam propter potiore principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles. Postremo una cum aliis prope innumerabilibus, quos ipse ad veram fidem, frugemque perduxerat, Martyrio conatus migravit in coelum anno salutis ducentesimo secundo, quo tempore Septimius Severus Augustus, eos omnes, qui constantes in colenda Christiana Religione perstare voluissent, in summum cruciatum dari atque interfici imperat. In tertio Nocturno Lectiones de Homilia in Evangelium = Si quis venit ad me = Missa = Statuit = de communi primo loco.

Ita reperitur in Actis, et Regestis secretariae Congregationis Sacrorum Rituum. In fidem &c.

Ex eadem Secretaria die 14. Junii 1841.

C. M. Ep. Portuen. Card. Pedicinius S.R.E. V. Cancellarius
S. R. C. Praefectus.

I. G. Fatati S. R. C. Secretarius.

Ad Ecclesiastica bona tuto servanda, SSmo Domino Nostro probante, decretum quod sequitur editum est, quodque ad ea referatur, quae in Concilio IV. Provinciali Baltimorensi statuta sunt.

D E C R E T U M

S. Congregationis de Propaganda Fide.

Quum in foederatis Americae Septentrionalis Statibus nulla a legibus civilibus ecclesiastica successio agnoscat, et ideo nullum jus nec Episcopis, nec Sacerdotibus ab iisdem legibus tribuatur transmittendi suis successoribus bona quaecumque, quae a pia fidelium largitate ad ecclesiasticos, vel pios usus sive Episcopis, sive Sacerdotibus donata fuerunt: Praedictorum bonorum, (circa quae Concilii Provincialis Baltimorensis IV. Patres pastorem sollicitudinem laudabiliter ostenderunt decreto VIII.) securitati prospicere volens Sacra Congregatio de Propaganda Fide decrevit in posterum servanda esse quae sequuntur.

1. Archiepiscopus Baltimorensis, et Episcopi omnes in foederatis Americae Septentrionalis Statibus statim post hujus Decreti receptionem, testamentum juxta leges Status, in quo degunt, quarum accuratam notitiam ex certis fontibus sibi comparabunt, conficiendum current, Illud autem duplicato, et aequae authentico chirographo seu exemplari omnino efficient, atque haeredem bonorum omnium ecclesiasticorum ad pios usus sibi, vel praedecessoribus suis, vel quibusvis aliis sive laicis sive clericis donatis, quae ipsi actu possideant vel jus ad possidendum habeant, illum ex Cöepiscopis suis Americanis, quem magis in Domino expedire judicaverint, constituent. Hunc autem si forte ex vivis excedere acciderit, alium ex iisdem Cöepiscopis in eodem testamento substituunt, atque ejus loco haeredem nuncupent.

2. Testamento igitur, duplici, et aequae authentico chirographo exarato, alterum ex exemplaribus Episcopi omnes ad Baltimorensis Archiepiscopum, hic vero ad Seniores Episcopum loco tuto custodiendum mittat; alterum vero Testator ipse penes se asservabit. Moneatur etiam a Testatore Episcopus, qui haeres constitutus fuerit, per litteras, quas perlectas comburet, eo tantum fine se haeredem nuncupa-

tum fuisse ut bona omnia ecclesiastica dioecesis religiose custodiantur, donec a S. Sede Successor eligatur, illique tunc fideliter, et legitime transmittantur.

3. Testatore vita functo, haeres, maxima qua poterit cura, bonorum omnium tum mobilium, tum immobilium conservationi prospiciet, atque inter Sacerdotes Dioecesis defuncti Episcopi ministrum idoneum et fidelem eligat, cui per procurationis mandatum administrationem bonorum committet, ea tamen lege ut rationem, quum opus fuerit, fideliter reddat.

4. Statim ac Episcopi defuncti Successor a S. Sede de more electus fuerit, atque litteras apostolicas electionis acceperit, Episcopus, qui decessoris ejus haeres per testamentum constitutus fuerat, haereditatem universam illi instrumentis juxta formam a legibus civilibus praescriptam omnino tradet; atque sive per se, sive per procuratorem, cui bonorum administrationem commiserat, rationem reddere curabit.

5. Si quem autem Episcoporum Coadjutorem habere contigerit, hunc per testamentum haereditatem instituet.

6. Archiepiscopi munus erit sedulo invigilare, et curare, ut a Suffraganeis aliisque Statuum Unitorum Episcopis omnia quaecumque hoc Decreto S. C. praescribuntur religiosissime serventur. Moneat Episcopus, qui testamentum conficere et ad Metropolim mittere neglexerint, vel formam a legibus civilibus requisitam non servaverint, vel aliquo adminiculo legibus contrario illud irritum reddiderint. Si quando autem monitiones suas nullum effectum consequi viderit, de hoc Sacram Congregationem certiore per litteras facere non omittat, ut opportunum, et efficax remedium huic malo adhibere tempestive possit. De quibus omnibus Archiepiscopi conscientia oneratur.

Quod autem spectat ad ipsum Archiepiscopum, is, qui in provincia reperietur a consecratione Episcopali suscepta antiquior Episcopus, hoc munus obibit.

7. Quo autem praedicta omnia, rite, et recte praestare valeat Archiepiscopus accuratam notitiam legum circa testamenta, quae in unoquoque ex Statibus Unitis vigent, sicut etiam adminiculorum, seu, ut ajunt, *formalitatum*, quae ad testamentorum validitatem requiruntur, tum per Episcopos ipsos, tum etiam per juris consultos, et legis peritos quantocius obtinere non omittat; et ne haec omnia memoria excidant, eorum indiculum apud se scriptum retinebit.

8. Testamenta vero ipsa, quae ad Archiepiscopum mittentur nullo sigillo claudantur, sed folium in quo includuntur, in forma epistolarum usitata complicatum, et Archiepiscopo vernacula lingua inscriptum, sigillo muniatur, uti aliae epistolae communes, ut eo aperto Archiepiscopus testamentum legere, atque an rite, ac recte confectum fuerit, omnibus attente perpensis, judicare possit, adhibito etiam, si opus fuerit, peritorum in legibus civilibus consilio.

9. De bonis vero Ecclesiasticis, quae jure, a civili potestate conces-

so, ab Episcopis, Ecclesiis, Collegiis, Monasteriis, aliisque locis piis possidentur, vel recta ad Episcoporum Successores transeunt, nil est quod hoc Decreto statuatur; ideoque in illo minime includuntur. Episcopi igitur, si qui sint, qui nulla alia bona Ecclesiastica suo nomine possideant, ad testamentum superius descriptum faciendum non tenentur.

10. Eadem sollicitudine Sacra Congregatio providere volens securitati bonorum Communitatum omnium, sive Ecclesiasticarum, sive Religiosarum, tum virorum, tum etiam puellarum, et quarumcumque aliarum piarum institutionum, quae inter bona ecclesiastica locum obtinent, vel saltem eorum naturae participant, atque sollicita Ecclesiae Pastorum cura piis usibus, ob quos vel comparata, vel donata fuerunt, servanda et posteris fideliter transmittenda sunt, quae sequuntur, decernit.

11. Archiepiscopus, et Episcopi post decreti hujus receptionem, ad Superiores, Praefectos, vel Praesides Communitatum, quae intra Dioecesis suae fines reperiuntur, scribent, illisque omnibus auctoritate S. C., quae illis omnibus ad hoc specialiter delegatur, praecipient, ut quam primum fieri poterit, certiore per litteras Episcopum ipsum faciant 1. An quae, et quo onere, bona possideat Communitas, cui praest? 2. An suae Communitati facultas seu jus a Civili potestate datum fuerit, bona omnia, vel eorum partem possidendi, et ad Successores transmittendi (If they have been incorporated and empowered to hold all, or any part of their property, and what?) 3. An bona omnia, vel aliqua eorum pars a Superiore vel ab aliquo Communitatis membro, vel a pluribus conjunctim possideatur? 4. An aliquem invenerint modum tutō ad Successores bona praedicta transmittendi, et quis sit modus iste? 5. An nullus alius habeatur modus praeter testamentum?

12. Responso accepto, Ordinarius quid agendum sit facile comperiet. Nam si quae sint Communitates, quibus jus a potestate civili tributum fuerit possidendi, et ad Successores transmittendi bona omnia, vel aliquam eorum partem, nulla erit occasio sollicitudinem suam exercendi ad eorum conservationem. Sin autem modus aliquis excogitatus fuerit possidendi bona, per Societatis contractum, quo bona in communi possidentur a tribus vel quatuor Communitatis membris, ita ut omnes socii jus illud possideant naturalis suae vitae tempore; sed quocumque ex illis mortuo jus apud superstites socios remaneat possidendi bona universa, nulla facta cuique ex ipsis potestate alienandi suae vitae tempore, vel per testamentum relinquendi bona praedicta post mortem: tunc id tantummodo ab Episcopo curandum erit, ut, uno ex Sociis mortuo, alius ex Communitatis membris in Societatem adsciscatur. Tandem si unica testamenti remaneat via transmittendi bona ad Successores, praecipiat Episcopus Superioribus, vel illi, qui suo proprio nomine Communitatis bona possidere tunc pote-

rit, ut statim testamentum juxta leges civiles duplici exemplari, aequè authentico perficiat, ex quibus unum in Communitatis scriniis diligenter asservetur, alterum vero ad Episcopum Dioecesanum in Archivio asservandum mittatur.

13. Ad Communitates autem, quarum bona ab Episcopo possidentur, de hoc Decreto nulla erit scribendi necessitas, quam per testamentum Episcopi, satis bonorum illorum securitati prospiciatur.

14. De Superioribus Decreto huic minime obsequentibus, post unam vel alteram monitionem, Episcopi ad S. Congregationem scribent, quo mala, quae inde sequi possent, opportuno remedio praecaveatur.

Haec sunt, quae de bonis, in Foederatis Americae Septentrionalis Statibus, ad Ecclesiam, sive jam pertinentibus, sive in posterum spectaturis, tuto servandis, S. Congregatio statuenda esse judicavit.

Facta vero SSmo Domino Nostro GREGORIO PP. XVI. rei totius relatione per R. P. D. Ignatium Cadolinium Archiepiscopum Edessenum S. Congregationis Secretarium, Sanctitas Sua, quae superius praescripta sunt, in omnibus confirmavit, et exequenda esse jussit.

Datum Romae ex Aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide die 15. Decembris 1840.

Jacobus Philippus Card. Fransoni Praefectus.

I. Archiepiscopus Edessenus Secretarius.

INDEX

Capitulum collectionis Conciliorum Provincialium Baltimorensium.

- Refertur Fasciculus, quo recensentur Acta ac Decreta Conciliorum Provincialium Baltimorensium ab anno 1829. usque ad annum 1840. quae Sacri Consilii Christiano Nomini Propagando iudicio subjecta, et ab Apostolica Sede confirmata sunt.* pag. 1
- Concilium Provinciale Baltimorensense I. anno 1829. habitum cum Sedis Apostolicae responsis, ac decretis.* 3
- Concilium Provinciale Baltimorensense II. anno 1833. habitum, cum Sedis Apostolicae responsis, ac decretis.* 39
- Concilium Provinciale Baltimorensense III. anno 1837. habitum, cum Sedis Apostolicae responsis, ac decretis.* 68
- Concilium Provinciale Baltimorensense IV. anno 1840. habitum cum Sedis Apostolicae responsis, ac decretis.* 98



· I M P R I M A T U R ·

Fr. Dominicus Buttaoni O. P. S. P. A. Mag.

I M P R I M A T U R ·

J. M. Vespignani Archiep. Tyanacus Vicesg.